D 755

Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám V B
Osztályzat 9 2

Arcadia V g



R. 1063.

1727

V 9

Okresná ľudová knižnica - Košice
Prír. č. 13022/964
Sign. Rz-755
Odb. zn. 180.-
251:23

K

Dec. 1988
Nov. 77

13022/962 Rz-755

TUBA CATECHETICA

ID EST

EXPLICATIO

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

PARS III. DE SEPTEM SACRAMENTIS.

A

R. P. ANTONIO ARDIA, è Soc. JESU

EDITA.

DUM

In Alma Epiſcopali Societatis JESU Univerſitate Caſſovienſi Annô M.D.CC.L. Menſe Julio Die

ASSERTIONES

EX UNIVERSA PHILOSOHIA

Publicè progugnaret Eruditus Dominus

IGNATIUS JEROMETTI

AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaureus, nec non pro ſuprema ejusdem Laurea candidatus,

PRÆSIDE

R. P. JOANNE SZTANCSAK è Soc. JESU,

AA. LL. & Philoſophiæ Doctore, ejusdémq; Profeſſore Emerito, nec non Facultatis Philoſophicæ p. t. Seniore,

AUDITORIBUS OBLATA.

CASSOVIÆ, Typis Academicis Societatis JESU.

K.K. RECHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU

SUB
Munificentiſſimis Auſpiciis
EXCELLENTISSIMI,
ILLUSTRISSIMI,
AC
REVERENDISSIMI DOMINI,
DOMINI

NICOLAI
E COMITIBUS
CSÁKY
DE KERESZTSZEGH,

Perpetui Terræ Scepuſienſis, Miſeratione Divina Metropolitanæ Colocenſis, & Bacſienſis Canonicè Unitarum Eccleſiarum

ARCHI-EPISCOPI,

Inclytorum Comitatuum Bácſienſis, & Scepuſienſis Supremi, ac Perpetui Comitis, Sacræ, Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis Actualis Intimi Statûs Conſiliarii, & in Ejusdem Excelſa Tabula Septem-Virali Aſſeſſoris Primarii, &c. &c.

DOMINI DOMINI
PATRONI SUI BENIGNISSIMI.

CONCLUSIONES *EX* UNIVERSA PHILOSOPHIA.

I. LOgica eſt Scientia purè, & ſimpliciter practica. II. Ejus objectum materiale proximum, ſunt tres mentis operationes in fieri: formale verò earundem rectitudo paſſiva conſiſtens primario, & immediatè in conformitate actûs cum præceptis. III. Attributionis demùm operatio recta. IV. Univerſale Metaphyſicum non habetur à parte rei per repræſentationem phyſicam. V. Sed habetur tantum per intellectum objectivè præſcindentem. VI. Manet in actuali prædicatione quoad modum prædicandi. VII. Propoſitio ſi fiat durans debet, & non poteſt de vera tranſire in falſam. VIII. Quælibet de futuro contingente eſt quo ad ſe determinatè vera, vel falſa. IX. Poteſt intellectus idem objectum ſcire & opinari, opinione radicaliter formidante. X. Corporis naturalis principia *in fieri* per mutationem ſunt materia, forma, & privatio formæ uniendæ, dum hæc privatio ultimò eſt. XI. Materiam primam Peripateticam dari eſt tantùm probabile. XII. Forma ſubſtantialis Peripatetica datur in mixtis perfectis. XIII. Dantur etiam formæ ſubſtantiales ſub-ordinatæ uni principali præcipuè in viventibus. XIV. Modi ſunt pura habitudo, & reſpectus unius extremi ad aliud. XV. Agens creatum proprié indiſtans, uti & duæ cauſæ totales in actu 2do reſpectu ejusdem effectûs implicant. XVI. Cauſæ liberæ ſalva libertate phyſicè ad agendum prædeterminari nequeunt. XVII. Eſt ſimpliciter ſoli Deo proprium creare. XVIII. Aſcenſus Mercurii in Barometro Thermometro, Anthliis, cohæſio hæmiſphæriorum Magdeburgicorum non ab horrore vacui, ſed à gravitate, & elaterio aëris repeti debent. XIX. Penetratio, & Replicatio ſolùm Divinitus eſt poſſibilis. res tamen replicata plus non poteſt, quàm non replicata. XX. Continuum componitur ex minimis phyſicis. XXI Infinitum Categorematicum in, & pro ſtatu reali repugnat: In, & pro ſtatu poſſibilitatis tamen in multitudine actu datur. XXII. Mundus eſt compages ex cœlo, & terra, cæteriſque naturis inter ea contentis. XXIII. Ab æterno Categorematicè produci non potuit. XXIV. Syſtema mundi Copernicanum ut hypotheſis defendi poteſt. XXV. Aſtra moventur ſolùm ab

ex-

extrinſeco. XXVI Influunt in ſublunaria per actionem lucis, & motum materiæ liquidæ à cœlls ad terram uſque propagatæ. XXVII. Sol eſt formaliter ignis. XXVIII. Luna. & Planetæ ſunt corpora opaca aſpera, & inæqualia, lucem propriam non habent. XXIX. Cometæ probabilius ſunt quidam Planetæ, & corpora ſolida, mundóque coæva. XXX. Centrum magnitudinis, & gravitatis terræ non ſunt ſaltem mathematicè idem. XXXI. Centrum verò gravitatis terræ, eſt neceſſariò idem cum centro univerſi. XXXII. Terra non movetur motu trepidationis etiamſi continuè mutetur centrum gravitatis. XXXIII. Animalia omnia utì etiam inſecta, ex certis ſeminibus, aut ovis fæcundatis; plantas verò ex ſemine generari probabilius eſt. XXXIV. Effectus ſimpathici, & Antipathici non per qualitates occultas, ſed per effluvia ſubtiliſſima corporum, pororúmque explicantur. XXXV. Natura caloris conſiſtit in motu celeri vehementi, & perturbato particularum inſenſibilium ignearum, ac etiam aliarum. frigus verò in partium quiete, aut ſaltem motûs earundem imminutione, tum etiam in corporibus, quæ frigorifica vocantur. XXXVI. Rarefactio habetur per dilatationem pororum cauſatam ab ingreſſu corpuſculorum materiæ alienæ. XXXVII. Vis elaſtica conſiſtit in impetu ætheris, qui corporum poris ſe intrudens, eos conatur dilatare, ac partes corporis à ſe invicem removere. XXXVIII. Elementa manent formaliter in mixtis in ſenſu Metaphyſico XXXIX. Omnia ſunt poſitivè gravia. nec datur ullum corpus poſitivè leve. XL. Gravitant etiam in locis propriis. XLI. Æſtus maris convenienter repetitur à Lunæ preſſione, prout nempe ipſa Luna ſpatium coarctat æthereæ ſubſtantiæ in Eliptico vortice fluentis. XLII. Nullum corpus non vivens habet virtutem intrinſecam activam movendi ſe localiter. XLIII. In puncto reflexionis mobile per aliquod inſtans quieſcit. XLIV. impetus, qui eſt qualitas ſucceſſiva producitur ad extra immediatè ab alio impetu, qui eſt incorpore impellente. XLV. Lux conſiſtit in motu celeri, & vibratione recti linea materiæ ſubtiliſſimæ. XLVI. Color formaliter, & in actu 2do in varia vibratione, reflexione. & refractione lucis, aut paucioribus umbris inter ſtinctæ XLVII. Diſtinctio realis poſitiva habetur per hanc, & illam Hæcceitatem. XLVIII. Rationis autem per actum intellectûs objectivè præſcindentem, formalis ex natura rei, & virtualis intrinſeca implicat. XLIX. Relatio omnis per Fundamentum, Terminum, & proximam rationem fundandi. L. Exiſtentia DEI à poſteriori evidenter demonſtratur.

Cui cedant

O. A. M. D. G. B. V. H.

IN-

INDEX INSTRUCTIONUM,

Quæ continentur in Parte Tertia.

De Sacroſanctis Sacramentis in Communi.

INSTRUCTIO I. *De numero, dignitate, & Authore Supremo Sacramentorum.* In die Aſcenſionis Domini.

INSTRUCTIO II. *De Effectibus admirabilibus, quos faciunt in Anima Sacroſancta Sacramenta.*

INSTRUCTIO III. *De diſpoſitione, quâ debent ſuſcipi Sacramenta.* Fit etiam Exhortatio ad illorum frequentiam.

De primo Sacramento Baptiſmi.

INSTRUCTIO I. *De Dignitate, Unitate, & Neceſſitate Baptiſmi.*

INSTRUCTIO II. *De Aqua, quæ eſt Materia Sancti Baptiſmi.*

INSTRUCTIO III. *De Forma, & Miniſtro Sancti Baptiſmi.*

INSTRUCTIO IV. *De admirabilibus, & gloriosis Effectibus Sancti Baptiſmi.*

INSTRUCTIO V. *De Patrinis Baptiſmi, & de illorum Obligationibus.*

INSTRUCTIO VI. *De Cæremoniis Sancti Baptiſmi, & qualiter indicent Chriſtiano ſuas Obligationes.*

INSTRUCTIO VII. *De eo, quod nobis repræſentat, & docet Sal benedictum, quod nobis imponit Eccleſia in Baptiſmo.* In Feſto S. Ignatii.

INSTRUCTIO VIII. *De Obligationibus, in quas nos collocat in Baptiſmo Renuntiatio diaboli, & pompæ ejus.*

INSTRUCTIO IX. *De tribus ultimis Cæremoniis Sancti Baptiſmi, & de illarum ſpirituali Doctrina.*

De Sacramento Confirmationis.

INSTRUCTIO I. *Quomodo Sanctum Sacramentum Confirmationis ſit perfectio Baptiſmi: Quis ſit ejus Miniſter; Et quantam neceſſitatem habeamus illud percipiendi.*

INSTRUCTIO II. *De Sacro Chriſmate, materia Sacramenti Confirmationis, & ejus ſignificatione doctrinali.*

INSTRUCTIO III. *De Forma, & Cæremoniis Confirmationis, & Obligatione, quam nobis adfert nè nos pudeat eſſe milites JESU Chriſti.*

De Sacramento Pœnitentiæ.

INSTRUCTIO I. *De distinctione, quæ datur inter Pœnitentiam ut Virtutem, & Pœnitentiam ut Sacramentum; & animantur Peccatores ad eam amplectendam.*
INSTRUCTIO II. *De Necessitate, & Facilitate Sacramenti Pœnitentiæ.*
INSTRUCTIO III. *De amabilissimis, & admirabilibus Effectibus, quos operatur in anima Sacramentum Pœnitentiæ.*
INSTRUCTIO IV. *De partibus Confessionis, & de damnis malarum Confessionum in communi.*
INSTRUCTIO V. *De Necessitate Examinis Conscientiæ, & cum quanta diligentia sit faciendum.*
INSTRUCTIO VI. *De Modo, qualiter debeat fieri Examen Conscientiæ.*
INSTRUCTIO VII. *De Examine faciendo de peccatis Omissionis.*
INSTRUCTIO VIII. *Qualiter debeat fieri diligens Examen de peccatis alienis.*
INSTRUCTIO IX. *De summa necessitate doloris veri de peccatis ad bonam Confessionem peragendam, & ut salvemur.*
INSTRUCTIO X. *De Motivis, quæ debet habere dolor de peccatis, ut sit proficuus. Et: qualia sint Motiva Attritionis, & Contritionis.*
INSTRUCTIO XI. *Comparatio inter Attritionem, & Contritionem ad cognoscenda emolumenta incomparabilia Contritionis.*
INSTRUCTIO XII. *De Necessitate veri Propositi Emendationis, & : quàm universale & firmum esse debeat, ut verum sit.*
INSTRUCTIO XIII. *Quòd Propositum Emendationis, ut sit verum, debeat esse efficax.*
INSTRUCTIO XIV. *De altera parte essentiali hujus Sacramenti, quæ est Confessio. Qualiter adeundum sit Sanctissimum Tribunal Confessionis; & : De formis inutilibus, quæ ibi evitandæ sunt.*
INSTRUCTIO XV. *Aliæ Superfluitates, quæ in Confessione æquè vitandæ sunt*
INSTRUCTIO XVI. *Ut sit bona Confessio, non debet habere excusationes.*
INSTRUCTIO XVII. *De Integritate Confessionis omnimodò necessaria, ut bona sit.*
INSTRUCTIO XVIII. *De Circumstantiis Peccatorum, quæ debent manifestari in Confessione.* Die Corporis Domini habita.
INSTRUCTIO XIX. *De fortissimis Rationibus, quæ convincunt irrationabilem verecundiam illorum, qui tacent aliquod peccatum in Confessione.*

IN-

INSTRUCTIO XX. *Aliæ duæ Rationes convincentes irrationabilem verecundiam illius, qui tacet aliquod peccatum in Confessione, desumptæ ex parte Confessarii, & ipsiusmet peccati, quod reticet.*

INSTRUCTIO XXI. *Duæ aliæ Rationes, quæ ex parte ipsiusmet, qui reticet aliquod peccatum in Confessione, convincunt: pudoremillius irrationabilem esse.*

INSTRUCTIO XXII. *De Confessione Generali; quandonam obliget, & quomodo instituenda sit.*

INSTRUCTIO XXIII. *De tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Satisfactio.*

INSTRUCTIO XXIV. *Quanta debeat esse Pœnitentia pro nostris peccatis, ut sit totalis satisfactio.*

INSTRUCTIO XXV. *De Operibus satisfactoriis, & cum quanta suavitate illa possimus facere.* In Festo S. Ignatii.

INSTRUCTIO XXVI. *De Satisfactione mediantibus Indulgentiis; & quid illæ sint.*

De Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

INSTRUCTIO I. *De excellentissima Institutione, & de Nominibus hujus Divinissimi Sacramenti.*

INSTRUCTIO II. *De Distinctione, & de admirabilibus Emolumentis, quæ habet Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ supra omnia alia Sacramenta.*

INSTRUCTIO III. *De Materia Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ; & quare pro Materia elegerit Dominus Panem.*

INSTRUCTIO IV. *De Verbis Consecrationis, Forma hujus Sacramenti, & de illorum admirabili Virtute, & Efficacia.*

INSTRUCTIO V. *De tribus principalioribus Miraculis, quæ DEUS operatur in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.*

INSTRUCTIO VI. *De suprema Unione, quæ invenitur in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ per concomitantiam.*

INSTRUCTIO VII. *De admirabilibus Effectibus Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.*

INSTRUCTIO VIII. *Unde proveniat, quod non consequantur multæ Animæ omnes istos admirabiles effectus Eucharistiæ.*

INSTRUCTIO IX. *De Dispositione necessaria ad dignè percipiendam Sanctissimam Communionem.*

INSTRUCTIO X. *De Obligatione, quam habent Christiani sumendi Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ.*
INSTRUCTIO XI. *De Frequentia Sanctissimi Sacramenti.*
INSTRUCTIO XII. *De Communione Spirituali; de ejusdem fructibus, & facilitate.*

De Sancto Sacramento Extremæ Unctionis.

INSTRUCTIO UNICA. *Essentia, Compositio, & Institutor hujus Sacramenti, & ejus admirabiles Effectus.*

De Sacramento Ordinis.

INSTRUCTIO I. *Essentia hujus Sacramenti, & Potestas Suprema, quam confert ad celebrandum.*
INSTRUCTIO II. *De Potestate suprema Sacerdotum absolvendi.*

De Sacramento Matrimonii.

INSTRUCTIO I. *De Essentia hujus Sacramenti. Et: quòd illos, qui illud percipiunt, non impediat à sequenda Virtute.*
INSTRUCTIO II. *De Intentione, quæ debet haberi in Matrimonio; Media ad illud piè ineundum, & quòd solus DEUS det Uxorem secundùm Votum.*
INSTRUCTIO III. *De æqualitate, quæ requiritur inter Conjuges, ut bonum fiat Matrimonium; & quòd pro illo contrahendo filii debeant accipere consilium à suis Parentibus.*
INSTRUCTIO IV. *Quomodo Nuptiæ celebrandæ sint. Et quòd Dos optima sit Sponsæ probitas.*
INSTRUCTIO V. *De primo Bono Matrimonii, quod est Fides Conjugalis. Et De malitia Adulterii.*
INSTRUCTIO VI. *De secundo Bono Matrimonii: de Bono Sacramenti. & De amore, & reverentia, quam ad invicem Conjuges habere tenentur.*
INSTRUCTIO VII. *De Concordia & Pace, quam inter se debent conservare Conjuges.*
INSTRUCTIO VIII. *Quomodo debeant distribui Officia inter Maritum & Uxorem pro bono Regimine domûs, & pro pace Matrimonii?*
INSTRUCTIO IX. *De tertio Bono Matrimonii. De Bono Prolis.*
INSTRUCTIO X. *De bona Prolium Educatione, quæ Bona Matrimonii coronat.*

FINIS INDICIS.

TUBA

TUBA CATECHETICA,

ID EST:

EXPLICATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

OPUS, ET MUNUS OMNIBUS FIDELIBUS.

A

R.P. ANTONIO ARDIA, Soc: JESU,

dicatum, & propoſitum.

PARS TERTIA

DE

SACRO-SANCTIS SACRAMENTIS

in Communi.

INSTRUCTIO I.

De Numero, Dignitate, & Authore Supremo Sacramentorum.

Die Aſcenſionis Domini Noſtri JESU Chriſti.

PLanè opportunè, hodie, dum latè panduntur cæli pro majori triumpho, illos invenimus etiam apertos in terra pro omni noſtro remedio: Hodie, dum exponitur in applauſum noſtri Redemptoris omnis gloria, nobis relinquit Sua Majeſtas in terra liberos omnes theſauros ſuæ gratiæ: Hodie, dico, dum plena jubilis corda celebrant admirabilem Aſcenſionem Salvatoris noſtri, aſcendunt etiam noſtræ animæ, quòd ſi per contingens in noſtra explicatione, per conſequentem neceſſariò applauſum triumphi in acquiſitione felici ſuorum Sanctorum Sacramentorum. Eja igitur hilares eſtote, & ſi illud, quod cum omni fit facilitate, & I.

promptitudine, dicimus fieri volando, omnes volando poſſumus pergere in cælum. Nemo ponat difficultatem quoad alas, dum in tantum habemus in noſtris manibus volatus. Finivimus explicationem decem Præceptorum; hoc jam eſt habere poſitam ſcalam, per quam aſcenditur ad gloriam; aggredimur jam explicationem Sacro-Sanctorum Sacramentorum: hoc eſt aggredi jam nunc ipſum aſcenſum in cælum. Sit itaque hodie non ſolum dies Aſcenſionis, ſed dies Aſcenſionum: aſcendamus non ſolum conſideratione noſtri Redemptoris triumphantis ad ſphærarum gloriam; ſed etiam attentione, & bona acquiſitione ſuorum Excellentiſſimorum Sacramentorum ad ſphæras gloriæ. Beatus ille, exclamat Propheticus David (videtur ac ſi reſpexiſſet hunc diem, hanc Doctrinam, iſtos Auditores, & has circumſtantias) beatus, Domine, Ille, qui adjutus tuis auxiliis, fabricavit in ſuo corde gradus pro aſcenſione: *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te. aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*; Pſal. 83. v. 6. Ille, exponit Genebrardus, qui in ſuo corde jam poſuit ſcalam Divinorum Præceptorum; *Aſcenſiones, id eſt, ſemitas tuas altas, tua Præcepta, & Leges.* Nunquid videtur nobiſcum loqui? Sed quia non ſufficit ſolummodò habere jam ſcalam, ſed oportet illam aſcendere, beatus, repetit Sanctus Auguſtinus, ille, qui per hanc ſcalam jam ità præparatam aripit aſcenſionem. Et qualem aſcenſionem? Expectate; quando fuit prima aſcenſio in terra noſtri Redemptoris? Qualis fuit in terra ſua prima aſcenſio ad docendum nos poſtmodum ſuam aſcenſionem ad gloriam? Fuit illa prima aſcenſio, dicit Sanctus Matthæus cap. 3. v. 16. quando aſcendit de aqua poſt Baptiſmum: *Tunc aſcendit de aqua.* Ecce iſta eſt aſcenſio, quam nobis annuntiat Propheta, dicit Magnus Doctor, ut aſcendamus per Sacramenta in terra ad gratiam, ut poſtmodùm aſcendamus cum Chriſto in ſuo triumpho ad gloriam: *Ut cum Chriſto baptizati ſtatim aſcendamus de aqua, tandemque cum eodem in cælum,* Sanctus Auguſt. apud Lorin. in hunc locum. Unum ex altero ſequitur; quia eſt promiſſio, David dat rationem; eſt promiſſio illius ipſiuſmet, qui nos viam docuit, ſe noſtrum fore ducem; qui nobis ponit ſcalam, nobis manum porrecturum pro aſcenſu; & qui nobis legem dedit, ſe etiam daturum per ſua ſacramenta gratiam, & benedictionem: *Etenim benedictionem dabit Legislator.* Si cecidimus, ad elevandum nos dat benedi-

nedictionem mediante Pœnitentia explicat Liranus, ſi veſtigia ejus ſequimur, dat ad nos confortandos benedictionem per Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum omnis benedictionis: *Sacramentum benedictionis*; prout illud vocat cum antiquis Patribus, noſter Raynaudus; & dabit nobis pariter benedictiones, ſi audientes doctrinas de ſuis Sacramentis, attenderimus & adlaboraverimus in illis acquirere augmentum virtutum. Chaldæus ità legit apud Lorinum: *Benedictionibus operiet DEUS eos, qui immorantur in doctrina Legis ſuæ*; Et ad quem finem tanta benedictio? dicit hoc nobis Propheta; *Ibunt de virtute in virtutem.* Chaldæus: *Ibunt de doctrina in doctrinam, de Academia in Academiam.* Ità ut ſit benedictio DEI videre, quòd ſicut de una in aliam doctrinam eunt aſcendendo proficuæ & utiles notitiæ rerum cæleſtium ſalvationis, & DEI; ità pariter eant aſcendendo de una in aliam virtutem, gradus ad gloriam: *Ibunt*, amplè traducit noſter Lorinus, acſi videret omnia præſentia; *ibunt turmatim in templum, creſcet eorum doctrina, adeò, ut eam videat quiſque in Eccleſia, donec perveniat ad perfectam DEI notitiam.* Erit benedictio DEI videre; Quid? Illud quod omnes videmus, qualiter cumulatim accurrant ad explicationem Doctrinæ omnes, quomodo Eccleſia impleatur; qualiter turmatim veniant, qualiter creſcant, qualiter augmententur Doctrinæ. Et hoc, & non plùs? O me infelicem! ſi in hoc res tota remaneret; diſſipatus labor, perditum tempus, ſi remaneret incrementum Doctrinæ in ſolo materiali concurſûs; erit benedictio DEI, ſi incrementum Doctrinæ eſſet magis in numero proficientium, quàm in concurſu Auditorum; ſi incrementum eſſet, ſicut in perfecta notitia Veritatum Catholicarum, luminis Fidei, ſcientiæ DEI; ità etiam in ardoribus cordis, in incendiis charitatis, & in incrementis virtutum, uſque ad aſſecutionem cæleſtis gloriæ; uſque ad viſionem DEI: *Videbitur DEUS Deorum in Syon*; uſque dum quilibet faciat ex Doctrina, & per Doctrinam, ſuam aſcenſionem fortunatam ad gloriam, dixit Chaldæus: *Progredientibus juſtis de domo ſanctuarii in domum Doctrinæ, appareat labor Legis ab ipſis ſuſceptus, coram Domino, cujus Majeſtas reſidet in Syon.*

Eja igitur incipiamus aſcendere in cælum per Doctrinam de Sacramentis ad acquirendos hos fontes puriſſimos vitæ, iſtas origines II.

copioſas gratiæ, has indeficientes ſcaturigines ſalutis; quandoquidem nec poteſt dari virtus, nec juſtificatio, niſi mediantibus Sacramentis, dicit nobis Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 7. de Sacram. in procœmio; ſi acquiritur gratia, fit per illa; ſi augetur, illis hoc debetur, & illa ſunt, quæ ſolummodò gratiam perditam nobis reducunt: *Per hæc omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.* Sacramenta Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ ſunt ſeptem, qui numerus ſemper eſt myſterioſus in Divinis Scripturis: ſed hìc ſuper omnia, admirabilis. Septem, quia in illis multò meliùs, quàm in ſeptem diebus ſeptimanæ, univit DEUS ſua maxima miracula, perfecit meliùs Cælos, reſtauravit Mundum, animavit hoc univerſum. Septem, quia meliùs præ illis ſeptem ſigilliis, occultant Altiſſima & Diviniſſima Myſteria. Septem firmiſſimæ columnæ, quæ ſuſtentant æternaliter ſtabile Palatium Sapientiæ, quod eſt Eccleſia. Septem vivaciſſimæ ſaces, quæ in candelabro Templi illuſtrant puriſſima luce Mundum, accendunt corda, & illuminant Animas. Septem maximè ſonoræ tubæ, quæ ſuò ſonò ruinant & faciunt concidere Jerichonis infernalis omnes muros. Septem ſplendidiſſimæ ſtellæ, quæ de manu noſtræ Vitæ Chriſti JESU nobis transferunt in terram integrum firmamentum. Septem tandem præterquam, quòd neceſſe habeamus mittere manus ſepties in ſanguinem expiationis, nos lavent à culpis. Septem, quòd ſinè neceſſariis ſeptem lotionibus Naamani, nos mundent à lepra; & ſeptem, quòd ſinè neceſſaria ſeptem vicibus facta dimiſſione Eliſæi, nos renovant ad vitam.

III. O DEUS meus! quæ cogitatio, quis amor, quæ diligentia noſtri Redemptoris Divini, qui providendo taliter omnibus noſtris maximis neceſſitatibus, poſtquam nobis dediſſet vitam Mundi, nos aſſecurat tantò magis de vita æternitatis. Iſte eſt ordo admirabilis, quò diſpoſuit hæc Divina Sacramenta. Primò: ut hac vita temporali quis frui poſſit, neceſſarium eſt naſci; ità pro animæ vita nobis providit meliùs renaſci per Sacrum *Baptiſma.* Sed ſicut hic poſtquam natus eſt, ſequitur ut creſcat, & vires infans acquirat; ità pro vita meliori Animæ nobis providit in Sacramento *Confirmationis*, de melioribus viribus, & audacia, ad confitendam ſuam Fidem. Sequitur poſtmodum neceſſaria, ad ſuſtentandam & conſervandam iſtam vitam

tam temporalem, ſuſtentatio per cibum & potum; de hoc nobis providit melius pro ſpirituali vita ſpiritûs, in Sacramento *Euchariſtiæ*. Sed nec hìc ſiſtit ejus amor. Providit, ut ſicut in vita corporis ſunt remedia pro infirmitatibus, & vulneribus; ità pro infirmitatibus mortalibus culparum, quas patitur vita Animæ, præparavit efficacem medicinam in Sacramento *Pœnitentiæ*, ut per illud recuperaremus perditam ſalutem. Et tandem, ſicut in convaleſcentia adhibetur diæta, ad reſtaurandas vires uſque ad vincendas reliquias infirmitatis; ità nobis providit in Sacramento *Extremæ Unctionis* ad depellendas & relegandas peſſimorum morborum, peccatorum, reliquias, optimam confortationem virium. O DEUM infinitè noſtri Amantem! Quæ cogitationes, quæ ſolicitudines ſunt iſtæ in tantum anticipatæ pro noſtro bono & commodo, quod deſiderium pro noſtra vita, quæ diligentiæ pro noſtra ſalute, & quæ proviſiones pro noſtro remedio? Eo ipſiſſimo cum amore pro pauperculo, quàm pro divite, pro Potente, quàm pro humili. Quomodo autem nos ſumus ei grati? Ah ſublevate Fidem, & conſiderate modicum, quæ dona ſint iſta, & quidem à DEO nobis exhibita, qui favores à Domino infinito? Facite comparationem. ut veſtra confundatur ingratitudo. Quidam Udalricus Agricola Sanctus, qui magnis ardebat febribus, appetebat certa mora; erat pro tunc in medio hyemis, omnes ſiccæ arbores, & omnia cooperta nivibus. Ubi ſimilia fraga mororum potuiſſent inveniri? eruperunt ſupra nives mora, reſpiciente DEO ad confortationem unius pauperculi Agricolæ, & ſatisfaciente ejus deſiderio; nunquid hæc eſt excellens & ſuperabundans teneritudo amoris? Jam quæ comparatio facienda, ſi adſit Fides, cum illo, quod largitur pauperrimo, abjectiſſimo, in Sacramento Altaris? Pater Petrus Caniſius noſtræ Societatis, infirmus in ſua ultima ſenectute, & omnimodè omnia nauſeans, accepit appetitum & deſiderium comedendi certam aviculam, quam ille nominavit. Quæſierunt ſimilis ſortis aviculam per totam civitatem, non erat poſſibile eandem invenire, & eô ipsô die illa avicula involavit in ejus cameram per feneſtram ad ſatisfaciendum ſuo appetitui. Eſtne ſimilis teneritudo DEI invenienda? Dicetis & valde rationabiliter; ſed quid eſt hoc, & quæ comparatio, quòd avicula miſera ità involaverit in cubiculum, cum deſcenſu infiniti DEI ad nos in ſuo Sacratiſſimo Sa-

cramento? Beatæ Angelæ Fulinienſi, dum infirma eſſet, & omnibus viribus in ſuo lecto deſtituta, apparuit viſibiliter noſter Redemptor, & dixit ei: *Filia, ego venio tibi ſervire, & facere illud, quo opus habueris, meis manibus.* Oh dignationem indicibilem! Quid faceres Anima, ſi hoc videres? quid faceres, ſi videres ipſummet Chriſtum affabiliter tibi ſervientem, lectum ſternentem, cervical adaptantem? Quid faceres, ſi videres? Jam quid vides per Fidem, ſi non vides hoc & multò plùs, quando intrat in tuam domum ipſemet DEUS in ſuo Sacramento; quando per Extremam Unctionem te confortat, & tibi blanditur? Non ſolùm autem providit ità Dominus cuivis in particulari de ſubſidiis in Sacramentis, prout jam dictum eſt; ſed etiam, attendendo ad totam communitatem, vel ut haberent Patres, & Paſtores, qui illos quoad animam gubernbrent, providit in Sacramento *Ordinis* de Sacerdotibus & Epiſcopis; vel pro ſucceſſiva continuatione generationis diſpoſuit Sacramentum *Matrimonii*.

IV. Sic itaque cum harmonia Divina, de ſeptem Sacramentis, duo, nimirum *Baptiſmus*, & *Pœnitentia*, ſeu *Confeſſio*, ſunt in tantum neceſſaria ùt media, ſeu ùt dicimus de neceſſitate medii, ut ſinè Baptiſmo nullus poſſit tranſire de terra ad gloriam; & hoc ipſum eſt de Pœnitentia, ſi quis poſt Baptiſmum cadendo in peccatum mortale, non adhibeat Confeſſionem vel in effectu confitendo, vel in affectu per ardentiſſimum deſiderium veræ Contritionis; alia tria, *Confirmatio, Euchariſtia, & Extrema Unctio* ſunt neceſſaria neceſſitate Præcepti; acſi tam infinitum bonum non ſuffecerit nos attrahendi ad illud quærendum, eguit noſtra ingratitudo præceptô. Et duo ultima, *Ordo & Matrimonium* neceſſaria abſque dubio ſunt toti Communitati Eccleſiæ ad ejus decorem, & Reipublicæ ad ejus continuationem, ſed in particulari nullum obligant.

V. Tali modo diviſit infinitus amor ſua beneficia. Attamen perpendite modò, quid ſit majus, amor, quô DEUS his providit nobis, vel Sapientia, quâ illa diſpoſuit, variando unam eandemque gratiam tam diſtinctis pulchritudinibus? *Multiformis gratiæ DEI*, modo Apoſtoli loquendo; 1. Petri c. 4. v. 10. una gratia, quæ ſicut in collo alicujus columbæ, ad mutationem lucis, ad repercuſſionem radiorum ſolis, format tam varios colores, & ſolſequia; ità in collo

Eccle-

Eccleſiæ prætendunt inter ſe diſtinctos primatus Sacramenta. Certum eſt, & de Fide, quòd illa inter ſe non ſint æqualia, ùt docet Concilium Tridentinum Seſſ. 7. Canon. 3. ut tali modo reſultet ex illorum inæqualitate lucroſa, ſuaviſſima harmonia ad ſimilitudinem ipſius harmoniæ cæleſtis. Baptiſmus excellit non ſolùm, quòd ſit unica porta fortunata, per quam intramus ad vitam, non ſolùm, quòd abluat Animam à peccato veniali, & mortali, ſi hæc peccata in illa inveniat; ſed etiam à peccato originali, & ab omni pœna, quam iſtud, vel illa merebantur peccata. Oh quàm primatus verè glorioſus! Attamen illum æmulatur pro ſua parte Sacramentum Confirmationis, quod eſt illud, quod dat vires, vigorem, & fortitudinem ad pugnas Fidei, prout viſum fuit in Apoſtolis; illi enim primò erant timidi, & abſconditi, *Donec induamini virtute ex alto*; Luc. c. 24. v. 49. poſtmodum tam præſtantes, ſtrenui, validi, & invincibiles, immediatè poſtquam fuiſſent confirmati; & hac de cauſa Confirmatio fuit nominata ab antiquis Patribus, perfectio, & conſummatio Baptiſmi. Oh excellentiam tam ſublimem! Sed excedit pro ſua parte Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Confeſſionis in eo, quòd poſt Baptiſmum, qui cecidit in mortale peccatum, illi non remaneat aliud refugium, jam non reſtet alia tabula, præter hoc Sacramentum amabiliſſimum, ut quis poſſit pervenire ad portum ſalutis. Oh quæ prærogativa tam excelſa! Monſtrat tamen immediatè ſuam eminentiam illud Extremæ Unctionis, ùt illud, quod non ſolùm conſumit peccatorum reliquias infelices, ſed quod auget vires, & animos addit in pugna illa maximè horribili, & tremenda. Magna hæc eſt prælatio! Sed oſtentat ſuam ſuperioritatem Sacramentum Ordinis in poteſtate admirabili, & ſuprahumana quam illud ſolum confert hominibus. Exaltat ſe pro ſua parte Matrimonium, ob unionem Chriſti cum Eccleſia, quam repræſentat, & exprimit inter mortales. Oh quàm ſublimes excellentiæ! Sed ſupra omnia unitim ſumpta Sacramentum Sanctiſſimum Euchariſtiæ omnium aliorum in ſe colligit, & includit pulchritudines, ſicut totius univerſi DEUS mirabilia. Ad hoc ut ſuum primum Mobile ordinantur cæteri cæli Sacramentorum.

VI. Et jam ex hucuſque dictis deprehenditur ſuperflua prima interrogatio, quam nobis format Catechiſmus: *Quis inſtituit Sancta Sacramenta? Ipſemet Chriſtus noſter Dominus*; Ille per ſemetipſum.

Non

Non fuit opus exiguum tam immenſa machina, ad quod peragendum non potuiſſent pertingere, licèt omnem ſuam gratiam contribuiſſent, omnes uniti Angeli. Quamobrem, quantumvis fuerint Apoſtoli illi, qui ea publicârunt Eccleſiæ; attamen hi perceperunt ea à noſtra Vita Chriſto JESU, ſicut ante ſuam mortem Sanctiſſimam; ità poſtmodum per illos quadraginta dies ante ſuam Aſcenſionem in cælum, quibus diebus eis ſæpius apparens, ùt dicit Sanctus Lucas Actor. 1. v. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno DEI*, docuit illos eo tempore, ſicut integrum regimen Sacrum Eccleſiæ; ità pariter formas, & materias, quibus adminiſtrare debebant Sacramenta; ità Corn. à Lap. hic.

VII. Nihilominus tamen intelligamus benè, quid hoc velit dicere, quòd Vita noſtra Chriſtus ſit Author Sanctorum Sacramentorum. Vult dicere (oh utinam ſe hìc conſociaret meditatio) vult dicere, quòd non ſolùm illa inſtituerit, mandando ùt Patronus, & Dominus abſolutus, quòd tamen foret beneficium immenſum; ſed illud, quod plus eſt, ſolvendo. Et quomodo? omnibus ſuis meritis infinitis, acquiſitis pretiô tantorum tormentorum, omni ſuo ſparſo ſanguine, ſuâ ipsâmet vitâ, quam in Cruce pro nobis poſuit. Oh quæ ſolutio! oh quis mons divitiarum! Ah ſi hoc pretiô æſtimaret quilibet ſuam propriam animam! *Empti enim eſtis pretiô magnô*, 1. ad Cor. 6. v. 20. Si unicus ſolus actus amoris JESU Chriſti, ſi unica lacryma ſua, ſi unicum ſuſpirium fuit valoris infiniti ratione Divinitatis, quæ hæc elevabat, taliter, ut omnes milliones Angelorum, omnia millia hominum, quantumvis quilibet illorum haberet tantam gratiam, quantam habuit Sanctiſſima Mater JESU: & etiamſi mediante iſta omni gratiâ elicerent actus maximè heroicos omnium virtutum, & hoc abſque ceſſatione per omnem æternitatem; per hæc omnia nunquam pervenirent ad valorem, ad pretium unius ſolius ſuſpirii Chriſti Domini unius guttulæ ſolius Sacro-Sancti ejus Sanguinis ſparſi, quis non erit valor ille omnis ejus effuſi ſanguinis, quale non erit pretium illud tot, & tantorum tormentorum, & tandem vitæ ipſius, & mortis filii DEI? Ecce omnem, & totam iſtam immenſitatem meritorum, totum hunc infinitum valorem nobis, ut noſtrum reliquit, ut nos eô utamur ad noſtrum placitum, ſicut in ſeptem ciſtis, cuſtoditum in ſeptem Sacramentis. Quid eſt hoc? totum capi-

capitale infinitum unius DEI eſt in noſtra poteſtate, ſtat in noſtro velle, ſi illo frui volumus. Quis itaque ultrà dicet, quòd nobis ſit difficilè ad cælum venire? Peccatores, totam & omnem iſtam Miſericordiam infinitam promptam habetis. Juſti, omnem iſtam gratiam habetis in veſtris manibus. Homines ubi habetis rationem, ſi in hoc lucro non excitatur veſtra attentio, ſi non evigilat veſter amor, & non incitatur, ſi non accenditur in flammas veſtra gratitudo?

VIII. Tria, tandem, dicit Sanctus Thomas 3. par. q. 60. art. 3. voluit Vita noſtra Chriſtus JESUS, ut nobis repræſentarent ſua Sacramenta, ut ſigna. Primum: *Signum rememorativum Paſſionis præteritæ Chriſti.* Memoriam præteritæ Paſſionis Noſtri Redemptoris, quæ illa fuit, quæ tanti lucri cauſa eſt. Secundum: *Demonſtrativum gratiæ præſentis.* Et tertium: *Prognoſticon vitæ futuræ.* Illuc itaque aſcendamus per Sacramenta Noſtri Redemptoris triumphantis. Illuc nos conducat Sacramentum Euchariſtiæ, pro pignore enim ſingulari gloriæ illud percipimus.

IX. Sanctus Dunſtanus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, prout refertur in ejus vita ſpec. exempl. verb. Aſcenſ. Chriſti, poſteaquam, ſicut nocte præterita, finiviſſet in ſua Eccleſia cantare Vigilias, remanſit ibidem contemplando triumphum glorioſum, quem hac die ducebat noſter Redemptor. Quæ feſtivitas, & lætitia ibi eſſet in cælo? Quale ſpectaculum inter Angelos? Hoc contemplabatur tantundem tenero affectu, quàm avidô deſideriô fruendi illis deliciis; dum ecce videt intrare per portas Eccleſiæ magnum numerum juvenum pulcherrimorum, qui omnes albis veſtibus induti erant, & coronas aureas in capite geſtabant. Acceſſit eum quidam ex his, & affectuosè illum alloquens: Dunſtane, dixit ei, Chriſtus JESUS te ſalutat, & te invitat, ut modò nobiſcum venias ad concelebrandum ſuum triumphum; nos enim ſumus omnes Cherubini, & Seraphini, qui venimus te ad cælum conducere. Oh quæ invitatio! Sed Sanctus Prælatus, præferens ſuis propriis gaudiis amorem ovicularum ſibi commiſſarum; hodie non poteſt eſſe, reſpondit, neceſſe enim habeo Verbum DEI prædicare meo populo, & debeo illum docere, quomodo debeat aſcendere, ſequendo meum Dominum, ad cælum. Erit itaque dies Sabbathi, repoſuerunt Nuntii cæleſtes, tui

transitûs, dispone te pro illo die. Tali die, hinc migrabis! hoc prædicavit suo populo, sicut potuisset Angelus proponere, valedixit ob suam sequentem mortem cum tenerrimis lacrymis omnibus, decidit immediatè in lectulum infirmus, & ubi Sabbathum advenit, percipiens Sancta Sacramenta cum devotissimis demonstrationibus, & his perceptis, in præsentia multorum, qui illi assistebant, elevatus fuit cum ipso lecto usque ad fornicem cameræ, rursus quietè descendit. Hoc tribus contigit vicibus, & conversus postmodum ad præsentes: jam videtis, dixit illis, iter, quò ego vado; imitemini me, si vultis me sequi, & hoc dicto emisit suam benedictam Animam.

X. Imitemini me, si me sequi vultis, dicit nobis omnibus hodie Vita nostra Christus JESUS; & quandoquidem nobis reliquit in suis Sacramentis omnes thesauros suæ gratiæ, imitemur eum cum illa, ut eum sequamur ad triumphum suæ gloriæ.

INSTRUCTIO II.

De Effectibus admirabilibus, quos faciunt in Anima Sacro-Sancta Sacramenta.

I. INter duos declaratos inimicos nunquam potuit Mundus componere pacem. Non est, nec fuit homo, qui non differat de mediis ad uniendos istos adversarios; non est, qui non studeat inventionibus pro illis componendis, non est, qui non adhibeat tantam diligentiam, quanta illi est possibilis, ut sibi invicem dent manus; nihilominus tamen, postquam tantis annis, & etiam sæculis, in quibus quilibet, & omnes simul homines suis ingeniis, inventionibus, stratagematibus, & artificiis semper procurârunt facere istam pacem; quid est illud, quod consecuti sunt? Hoc jam dicunt, & confitentur desperati, quòd *Honor*, & *Interesse* non possint colligari in uno sacco. In uno sacco? Ego adderem, quòd nec in toto Mundo. Hi sunt illi duo inimici, qui, eò quòd nolint uniri ad invicem, sunt tota afflictio, & molestia humanorum cordium. Dissipat & destruit Honor, quærendo existimationes exteriùs, illud, quod Interesse procurat de decentia interiùs: solvit Honor cum solici-

licitudine & laſſitudine illud, quod vult lucrari Intereſſe cum commoditate, & requie. Accumulat & corradit Intereſſe, Honor diſpergit, Intereſſe reponit omnem ſuam curam in cuſtodiendo, & abſconſione rerum, Honor totam ſuam ſummam in pompis & magnificentiis demonſtrandis, & ſplendoribus. Qua de cauſa Honor perrumpit ſaccum, quem tenebat optimè concluſum, Intereſſe. Apagite, non enim poſſunt ſimul colligari. O Munde! quandoquidem tu non ſcivisti facere, ut illa duo coadunentur in uno ſacco, Filius DEI effecit, ut Honor & Intereſſe ſimul colligentur in uno Sacramento, & in quolibet illorum. Hìc pro certo pro nullo pretio lucramur illud, quod plus valet quàm mille mundi, & ratione ſolius lucri aſcendimus ultrà ipſos cælos. Hoc certè eſt Intereſſe, quia eſt Honor; hoc certè eſt Honor, quia eſt Intereſſe; nam Honor ſinè Intereſſe eſt mendacium; Intereſſe ſinè Honore eſt damnum. Eja igitur quæramus in Sacramentis Intereſſe, quod eſt maximus Honor, & honorem, qui eſt ſecuriſſimum Intereſſe.

II. *Quid ſunt Sacramenta?* interrogat nos Catechiſmus, & reſpondet, *certa ſpiritualia remedia, quæ nos ſanant, & juſtificant.* Præſtant nobis unum & alterum? ſanant nos, & juſtificant? Non ſufficiebat ergo liberare nos ab infamiſſimis vulneribus peccati, ratione cujus jacebamus ſclavi viles diaboli; ſed juſtificando nos, conferre pariter nobis ſupremum honorem filiorum DEI? Quales medicinæ ſunt iſtæ tam prodigioſæ, quæ reſtituunt ſalutem, & conferunt honorem? Trajanum Imperatorem, ob ſingularem generoſitatem, admirantur Hiſtoriæ, quòd, victo in prælio Decebalo Rege Danorum, dum multi ex ſuis militibus fuiſſent vulnerati, & ligaturæ non invenirentur, quibus vulnera obligarentur, immediatè Imperiale paludamentum arripuerit, lacerando pro ligaturis purpuram, & involverit his faſciis plagas ſuorum militum. De Magno Alexandro celebrat Antiquitas, quòd dum vulneratus in crure fuiſſet quidam ſuorum militum vocatus Liſimachus, avidus Magnus Imperator ſanitatis militis, depoſuerit ex capite faſciam, quæ illi formabat coronam, & vulnus militis obligaverit. Dic mihi miles, dic mihi; interrogarem ego illum; quæ medicina eſt iſta, in qua conſiſtit Corona, vel quæ Corona, in qua adeſt medicina? Quid eſt illud, quod plus æſtimas, ſalus quam conſequeris, vel honor quem adipiſ-

ceris? Quòd hoc remedium tibi vulnus curet, vel quòd iſta faſcia te elevet in maximam ſublimitatem honoris? Multum ſatis eſſet, quòd ſolummodò Rex tibi procuraret ſanitatem; quid hoc erit facere, ut ſerviat pro tua ſanitate Regis corona? Remaneat ſanus; hoc ſufficiebat pro felicitate; & remaneat melius coronatus, eò uſque perveniendo, quò pertingit gloria. Sed cui ego hoc dico, Catholici? Illi Barbaro? Non; nam omnis ejus honor fuit ventus, ſicut tota illa corona fuit luſus & recreatio fortunæ. Tu Chriſtiane, qui cum vulneribus mortalibus, qui cum infirmitatibus horribilibus peccatorum accedis ad Sacramentum, ubi non aliqnis Trajanus, vel Alexander, qui jam ardent in inferno; ſed Supremus Rex Cælorum, Imperator Æternitatis, eſt ille, qui ex purpura, non jam ex ſuo pallio, ſed ex ſuo proprio ſanguine, ex propria corona ſuorum meritorum, tibi format faſcias, applicat remedia ad dandam tibi ſalutem. Quæ ſalus, quæ ſanitas eſt iſta tam infinitè æſtimabilis; quis honor eſt iſte ſupra omnem æſtimationem ſupremus! Quæ ſpiritualia remedia, quæ taliter nos juſtificant! Solùm curatio noſtra ab infirmitatibus tam mortalibus, quales ſunt culpæ noſtræ, non habet pretium quô æſtimari poſſit. Dicat hoc aliquis ex Potentiſſimis, qui jam in faucibus mortis ob certam infirmitatem deſperatam ſe videt. Quid non ſolveret, ut ſe liberum videret? De quodam Pictore refertur, quòd ſopore obruto in campo intraverit per os vipera, tandem penetraverit ad viſcera. Evigilat hic miſerabilis quibus cum anxietatibus? quibus cum anguſtiis? cogitate vos. Quid faceret ad ſe à tali malo liberandum? & quid vos faceretis, ſi in ſimili periculo vos videretis? Quæ remedia, quæ expenſæ? totum veſtrum capitale vobis nihil videretur ad expellendum tam infamem & venenoſum hoſpitem. Modò expectate. Certus quidam Medicus ſapiens curavit illum per pedes ſuſpendi, ponendo illi os immediatè ad concham lacte plenam, & ad odorem lactis vipera eô ipsô momentô prodiit foras, & illum liberum reliquit. Tantum venenum cum tanta ſuavitate? per lac liberatur à tam mortali peſtilentia? Admirabile remedium! Ità eſt: ſed contra malum infinitè terribilius celebrate melius remedium in Divinis Sacramentis, vi cujus vipera venenoſiſſima peccati exit ab anima, & nos relinquit liberos, præparatum ori, non concha lactis, ſed ipſiſſimus Sanguis effuſus Filii DEI.

Ità

Ità tanta cum ſuavitate remedium nobis adferunt Sacramenta; ità cum tanta dulcedine nos ſanant.

Attamen *quô modô nos juſtificant?* proſequitur Catechiſmus; III.
conferendo nobis gratiam interiorem per ſigna exteriora. Hoc eſt totum eſſe Sacramentorum. Sacramenta, definiunt Doctores; ſunt certa ſigna viſibilia, & externa inviſibilis gratiæ, quam operantur & cauſant in Anima. Ità proportionavit Dominus ſua beneficia; tali modo ut noſtris oculis illa exteriora ſigna notificent id, quod noſtra Fides debet videre in anima, in interioribus, admirabilibus, & Divinis effectibus. Videmus illic fumum, & ſinè alio ſigno, dicimus, ibi eſt ignis. Quare? Quia hoc nobis notificat illud ſignum naturale. Audimus campanam, tali vel tali hora ſonantem, vel tali pulſu, & immediatè dicimus: ſonat ad Concionem, vel compulſat pro Miſſa. Quomodo hoc ſcis? Quia ſonus iſte me ducit in notitiam, ad quid ſit ab hominibus inſtitutus. Pariter DEUS inſtituit hæc ſigna excelſiſſima, ut per illa recognoſcamus infinitum beneficium ſuæ gratiæ, quam nobis dat in ſuis Sacramentis; in quibus dum conjunguntur res cum verbis, quod illud eſt, quod dicunt Theologi materiam & formam, faciendo integram ſignificationem, nobis repræſentant in quolibet Sacramento cum illorum proportione ſimilem gratiam, quam nobis confert. In Baptiſmo aqua lavat corpus; iſta eſt materia; attamen dum poſtmodum adjunguntur verba, quæ faciunt formam, non jam continet ſe in corpore iſtud lavacrum Divinum, ſed nobis indicat, quòd faciat puram & purgatam ab omnibus ſuis maculis Animam. Ità in Pœnitentia, confitemini peccata, quæ ſunt materia, dum ſuperadditur abſolutio, quæ forma eſt, nobis repræſentat, & operatur interiorem felicem libertatem, quâ DEUS nos facit liberos à peccatis, reſtituendo nos & recipiendo in ſuam amicitiam; & ità in aliis Sacramentis. O ſigna fortunatiſſima! quæ non ſolùm ſignificant, ſed etiam hoc ipſum operantur, quod ſignificant. Significant gratiam, & eandem operantur, tam ineffabili certitudine, ut ſi ex parte noſtra non ponimus obſtaculum gratiæ, nunquam intermittat DEUS illam nobis dare in Sacramentis. Oh! punctum iſtud eſt de Fide, ſcrupuloſi, eſt de Fide, quòd ſemper, ſemper conferant gratiam certiſſimè, & infallibiliter Sacramenta, ſi in anima non inveniunt obſtaculum. Et quale obſtaculum

eſt illud, quod impedit? dicam illud in altera inſtructione cum commoditate; ſed illud, quod ſcio, eſt, quòd non ſint ſemper obſtacucula veſtri ſcrupuli, ratione quorum vos vultis privare tantâ gratiâ.

IV. Et nunc, creditis forſitan vos, quòd non facoret cum infinita ſuperabundantia & exceſſu Omnipotentia illud, quod in ſuo modo potuit conſequi humana induſtria? Quid eſt videre artificium, quod in aliquo horologio per rotulas deſignat motus cælorum? Quàm quieta, videtur acſi ſe non moveret, linguula! Eh videte illam! *cum cælo immota movetur.* Iſta, quam quantò attentius conſideratis, videtur, quòd non moveatur, cum toto cælo contendit currere; pergit aſſequi paſſus maximi Planetarum; aſſequitur tandem & demonſtrat. Quid demonſtrat? duodecimam horam; & quid ſonat intus campanula? duodecimam horam. Datúrne quid ſimile? Monſtrat foris id, quod intus ſonat; monſtrat horam duodecimam, & ſonat duodecimam. Modò elevate veſtrum viſum ad meliorem indicem Amoris Divini in Sacramentis. Hic certè multò melius abbreviamus cælos monſtrando illud, quod dant, & dando illud, quod monſtrant, tali modo, quòd prius defecturi ſint cæli, quàm hic Index Divinus fallat. Signant exterius, ut vidimus, gratiam, & infinities fixiùs præ horologio, conferunt gratiam in anima. Ità Beata Maria Ogniacenſis vidit, dum Baptiſmus cuidam infantulo conferretur, elongari ab illo eò ipsò momentò cum fuga ferociſſimum diabolum, & deſcendere ſupra infantulum inter pulcherrimos ſplendores Spiritum Sanctum. quem circumdabant exultantes Angeli. Ità dum ordinaretur Sanctus Remigius, viſus fuit de cælo deſcendere radius elegans, & lucidus, qui innitens capiti ipſius illud ut ſolem effecit luminoſum, & inventum eſt etiam caput Sancti unctum oleo de ſurſum. Sed ad quid citò miracula pro noſtra Fide? ſufficit, quòd DEUS hoc dicat.

V. Nihilominùs tamen, ad nos magis erudiendos, interrogat Catechiſmus: *Quomodo poſſunt nobis conferre gratiam ſigna exteriora?* Modicum aquæ, cum aliquot verbis, quæ aquæ uniuntur, quomodo poteſt habere virtutem tam prodigioſam, ut capax ſit nos mundandi à culpa? Certa verba; quid ſunt plus quàm verba? quomodo poſſunt eſſe ſufficientia ad conferendam nobis gratiam? Scitisne quomodo? reſpondet Catechiſmus: *Per merita Chriſti Domini noſtri*

ſtri applicata in ipſis. Quamobrem non eſt hoc (illud eſt certiſſimum) propter iſta ſigna exteriora. Non eſt propter illum, qui illa ponit, vel qui illa profert, ſit ille quiſcunque velit, nullus enim, qui DEUS non eſt, hoc obtineret. Non eſt propter illum, qui ea recipit; ſed quia his exterioribus ſignis reliquit Chriſtus noſtra Vita alligata omnia ſua merita. Reliquit jam peractam ſolutionem, peractum pretium, reliquit operatum remedium, hoc ſolummodò ſuppoſito, ut ponantur iſta ſigna. Hoc eſt conferre Sacramenta gratiam *ex opere operato*, ùt dicunt Theologi. Cum Chriſtus fecerit jam omnes expenſas, in virtute ſuorum meritorum, reliquit in Sacramentis efficaciam infallibilem conferendi gratiam, ſi non inveniant obſtaculum in anima: *Venite*, clamat Iſaias cap. 55. v. 1. raptus in viſione tam pretioſorum & excelſorum Myſteriorum, *venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Absque argento, & emere? quomodo hoc? ubi eſt emptio ibi debet adeſſe pecunia. Forſan erit per commutationem? Minus: *& abſque ulla commutatione:* Quomodo ergo poteſt eſſe emptio, ſi nullum expendatur pretium? Quia jam eſt ſolutum.

Explico me, prout poſſum, in puncto tam delicato, hoc exemplô. Fingite, quòd in aliqua penuria quidam Eleemoſynarius miſerit viginti millia florenorum alicui Piſtori, dicendo illi hanc eſſe anticipatam ſolutionem; & ut omnibus pauperibus, qui adferrent ſchedam meam talibus verbis ſignatam, tantum de pane daret. Jam quæro, dàtne pauperibus donô illum panem Piſtor? Certè non; emit illum. Quomodo illum emit cùm nihil exponat? Hoc eſt verum; ſed adfert ſchedam. Jam potéſtne iſta ſcheda valere tantum quantum datur? Scheda ſola per ſe non valet; attamen ſcheda cum antecedente ſolutione facta, hoc valet. Jam eſt ſolutum dicet, & bene dicet. Tali modo, nec ſcheda ſola valeret quidquam ſinè ſolutione illa antecedenter facta, nec illa ſolutio juvaret pauperem, ſi non apportaret talem ſchedam. Jam ad caſum. Omnia exteriora ſigna Sacramentorum, in ſe ſolummodò conſiderata, nihil poſſent, nihil efficerent, nihil nobis prodeſſent, ſi non eſſet ob illam ſolutionem immenſam quam antecedenter fecit noſter Redemptor ſuis meritis, & ſuô ſanguine, alligando iſtis ſignis, his Sacramentis lucrum feliciſſimum ſuæ gratiæ; idcirco unita illi immenſæ ſolutioni VI.

iſta

iſta ſigna, operantur in anima gratiam, faciunt animam Filiam DEI, Amicam DEI, & Hæredem DEI, Templum Spiritûs Sancti, Habitaculum totius Sanctiſſimæ Trinitatis, Primogenitam gloriæ, Amorem omnium Cælorum; Lætitiam omnium Angelorum. Quod totum, & infinities plus continetur in gratia ſanctificante quam illi dant; & ptæterea illi aggregant totum cumulum elegantem donorum ſupernaturalium, & virtutum infuſarum.

VII. Sed præter hanc gratiam, quæ eſt illa, quæ juſtificat Animam, qui eſt principalis effectus omnium Sacramentorum, habent etiam pro effectu quodlibet ex Sacramentis aliam ſpecialem gratiam, quæ eſt illa, quam ſolemus vocare gratiam Sacramentalem. Soletis perpendere ut plurimùm, quòd ſe invicem ament duo Conjugati. Ah quàm feliciter tales vivunt! Eſt hæc gratia Sacramenti, dicimus, & benè. Iſta gratia itaque ſunt certa ſpecialia auxilia, quæ in quolibet Sacramento obveniunt illi, qui id recipit, & DEUS illa dat ſemper, dum advenit occaſio, quod illis egeamns. Baptizato dantur ſpecialia auxilia, vel ut conſervet, vel ut procuret recuperare optimam vitam Animæ, quam in Baptiſmo accepit. Confirmato dantur ſpecialia auxilia, nè ipſum pudeat actionum Chriſtianarum. Qui confitetur, dantur ſpecialia auxilia, ut non patiatur recidivam in culpas: & ſic de aliis. O gratia Sacramentorum, cur te non lucramur! DEUS eſt paratus nobis plenis manibus illam diſtribuendi, & nos tam manibus vacuis illam diſſipandi? Ah Catholici, & quæ erit reddenda ratio!

VIII. Pro ultimò, tria Sacramenta habent præter gratiam alium ſpecialiſſimum effectum, qui eſt, quòd imprimant in anima certum ſignum, notam, ſigillum, quod nunquam delebitur in anima quamdiu illa durabit; id eſt per totam æternitatem. Hoc ſignum in anima impreſſum, eſt character. Et hunc imprimunt ſolummodò hæc tria Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo; & ideó iſta tria non poſſunt reiterari, & unica tantum vice percipiuntur; quia in iſta ſola perceptione jam nobis relinquunt in anima ſignum. Oh DEUS! vel erit nobis nota majoris noſtræ infamiæ in inferno, vel erit ſignum reſplendens noſtri æterni honoris in cælo: *In bonis*, dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 63. art. 3. *ad eorum gloriam, & in malis*

ad eorum ignominiam; in his, qui vicerunt ad gloriam, & in his, qui sunt victi ad pœnam.

In vita prodigiosi Amatoris DEI & animarum, Sancti Philippi Nerii refertur, quòd dum eum visitâsset quidam Juvenis solummodò sedecim annorum, in vestitu sæculari (accidit hoc antequam publicata fuissent Decreta Sacro-Sancti Concilii Tridentini) Sanctus Senecio eum allocutus fuerit cum affabilitate, ut solebat, dicendo illi: Dic mihi veritatem ô Juvenis, ésne tu Sacerdos? Ille turbatus, & erubescens fassus est se talem esse; sed quod incederet in tali habitu, causam esse, eò quòd ordinatus esset contra omnem suam voluntatem, & quasi coactus à suis Parentibus, qui curârunt illum ordinari, ut frueretur certis proventibus valde copiosis. Ah Parentes, qui facitis lucra ex Ecclesia! Reduxit illum Sanctus in bonum statum. Attamen, quomodo cognovit, interrogabitis, quòd Juvenis sedecim annorum vestitus more sæcularium, esset Sacerdos? Ipsemet Sanctus hoc dixit Cardinali Francisco Maria Tarugio, se hoc cognovisse ex charactere, quem videbat resplendere in fronte Juvenis. O signum! quod in Baptizatis omnibus, in Confirmatis, in Ordinatis per suam pulcherrimam distinctionem resplendet in quolibet, & scintillat, vel pro æterno honore, vel pro æterna infamia. IX.

Iste est honor, Dilectissimi mei, & hoc est lucrum immensum, hæc duo sunt, quæ habemus in Sacramentis. Quomodo illa æstimamus? Quomodo Christo pro his sumus grati? Ingus Rex Vandalorum, refert Æneas Sylvius cap. 20. Eur. cum Catholicissimus esset, optabat ut tales etiam forent sui Vasalli omnes; quia, quantumvis fuerint jam Christiani omnes Plebei; Principes, & Magni Domini non erant tales. Et quid non fecit Rex? Instituit magnum convivium: invitat omnes Grandes & Principes sui Regni, & invitavit pariter vilissimos & despicabiles de plebe. Advenit dies assignatus, invitati se stiterunt; quem locum itaque habuerint pauperes & abjecti Christiani in conspectu tantorum Principum? hoc vobis dicam. Ad portam Palatii illic in Cortili seu Cavædio curavit Rex præparari certas mensas, exiguè ornatas, & ibi, ut sederent Principes, mandavit & Grandes Regni; mandavit ut solummodò providerentur modico pane, sicco & duro, modicâ carne insipida, & fœtente, & hæc, & vinum debebant illis porrigi in scutellis & X.

vasis fictilibus, & quidem ex crassissima materia. Quid interim dispoſuit de Plebeis? Hos fecit ascendere secum Rex in suam Pinacothecam, sedit cum illis ad mensam, fecit illis convivium magnum de exquisitissimis cibis, curavit pariter illis ministrari omnia in vasis argenteis, aureis, & lapidibus pretiosis. Exortus est immediatè fremitus, & querelæ Principum, Dominorúmque omnium. Et tunc Rex: Ego, dixit illis, ego facio æstimationem Animarum, & non corporum. Vos quantumvis Principes, habetis animas vilissimas propter vestras culpas. Isti quantumvis plebei, attamen quia lotæ sunt animæ illorum aquâ baptismali, sunt in oculis DEI pretiosiores & æstimabiliores præ omnibus vobis. Suffecit hoc, & eô ipsô punctô omnes illi Principes sunt Catholicam Fidem amplexi.

XI. Oh utinam sufficeret, & nos etiam faceremus summam æstimationem de illo, quo fruimur in Sacramentis, in quibus assidentes mensæ Supremi Regis Cælorum, habemus lucrum infinitarum Divinarum delitiarum, & gaudemus honore supremo, quem nobis in illis largitur mediante suâ gratiâ.

INSTRUCTIO III.

De Dispositione, quâ debent suscipi Sacramenta, Fit etiam Exhortatio ad illorum frequentiam.

I. Si me quis interrogaret, quænam res facillima sit in mundo, absque minima dilatione & mora dicerem, esse accipere beneficium, & tantò facilior, quantò beneficium majus est. Jam cùm res sic se habeat; quomodo igitur quilibet non recognoscit dona, & beneficia DEI, reducta in talé despectum apud nos, ut non velimus illa acceptare? Inter homines videmus, quòd ad dona & conferenda beneficia ponantur & obtrudantur excusationes, & allegentur difficultates: sed quòd pro recipiendis allegentur impedimenta, & etiam quandoque fingantur impossibilitates, solummodò cum Divinis donis hoc succedit. Oh, quæ æmulatio ex una parte tam benigna, & oh, quæ obstinatio ex altera parte tam ingrata! Incutit horrorem solummodò, si id dicatur; jam quid erit, si fiat?

ſi fiat? Non capit intellectus tam improbam ingratitudinem. Melius dixero, non capit maximè irrationabilis ſtolida brutalitas. Accurrit canis ad panem, qui illi offertur; movet ſe tarditas jumenti ad herbam, quæ illi proponitur; & homo ſe non movet ad integrum cælum, quod illi DEUS gratis dat? Quid eſt hoc, natura humana, quæ aſcendis adeſſe paulò minùs præ Angelis, & vis eſſe minùs præ brutis? Quis offeret infirmo ſanitatem, ut illam non acceptet? Quis pauperi juvamen, qui, nè illud accipiat, iraſcatur? Quis afflicto conſolationem, quam ille reſpuat? Quis captivo libertatem, qui illam recuſet? Quis mercatori lucrum, qui illud deſerat? Quis ambitioſo honorem, cui ille repugnet? Et quis omnibus beneficium, commoditatem, guſtum, quem non immediatè omnes complectantur? Jam, ſi hæc omnia, & infinites plura, ſunt illa, quæ DEUS nobis offert in ſuis Sacramentis, ſi hoc ità cognoſcimus, ſi hoc taliter confitemur, quare ergo tot excuſationes allegantur ad illa differenda? Quare tantæ impoſſibilitates finguntur ad illa non percipienda? Vileſcunt forſitan favores DEI, eò quòd tam faciles ſint acquiſitu? Hoc corroborat tantò magis cor ad illos quærendos: Perduntur, eò quòd ità ſint ſecuri? Hoc magis movet voluntatem ad illos conſequendos. Non ſunt in pretio eò quòd ſint immenſi? Hoc multò magis excitat totam cupiditatem ad illos theſaurizandos. In quo ergo conſiſtunt excuſationes ad eos percipiendos in Sacramentis? Oh, dicetis mihi, in hoc conſiſtunt, quòd opus ſit ſe benè diſponere ad recipienda cum fructu Sacramenta! *Neceſſarium eſt*, dicit nobis Catechiſmus, *eſt neceſſarium percipere Sancta Sacramenta cum bona diſpoſitione? ità, quia ſinè illa non percipietur gratia.* Ità eſt; quoad hoc nullum eſt dubium. Qualis eſt ergo iſta bona diſpoſitio? & in quo conſiſtunt hæ difficultates? Iſta erunt duo puncta præſentis Doctrinæ. Oh utinam pro expellendis ex veſtra imaginaria deceptione his difficultatibus phantaſticis modum inveniret mea lingua hodie! Oh, utinam ad introducendam in veſtra corda magnam facilitatem hujus bonæ diſpoſitionis foret perſuaſiva mea vox, ut per frequentiam horum fontium Divinorum gratiæ non ceſſaremus accumulare bona, quæ nullum ſunt habitura finem, theſauros, qui futuri ſunt æterni!

II. Non multum expeteret, qui volens distribuere hodie granum, vel fruges cum generositate pauperibus juxta eorum voluntatem, nihil aliud ab illis expeteret, præterquam ut ex domibus suis apportarent mensuras magnas, vel parvas, prout ipsimet vellent; attamen cum tali conditione, ut illas apportarent vacuas, quatenus easdem pro se possent implere. Quis pauperum conquereretur contra talem legem? Cui res videretur esse difficilis? Ecce hoc est illud, quod DEUS à nobis expetit in dispositione ad Sacramenta; ut nos apportemus mensuras. Et quas mensuras? Oh DEUS! *Dilata os tuum, & implebo illud*; Psal. 80. v. 11. Omnes mensuras cordis; oh quàm grandes sunt! Attamen ut sint sinè impedimento culpæ. Veniant vacuæ, & redibunt plenæ. Non impleat peccatum cor, ut illud gratia repleat. Et cùm ità sit, aperi os tuum ô homo, extende quantum assequi possunt desideria, dilata quousque possunt se dilatare tuæ aviditates. Et ista erit mensura lucri: ad petitionem oris, ad mensuram desiderii. Oh DEUS amorose! Quid est illud, quod quæris? & quid est illud, quod nobis das? Non quæris mensuram pro nostro desiderio illius, quod nobis vis dare? Jam hoc quis non videt, quod sit plus dare nobis eo ipso quàm nos quæramus. Dedit Alexander cuidam militi suo in præmium, nescio cujus virtutis & valoris unam Civitatem integram. Et ille angustiâ pressus, & se affligens hoc audiendo: Rex, hoc est nimis multum pro me. Apage, reposuit Alexander, ego non attendo in illo, quod dono, quisnam tu sis, sed ad id, quis ego sim. Tu te vilipendis, & imminuis ut miles gregarius, ego dono ut Alexander: *Non quæro, quid te accipere deceat, sed quid me dare*; Sen. l. 2. de Benef. c. 16. Arrogantia præsumptuosa, & stulta, quæ solummodò in DEO est summa veritas. Quid angustiaris Anima? quid te affligis? quid te coarctas? quid te retrahis? non enim mensuratur Magnitudo & Majestas DEI ex tua mendicitate, ut tibi det, non civitatem terrenam, sed integra Regna Gloriæ. Eja ergo aggrediamur per veritatem Fidei eruere conclusiones certissimas in materia summi momenti, tam infiniti lucri, prout est frequentia Sanctorum Sacramentorum.

III. Stabilivi jam ut veritatem Catholicam, & Fidei, quòd Sancta Sacramenta, quantum est ex parte illorum, semper, semper cum infal-

infallibili certitudine dent illi, qui ea percipit, gratiam, ſi non inveniunt in anima obſtaculum; ità, ut ſi ſit Miniſter legitimus ille, qui ea confert, & habens debitam intentionem, applicet pariter debitam materiam & formam, etiamſi foret ità ſceleſtus ùt Judas, etiamſi ſit in peccato mortali conſtitutus, etiamſi hæreticus exiſtat, non intermittit ob hoc ille, qui percipit Sacramentum percipere gratiam; quia ipſemet DEUS eſt ille, qui hanc confert, & illam producit, & ſolummodò eſt ejus inſtrumentum Miniſter, qui illud, nimirum Sacramentum, conficit, non per ſe, ſed in nomine, & Perſona DEI. Non conſiſtit productio plantæ in ſeminatione ab iſta vel illa manu, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat*, dicit nobis Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 3. v. 7. ſed in hoc, quòd DEUS illam, qui eſt Dominus, producat, fœcundet, vivificet: *Sed qui incrementum dat DEUS.* Jam itaque ex parte DEI habemus ex toto infallibilem certam & ſecuram gratiam in Sacramentis, eſt hoc de Fide. Ex parte Miniſtri, de quo poſſet eſſe aliqualis timor, eſt etiam de Fide, ejus indignitatem, & peccata non diſturbare perceptionem gratiæ in Sacramentis. Quid itaque eſt illud, quod nobis remanet? Ut non adſit in anima obſtaculum: O Pater! hoc eſt illud punctum, quòd dentur tot obſtacula, & iſta ſunt illa cauſa, quæ me retrahit à perceptione hujus infinitæ felicitatis, quam habemus in Sacramentis. Tot obſtacula! qualia ergo ſunt, ego enim nullum video? In quo conſiſtunt, dum ego illa non invenio? O animæ deceptæ, & ſeductæ, atrendite, & audite me.

IV. Qualis debet eſſe diſpoſitio totalis, & neceſſaria, ut dignè percipiamus Sacramenta, & quæ per conſequens non relinquat obſtaculum in anima ad percipiendam in illis gratiam? Attendite, quia reſpondeo ad tam gravem interrogationem, non jam cum ponderationibus, & exaggerationibus, ſed cum Doctrina Chriſtiana, veritate pura, & firma, ſolidis, & certis dogmatibus. Certum eſt, quòd in infantibus, in illis qui non habent uſum rationis, dum baptiſmum percipiunt, nulla opus ibi ſit diſpoſitione ex parte illorum, quia totam illam ſupplet intentio, & Fides Sanctæ Matris Eccleſiæ. Loquamur itaque de jam majoribus, qui jam excreverunt, & habent uſum rationis, & declaremus rem, quia certa Sacramenta non currunt, quantum ad diſpoſitionem ſpectat, æqualiter cum aliis.

Iſta ſunt Baptiſmus, & Sacramentum Pœnitentiæ, quæ tendunt ad tollendum peccatum, & ad dandam gratiam, & idcircò iſta duo vocantur Sacramenta mortuorum: quia inveniendo nos mortuos ob peccatum, dant nobis vitam gratiæ. In iſtis duobus debita diſpoſitio eſt, primariò intentio illa percipiendi: hoc eſt in omnibus Sacramentis neceſſarium, habere Fidem & ſpem lucrandi in illis gratiam, & poſtmodum dolere de omnibus peccatis per attritionem: non eſt obligatoria hic contritio, dolor ex toto perfectus, non; poſſet enim dicere, quòd hoc ſit difficilè, quòd ſim in dubio, an illum habeam, quòd non poſſim ſcire, an ſit vera contritio, vel non; non itaque: nè timores remaneant, nè dubia affligant, nè ſcrupuli inquietent. Suffleit dolere de peccatis ob illorum propriam turpitudinem, abominari illa ob illorum horribilem fœditatem, & feritatem cum propoſito illa amplius non committendi, vel ob timorem inferni, qui propter ipſa nos expectat: iſta eſt attritio; & hæc debet intervenire in utroque Sacramento, Baptiſmi videlicet, & Pœnitentiæ; ſed præterea in Sacramento Pœnitentiæ opus eſt omnia peccata confiteri, ità ut nullum ex propoſito taceatur, & ex malitia aliquod peccatum mortale omittatur. Et iſta eſt tota diſpoſitio? tota, & hoc facto non aderit aliquod obſtaculum ad percipiendam gratiam? nullum. Ubi ſunt itaque nunc veſtra obſtacula habere intentionem, habere Fidem, habere Spem. Ubi hìc adeſt obſtaculum pro Chriſtiano? Abominari peccatum? Ipſamet ratio, peccati ipſamet turpitudo, & damna, quæ ex ipſo ſequuntur, hoc perſuadent. Timere infernum? Sed quæ beſtia erit, quæ illum non timeat? Confiteri culpas cum tam ſummo ſecreto, quod eſt, acſi dictæ non fuiſſent, pro recuperanda, ſinè aliis omninò expenſis, ex integro ſanitate, puritate; ut fiamus filii DEI, & hæredes gloriæ, Domini cæli, conſortes Angelorum? Quæ facilitas eſt iſta tam admirabilis, ad conſequendam felicitatem, divitias, & honorem, qui eſt immenſus? Domine etiamſi petiiſſet Eliſæus, dicebant Naamano pleno leprâ ſervi ſui, etiamſi tibi mandâſſet, ut ſumeres medicamentum terribile, magni doloris, & moleſtiæ, nunquid illud ſumpſiſſes, ut ſanitatem recipieres? nunc quantò magis & meliùs, dum tibi dixit rem tam facilem? lavare, dicit, & nihil plùs, & mundaberis. Sufficit hoc, ut intentum ſuum mutaret, & ſe convictum daret. Itaque

que quæ dilationes ſunt iſtæ, quæ procraſtnationes ad confeſſionem peragendam? Remedium tam facilè contra malum infinitum, confiteri peccata; quam difficultatem igitur potes interponere, ſi non es pejor ipſomet diabolo? Acceſſit confiteri peccata ſua, certum Parochum, ùt refert Cæſarius, quidam juvenis venuſtæ affabilitatis; cœpit confiteri tanta, tam abſurda, tam enormia peccata, ut jam nauſeâ repletus Parochus: Homo, quantumvis, dicit illi, vixiſſes mille annis, eſſet exiguum tempus pro hoc, quod tu confiteris. Reſpondit ille, plus quàm mille annos ætatis ego jam habeo; Plus quàm mille annos? Et quis es tu? Ego ſum diabolus. Tu, & confiteris? A quo tempore hoc facis, & quouſque? Quid te ad hoc commovit? Ego hoc dicam: Stabam ego illic conſiderans illos, qui accedebant ad confitenda peccata, videbam illos in acceſſu tam abominabiles, & tam turpes, prout ego me ipſum video; verùm dum à tuis ſurgerent pedibus, redibant tunc tam pulchri, tam venuſti & elegantes, ut propiùs huc acceſſerim audire id, quod dicebant; & illud, quod tu illis dicebas, quod erat promittere illis remiſſionem omnium commiſſorum peccatorum. Et ſic volens experiri, an mihi etiam hoc poſſet ſuccedere, veni huc, & dixi etiam aliquam partem meorum peccatorum, & confitebor tibi omnia illa, ſi vis me audire. Siſte infelix: dic tu nihil plus præter hoc: Creator meus, quia de malè factis contra Te, doleo, ignoſce mihi. Hoc ego non dicam. Recede itaque tu canis infernalis. Et tu vir, & tu mulier, vide, an mihi hoc ipſum non reſpondeas, an non ſis pejor diabolo, poſtea quam perſpicis per Fidem iſtam fortunam, & cùm res ſit tam facilis, differs vel planè fugis hoc Sacramentum. In quo reponis difficultatem, ſi illam non reponis in eo, in quo eandem collocaverat diabolus?

V. Et modò, qualis eſt illa diſpoſitio, quæ ſufficiens, eſt pro aliis quinque Sacramentis? Dicuntur Sacramenta vivorum, quia inveniendo nos vivos per gratiam, illam nobis adaugent; & jam pro hoc reſpondi. Tota diſpoſitio, ad quam nos obligant, eſt, habere intentionem illa percipiendi, Fidem, Spem, conſequendi gratiam, & eſſe in gratia dum illa ſuſcipimus; ſit pariter anima ſinè conſcientia peccati mortalis. Et non plus? nulla alia eſt obligatio; tali modo (relinquendo nunc alia Sacramenta) ad percipiendum dignè Ssnctiſſimum

ſimum Sacramentum Altaris, ut nobis in anima augeat gratiam, ſufficit ſolummodo antea confeſſum eſſe, qui ſe ſentiebat in peccato mortali? Sufficit. Et ſi peccatum mortale non invenitur in anima, non datur aliud obſtaculum pro gratia? non datur aliud. Jam ubi ſunt, animæ ſcrupuloſæ, omnia illa veſtra obſtacula? Oh puritas, quam requirit hoc Altiſſimum Sacramentum. Hoc eſt conſilii, ut illam ex toto procuretis, non eſt obligationis; nam non poſſent conſequi illam nec quidem Angeli, ſi deberet eſſe puritas proportionata ad illud, quod ibi percipitur. Oh, attentio, ſolitudo ſumma, reſpectus, reverentia, quæ debetur DEO Sacramentato. Omnia hæc, eſt valdè juſtum, ut procuretis mediante omni & tota veſtra cura. Attamen hoc non eſt præcepti, ut vos hæc res conturbet, nam non poſſent hoc exequi totaliter nec quidem etiam ipſi Seraphini. Anima cognoſcisne in te peccatum mortale? Non; nihil ergo tibi oaſtat.

VI. Oh, habeo tantam tepiditatem, tam exiguum fervorem, ità congelatum ſpiritum, ut ſe non excitet ſaltèm ad unicum actum amoris DEI; ſicut ego vellem: & ultimatè cum tam exigua devotione meliùs eſt, ut ſacram intermittam communionem. Oh deceptionem tam perniciosam, in qua tu tantum perdis, & tam gravem irriſionem obtinet de te diabolus. Quis tibi dixit, quòd, quia non habes illum fervorem ſenſibilem, illam teneritudinem, illas lacrymas, quas deſideras, ob hoc non percipias ex Communione fructum valoris infiniti? Nihil horum te diſturbat pro percipienda gratia: *Quando tu*, dixit Dominus Beatæ Baptiſtæ de Verana; ut ſcribit Lancit. opus de milit. *Quando tu cum fervore, teneritudine, & lacrymis ſtas in mea præſentia, etiamſi mihi aliquid ſolvas, attamen propter illam ipſam conſolationem quam percipis, oneras te novo debito; ſed quando ſinè devotione ſenſibili, ſicca, & tepida, nihilominus me quæris, tunc omninò ſolvis mihi melius id, quod mihi debes.* Non dependet, ô animæ, gratia Sacramenti, ab habere vel non habere has teneritudines, lacrymas, iſtos fervores. Sentis te tepidam? dic itaque æterno Patri illud, quod in ſimilibus occaſionibus illi dicebat Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus; *Domine, Filius tuus venit ad me, & ego neſcio quid illi debeam dicere; dic tu illi, te rogo, dic illi tu iſthic totum quantum ego illi dicere deberem; nam ego ſi lummodo*

modo reſpondeo toto corde meo, amen. Invenis te ſinè fervore? Audi itaque, & exequere illud, quod dixit Dominus Sanctæ Mechtildi: *Quando debes percipere ſacram communionem, deſidera ad honorem mei nominis habere omne deſiderium, & amorem, quô arſit aliquo tempore erga me accenſiſſimum cor, & ſic potes accedere menſam meam, ego enim recipiam illum amorem ſicut tu illum deſideras habere.*

VII. Etſi tepiditati uniantur pugnæ tentationum, cogitationum, inquietudinum, & tanta conquaſſatio, quomodo poſſum accedere ad ſacram communionem? propter hoc ipſum. Tunc eſt, quando ſtas multò meliùs diſpoſita, vel, ut oppugnata, ad quærenda arma, vel, ut infirma, ad procurandum remedium, vel, ut periclitans, quatenus DEUS tibi ſuam porrigat manum, vel ut poſita in uſtrina ad magis placendum DEO ob tuam oppugnatam puritatem. Similes tentationes patiebatur graviſſimas contra Fidem, dum accederet ad communionem, Sancta Catharina Bononienſis, & Dominus, intuendo illam dixit: *Filia, majus meritum acquirit anima, quæ, ſuſferendo, & rejiciendo tales aſſultus, me percipit, quàm ſi me perciperet cum multa quiete, ſuavitate, & dulcedine.* Quid clarius? Jam ego hoc bene video. Sed ſunt nimis multæ meæ imperfectiones, & etiamſi non ſentiam in me peccatum mortale, multa tamen habeo venialia, & modò cogitationes ad curas diſtractæ, modò ad maritum, ad proles, non ſinunt me habere tam quietam attentionem. Nihilominus tamen repeto dicere, quòd nihil horum ſit obſtaculum, quod te impediat à perceptione gratiæ in Sacramento; ità D. Th. 4. p. q. 79. art. 8. Suarez, & communiter. Accede igitur accede; DEUS enim te vocat, DEUS te invitat, & occlude aures ad ſibilos deceptorios inferni, ad dicta inſipida ignorantium, & ad indignos reſpectus Mundi, & ejus ſequacium.

VIII. Certo quodam die infrà octavam Corporis Chriſti Domina Anna Ponsdeleon, Comitiſſa de Feria, Domina multò plus clara ob ſuas magnas virtutes, quàm ratione ſui heroici Sanguinis, refert noſter Martinus de Roa in ejus Vita, ſtabat in anteriore parte ſui Palatii, quæ pars proſpiciebat ad Eccleſiam Sanctæ Claræ, videns tranſire proceſſionem cum Sanctiſſimo Sacramento, non fuit attenta ad vanam curioſitatem, ſed rapta tota in fervorem devotionis (erat enim extremè amantiſſima hujus ſupremi Myſterii) advenit

monſtrantia, & illa figendo oculos in Hoſtiam conſecratam, & Fidem totam in Dominum qui veniebat in illa, audivit, quòd illinc diceret illi ſua Majeſtas hæc verba: *Meo corpore, & ſanguine ſuſtentavi vitam tuæ animæ, & per hoc te conſervavi prout Ethici ſubſtantiis; Aperi mihi tuum cor; volo enim in illud intrare ad requieſcendum in eo.* Attonita remanſit Comitiſſa ad verba tam dulcia, & immediatè vidit venientem noſtram Vitam Chriſtum JESUM verſus ſuam animam ut ſalientem in montibus, & tranſilientem colles; *ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Cant. 2. v. 8. Senſit ſe immediatè repletam inexplicabili dulcedine. Ità illa hoc confidit ſuo Confeſſario Magiſtro Joanni de Avila, interrogando eundem, quid ſibi vellet ſignificare Dominus per hunc modum veniendi ſaliendo? Et reſpondit Apoſtolicus vir: Hoc eſt Dominum tranſilire tuas culpas, & diſſimulare tuas imperfectiones, ut perveniret ad uniendum ſe cum tua anima; hoc eſt velle, ut illum frequentiùs in Sacro-Sancto Sacramento percipias.

IX. O ſi tali modo ſpectâſſent multi Proceſſiones! Sed cùm non ſic illas viderint, omnibus nobis idipſum dicit Noſter DEUS. Anima relinque tuas excuſationes, admitte meos favotes, volo me tibi unire in Sanctis meis Sacramentis. Nihil adeſt, quod hoc diſturbet, ſi tu me habere vis. Nónne datur reſina in Galaad? Nónne dantur medici Animarum in Confeſſionali? Quomodo ergo tot vulnera abſque remedio? Quomodo tot vulnera ſinè ligaturis? Nónne ſtat ſemper promptum meum Corpus, meus Sanguis, mea Divinitas? Quare ergò ſe mihi retrahunt Animæ, quando ego me offero tollere illis miſerias earum, & dare illis meas divitias, auferre ab illis earum mortem, & dare illis meam vitam, expellere ab illis earum peccata, & dare illis meam gratiam, & elongare ab illis omnes earum infelicitates, & dare illis felicitatem meæ gloriæ?

INSTRU-

INSTRUCTIO I.

De Dignitate, Unitate, & Neceſſitate Baptiſmi.

DE

Primo Sacramento, Baptiſmo.

EX tot & tantis, qui vivunt decepti ratione ſuæ umbræ, quanti & quot non ſtarent melius? meritò contenti ſuâ excellentiſſimâ pulchritudine? Fortuna magna eſſet, ſi remanſiſſet ſolus, ille famoſus Narciſſus, illic inter jocos fabularum, & ſi non videremus tantos Narciſſos deceptos multò turpius etiam inter veritates puriſſimas. Mortuus eſt ille, dicebant, quia vidit in certo fonte effigiatam ſuam pulchritudinem. In alio fonte, vellem ego, ut quilibet Chriſtianorum, ad reponendam in ſalvo ſuam vitam, conſideraret expreſſam ſuam pulchritudinem; ſi enim digna fuit riſu illa ſtultitia etiam in fictione mendaci Poëtarum; quantò magis erit dignior fletu, dum illam videmus imitatam in deceptione tantorum Chriſtianorum? Vidit ſe Narciſſus in aqua, & ſine cognitione ſui ipſius, deceptus per ſuam effigiem, videbatur illi alterius illa pulchritudo, quæ ſolummodò erat umbra propria; & naſcente ex umbra in aqua igne in corde Narciſſi, ille ſeipſum quærit, & intra ſemetipſum ſe perdit; patefacit ignis ſuum tumultum, manifeſtat mutus ſuam ſtultitiam in ſua forma; & modò fixus illam intuetur, modò ridens illam miratur; modò affabilis, modò ſuſpenſus, modò adulabundus; modò mutando faciem eò ipſò momentò umbram intuetur, quæ punctualiſſimè illi in omnibus correſpondet. Cogitat, quòd illi correſpondere ſit id ipſum illum effigiare, & creſcente inquietudine cum deceptione, extendit manum, videt quòd etiam umbra ſuam moveat; admovet illam, videt quòd etiam umbra cum ſua appropinquet; ſed tangendo aquam, turbatâ jam illa & colliſa, deperditur ex viſu illud, quod vidit, aufugit illi ex manu illud quod tetigit, penetrat & magis illud perdit, revolvit, perpendit & tantò minus illud invenit; hæret in ſu penſo. Quid eſt hoc? Et interim redeunte aqua ad ſuam quietem, redit inquietudo in Narciſſi oculos. Applicat vultum, & perit ad præſentiam Originalis, Effigies; uſquedum jam impatiens, immergit totum corpus, & non I.

inveniendo umbram in aqua, illud quod invenit in fundo fontis, eſt mors. Ah ſtulte, diceretis illi, ſiccine moreris quærendo umbram? Ah ſtulti, dicam ego vobis, ſiccine morimini quærendo tot & tantas umbras, quæ vos decipiunt, quæ vos irrident, quæ vos perdunt? Quæ dum videntur, deludunt, quæ dum quæruntur inquietant, & quæ dum comprehenduntur, diſparent? Ah Narciſſi mundani, quomodo eſt in vobis experimentalis veritas illa, quæ fuit in tantum qualificata ſtultitia in fabulis? Redite, redite contemplari vos in alio fonte meliori, ubi vitam invenietis. In quo fonte? In fonte Baptiſmi. Oh ſi quilibet Chriſtianorum, qui me auſcultant, rediret ſæpiùs oculis Fidei & conſiderationis ad ſe ipſum conſiderandum, quomodo prodierit ex illis aquis vitæ, quanta ibi fuerit ſua pulchritudo, quanta ſua venuſtas, quàm multò meliorem Narciſſum ſe æſtimaret cum multò majori lucro? Conſidera te, anima, conſidera te in illis aquis puriſſimis, quæ effecta es effigies & imago totius Divinæ pulchritudinis, magis præ cælis limpida, magis præ omnibus aſtris ſplendens. Conſidera te circumdatam Angelis, cum quibus tua certat pulchritudo; vide qualiter te exornent præ pretioſiſſimis lapidibus omnes virtutes infuſæ: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Ezech. 28. v. 13. Vide qualiter ipſemet ſplendor DEI tibi formet veſtimenta pretioſa. Súmne ego illa, diceres in temetipſam inamorata, ſum ne ego illa? Attamen, oh DEUS! hoc fuit pro tunc, & ubi eſt pro nunc omnis illa venuſtas, omnis illa puritas, omnis ille ſplendor? *Egreſſus eſt à filia Syon omnis decor ejus*, Thren. 1. v. 6. Quomodo delevit in me peccatum pulchritudinem tam admirabilem? Quomodo perdidi ego ob unum vilem guſtum, ob vilem voluptatem, quæ jam diſparuit, quæ me jam dereliquit, unam venuſtatem, in qua inamorati erant Seraphini? Oh quis viſus eſſet iſte, & quæ comparatio tam proficua, ſi id frequenter faceremus!

II. Hoc itaque, vellem ego, quatenus conſideraremus & attenderemus in Sacramento Baptiſmi, cujus explicationem nunc aggredimur. Non ut perpendamus ſolummodò prout rem jam præteritam, non ut ſolummodò hoc conſideremus in infantibus, ſed ut quilibet ſibimetipſi in memoriam revocando, & in conſiderationem, illum Fontem excellentiſſimum, in quo renatus eſt, ut vel hi conſervent, etiam

etiam cum diſpendio mille vitarum, illam gratiam, ſi per infinitam fortunam adhuc illam habent, vel interminabilibus lacrymis procurent illi, qui hanc perdiderunt, innovare illam magis & magis per Pœnitentiam.

Quid eſt Baptiſmus? Interrogat Catechiſmus; & ad reſpondendum adæquatè ad tam brevem interrogationem, nec intellectus, hujus maris immenſi miſericordiæ, ripas capit, nec omnes linguæ Divinorum Oraculorum capiunt profunditates prodigioſas hujus abyſſi. Quid igitur ego debeo reſpondere? Sinite ut locò mei loquantur Scripturæ. Si interrogetis meum Sanctum Patrem Petrum quid ſit Baptiſmus? Dicet vobis illum eſſe optimam Arcam, in qua à diluvio, quod totum Mundum ſubmergit, ſolummodò effugiunt illi, qui ad hanc Arcam confugiunt, ſubmerguntur illi, qui foris remanent, & perduntur: *Octo animæ ſalvæ factæ ſunt per Arcam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma:* 1. Pet. 3. v. 20. & 21. Dicet vobis Baptiſmum eſſe pactum prodigioſum, contractum admirabilem, in quo dum ſe homo offert ſuo DEO in ſervum fidelem, in ſuum filium, in domeſticum DEI domûs ad ſerviendum DEO obſervando DEI Præcepta; DEUS ipſemet, ultrà condonationem ſuorum delictorum, & largitionem gratiæ, remanet obligatus jam eſſe ſuus DEUS, eſſe ſuus Protector, & eſſe ſuus Parer: recipit illum in ſuum ſinum, immittit illum in ſuum cor, comiter illum accipit in ſuam curam, denique DEUS illum inter ſuos recipit. Oh quis contractus! Oh quæ ſolicitudo! Si quæratis ex Sancto Paulo, quid ſit Baptiſmus? dicet vobis eſſe lavacrum noſtræ regenerationis, & noſtræ renovationis, ubi non ſolùm lavatur, & purificatur anima ab omnibus maculis culpæ, ſed regenerata à DEO, relinquit Adami infamem deſcendentiam aſcendendo ad Divinam vitam gratiæ: *Lavacrum regenerationis & renovationis*, ad Tit. 3. v. 5. in quo unimur eſſe cum Chriſto idem corpus, ubi de novo nos format DEUS per ſuas manus in facturas ſui artificii. Dicet vobis eſſe baptiſmum melius mare rubrum, per cujus aquas ſecuri tranſeuntes ſubmerſum relinquimus Pharaonem inferni, conſecutâ fortunatiſſimâ libertate, & terra Promiſſionis, multò meliori quam illic quondam Iſraëlitæ: *Omnes baptizati ſunt in nube, & in mari.* 1. ad Cor. 10. v. 2. Dicet vobis Baptiſmum eſſe inæſtimabile ornamen- III.

tum quô veſtimur ab ipſomet Chriſto, cum ſit noſtra ſua pulchritudo, quæ nos circumdat, ſua puritas, quæ nos amplectitur, ſuus ſplendor, qui nos cingit: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ad Gal. 3. v. 27. Dicet vobis, Baptiſmum eſſe diem feliciſſimum noſtræ particularis Redemptionis, poſtea quam ſinè Baptiſmo nec pro te, nec pro me, tota illa univerſalis Redemptio facta per Sanguinem DEI hominis in Cruce, ſinè iſta aqua beata, non eſſet nobis in efficacia Redemptio: *In quo ſignati eſtis, in diem Redemptionis*, ad Epheſ. 4. v. 30. Dicet vobis, Baptiſmum eſſe facem cæleſtem, unum ſplendorem Divinum, illuminationem ſupremam, qua mediante, & per quam intrant in animam omnes luces & illuminationes Fidei, omnes radii Divinorum Myſteriorum, omne fomentum amabile aliorum Sacramentorum, omnis calor beneficus gratiæ, & omnis ſplendor deſiderabilis gloriæ; *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*. ad Coloſ. 1. v. 12. Reſtatne adhuc aliquid plus, quod poſſit dici de Baptiſmo? Interrogate nihilominus Apoſtolum Sanctum Jacobum, quid ſit Baptiſmus? & dicet vobis eſſe genituram quâ nos DEUS gignit, non taliter quomodo hic fit à Parentibus naturalibus, qui non ſeligunt filios, quos habere volunt, non illos eligunt; eſt genitura, quâ nos gignit DEUS per ſuam voluntatem, per ſuum amorem, eligendo nos, & extrahendo ex millionibus hominum. Et quare? Ut per Baptiſmum ſimus initium, id eſt, ut explicat Magnus Auguſtinus, ut ſimus fortunatiſſimum, pulcherrimum opus omnium ſuorum operum: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*; Jacob. cap. 1. v. 18. Interrogate Sanctum Joannem Evangeliſtam, quid ſit Baptiſmus? & dicet vobis, eſſe ſolum & unicum ingreſſum, per quem poteſt conſequi gloria: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum DEI.* Joan. 3. v. 5. Dicet vobis, Baptiſmum eſſe poteſtatem admirabilem, facultatem prodigioſam, quam nobis dedit noſter Redemptor ut poſſimus fieri filii DEI; *Dedit eis poteſtatem filios DEI fieri:* Joan. 1. v. 12. Jam quid? ſi de hoc interrogetis Sanctos Patres: dicet vobis Damaſcenus, Baptiſmum eſſe ſigillum, eſſe impreſſionem felicem, quæ nos ſignat ex parte DEI pro ſocietate Sanctorum; dicet vobis Sanctus Baſilius, Baptiſmum eſſe inſigne, & ſignum diſtinctivum

vum illorum, qui relinquentes vexilla diaboli, habent pro ſuo Capitaneo JESUM Chriſtum; *Teſſera militum Chriſti.* Dicet vobis Sanctus Thomas, Baptiſmum eſſe Caſtellum invincibile, & præſidium fortiſſimum, ubi congregati, quando omnia perdidimus, illic nobis remanet defenſio, præſidium & ſpes refocillationis. Dicet vobis tandem Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 4. in S. Baptiſ. quòd ſit omnium DEI beneficiorum maximum beneficium, ſupremum, illud, quod omnia unit & epilogat; eò quòd ſinè Baptiſmo nec habeatur redemptio, nec dentur Sacramenta, abſit vita, nec detur amicitia DEI, nec detur gloria: *Baptiſmus omnium beneficiorum præclariſſimum eſt, & præſtantiſſimum.* Totum hoc eſt Baptiſmus? O Chriſtiani! quæ ratio reddenda nos expectat propter iſtud beneficium, propter hoc mare immenſum beneficiorum? Quomodo illud ſolvimus, quomodo vivimus? quomodo ſumus DEO grati?

Hinc ergo reſpondet breviter Catechiſmus quoad Baptiſmi effectus: *Baptiſmus eſt ſpiritualis nativitas, in qua nobis datur eſſe gratiæ, & inſigne Chriſtiani.* Sed de his effectibus prodigioſis loquar IV. ſio die cum majori commoditate. Baptiſmus, definit communis Doctorum, eſt primum Sacramentum Legis Gratiæ, quod, ſecundùm inſtitutionem Chriſti, conſiſtit in exteriori ablutione, vel lotione corporis, adjuncta legitima pronunciatione determinatorum verborum. Primum Sacramentum; primum in ordine, quia ſinè ſuſceptione iſtius, omnia reliqua Sacramenta, nec valent, nec proſunt. Primum in potentia, quia iſtud ſolum eſt clavis Eccleſiæ, porta vitæ, ingreſſus ad gloriam, & primum in neceſſitate; quia ſinè Baptiſmo nullus poteſt ſalvari, vel ſit infans recens natus, vel ſi moriatur in viſceribus Matris, vel ſit adultus, vel ſit natus & educatus inter Barbaros, vel vixerit & moriatur inter Chriſtianos, vel ſciat, vel ignoret, vel ſit filius Chriſtianorum, vel Gentilium, ſi moriatur ſinè Baptiſmo nullus ſalvatur; tali modo ſicut in mundo toto ſubmerſo per diluvium, nullus potuit mortem effugere, niſi ſoli illi, qui erant incluſi in Arca. Oh judicia DEI inſcrutabilia! Oh juſtitiam DEI terribiliſſimam! Quid in me vidiſti, DEUS meus, Pater meus, Domine meus, quid vidiſti in me, quòd me ità aſſecuraveris per Baptiſmum, quando tot ſinè illo reliquiſti damnandos tam juſtè? Quid in me vidiſti ad eligendum me in hanc fortunam & ſortem immen-

menſam? Tuum ſolum velle fuit; etenim Dominus es, & tua ſola bonitas, & tuus amor, qui ità voluit me eligere.

V. Sed advertendum nobis eſt, & ſciendum, Theologos diſtinguere, cum approbatione Eccleſiæ, tres Baptiſmos, ex quibus quilibet, prout dicam, ſufficiens eſt ad mundandam animam ab omnibus culpis, & conferre illi gratiam, & gloriam. Primus, Baptiſmus aquæ, ſeu fluminis; qui eſt Sacramentum, de quo loquimur. Secundus, Baptiſmus ſanguinis, ità vocant Martyrium, & illum ità appellavit noſter Redemptor apud Sanctum Lucam c. 12. v. 50. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſquedum perficiatur?* Iſte eſt, ut cap. 34. de Conſec. Diſt. IV. *Baptiſmi vicem*, dicitur; quando aliquis non percepit Baptiſmum aquæ, quia, vel non habebatur baptizans, vel non aderat modus, & ſinè ſua culpa impeditus, poſtmodum tractus ad martyrium, in defenſionem noſtræ veræ Fidei ſparſit ſuum ſanguinem, & ſuam vitam, perfecit in illo ſanguis illud, quod aqua feciſſet, & ità colimus pro Sanctis multos Martyres: ut Sanctam Emerentianam, illos quinquaginta Philoſophos, quos convertit Sancta Catharina, & alios: & idipſum eſt de infantibus, ſi occidantur in odium JESU Chriſti, & noſtræ veræ Fidei, etiamſi non fuerint baptizati; ità veneramur ut flores Martyrum Sanctos Innocentes. Tertius Baptiſmus eſt *Baptiſmus flaminis*, non quòd ſufficiat, ſolummodò qualecunque deſiderium Baptiſmi, ſed intelligitur tale, vi cujus, quando non habetur modus aliquis accipiendi Baptiſmum fluminis, habens quis veram contritionem, actum amoris DEI ſuper omnia, abhorreat culpas, amet DEUM propter DEUM, ob ſuam bonitatem, ob ſuam miſericordiam, & deſideret, ſi poſſet, conſequi Baptiſmum in re. In tali facit ignis interior Spiritûs Sancti hoc ipſum, quod faceret Baptiſmus aquæ. Hoc ità demonſtravit cælum cum Sancto Philemone, ut refert Surius 4. Decemb. Stabat iſte inſignis Martyr in conſpectu grandis multitudinis defendendo noſtram Fidem, & dixit illi Tyrannus; quid te jactas Chriſtianum, cùm non ſis baptizatus? Et tunc Philemon, ô ignis cæleſtis ſpiritûs, exclamat, qui ardes in meo corde. Quantum tibi gratias ago ô Præſes, quòd in memoriam revocaveris Baptiſmum, & converſus ad multitudinem populi! Eſtne hic aliquis inter vos animoſus & fortis, qui, ſpernendo tormenta, velit me baptizare?

zare? Veniat immediatè ad me, ego eum rogo. Nullus ſe movebat, & videns hoc Martyr, ô Domine, exclamavit, & Redemptor meus JESU Chriſte, ô nè me deſeras, monſtra mihi hic Sacerdotem, & aquam, unde poſſim baptizari. Eô ipsô momentô, videntibus omnibus, deſcendit pulchra & ſplendens nubecula, quæ reſolvendo ſe in rivulum aquæ cæleſtis, illum totum madefecit; demonſtrans ità oculis omnium illa aqua, qualiter, ob deſiderium Baptiſmi, relinquat mundam animam Spiritûs Sanctus. Quamobrem eſt triplex Baptiſmus: Baptiſmus flaminis, qui eſt ille deſiderii: Baptiſmus ſanguinis, qui eſt Martyrii; & Baptiſmus aquæ ſeu luminis, qui eſt primum Sacramentum? Ità eſt.

Sed ecce tibi hic unam gravem difficultatem. Ego ſcio San- VI.
ctum Paulum dicere ad Epheſ. 4. v. 5. unicum ſolummodò eſſe Baptiſmum: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: In Symbolo Nicæno hoc ipſum confitemur, ut articulum Fidei: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Cum itaque ſit ſolum unus Baptiſmus, quomodo nos hic tres numeravimus? grandis difficultas! Reſpondeo:

Illud eſt certum, & de Fide: ſolummodò eſſe unum Baptiſ- VII.
mum: unum, quia in illo nos unimur omnes ad profitendam unam ſolam Fidem; unum; quia quoad materiam & formam, abſque ulla facta mutatione (nec enim poteſt fieri mutatio) eſt idem Baptiſmus quo baptizârunt Apoſtoli, hoc eodem ipſo baptizatur modò, & baptizabitur usque in finem mundi; unum quoad numerum, cuia illud Sacramentum non poteſt repeti, nec ſæpius recipi, ob tres rationes. Prima; quia cum in naturali nullus bis naſcatur; in ſpirituali, cum ſit ſemel natus per Baptiſmum, non poteſt repeti, quia non debet ultrà renaſci. Secunda: quia cum ſit principalis effectus hujus Sacramenti mundare Animam à culpa originali, ſemel receptum, non adeſt ratio cur repetatur. Tertia: cuia cùm imprimat characterem in Anima, qui æternum durabit in ea, non eſt cur repetatur. Quamobrem ex omnibus partibus Baptiſmus eſt unus, ità ego hoc credo, & confiteor: *Confiteor unum Baptiſma.* Jam autem, ſi tantum unus Baptiſmus eſt, quomodo ergo nos diximus, quòd triplex ſit? & ſi triplex, quomodo unus? Jam hoc explico.

VIII. Primò, quia ille Baptiſmus flaminis, & ille ſanguinis non ſunt cum proprietate, ſed ſolummodò per ſimilitudinem, Baptiſmus, qui vult dicere ablutionem; & hoc ſolummodò proprium eſt aquæ; ideò ille aquæ ſeu fluminis eſt ſolummodò Baptiſmus. Secundò, quia ille flaminis, & ille ſanguinis non ſunt Sacramenta; & per conſequens non conferunt per ſe gratiam, ſed per ſpeciale privilegium; ſed Baptiſmus aquæ eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & in virtute ejus meritorum, & ſanguinis, confert per ſe gratiam. Tertiò: quia illi alii duo, flaminis & ſanguinis, ſolummodò ſunt, ſicut dicunt, ſupplementa defectuum, eò quòd ſolum in defectu Baptiſmi aquæ, valeant; ità, ut ſi Martyr liberaretur ex tormentis, aut ſi ille qui cum contritione deſideravit Baptiſmum, evaderet ex illa anguſtia, & haberet occaſionem percipiendi Baptiſmum aquæ, & illum non perciperet, non ſalvarentur. Sed Baptiſmus aquæ per ſe ipſum, ſinè neceſſitate aut egentia aliorum, confert gratiam; & ſic eſt Baptiſmus aquæ unus ſolus, unus, in quo conſiſtit noſtra vita, unus, ſinè quo, vel deſiderato, qui illum ampliùs non poteſt percipere, vel imitato per ſanguinem, qui impeditus eſt, non datur ſalvatio. Faciet nos intelligere hanc ſummam neceſſitatem Baptiſmi ſequens prodigioſus eventus.

IX. Refert illum Sanctus Antoninus, Archi-Epiſcopus Florentinus, & alii graves Authores. In Gallia dum araret quidam Agricola ſuos agros, intervertendo terram, videt proſilire ex illa linguam humanam, ità rubicundam, ità recentem, acſi actualiter exiſteret in ore alicujus hominis. Subſtitit ſtupens, & remanſit attonitus, audiendo illam linguam ſe alloquentem. Attamen reſumptis ſenſibus; quis es tu? interrogat; & lingua: Sum, dicit, lingua alicujus Gentilis, qui fuit ſepultus, ante plurimos annos, in hoc loco; vixi in Paganiſmo, geſſi officium Judicis maximâ parte meæ vitæ, & quantumvis non agnoverim DEUM, amavi juſtitiam tam ſincerè & exactè, ut nunquam protulerim ſententiam, quæ non fuiſſet plurimum conformis illi; & in præmium hujus noluit DEUS me mori, uſquedum perciperem Sanctum Baptiſmum, & annumerarer Fidelibus; qua de cauſa conſervavi meam Animam in iſta mea lingua. Vade quantocyus, & refer hoc, quod tibi dico, Epiſcopo, ut veniat, & me baptizet; & in ſignum, eſſe veritatem hoc, quod tibi dico, per-

perceptô Baptiſmô reſolvar ſubitò in cineres, & mea Anima in cælum evolabit. Cucurrit Agricola retulit nuntium Epiſcopo, dixit hoc, quod audivit, & Epiſcopus plenus admiratione convocat Clerum, & totam Civitatem. Veniunt omnes ad illum locum, & formando varias interrogationes ad illam linguam prodigioſam, illa ad omnes illis reſpondit. Baptizavit illam poſtmodum Epiſcopus, & immediatè poſt Baptiſmum redacta eſt in cineres, & omnes proruperunt in laudes DEI, rapti & attoniti præ admiratione.

Oh utinam illud, quod illic, prodigium, adipiſceretur in nobis inexplicabile beneficium, quô DEUS nobis conſervavit ab ipſa etiam æternitate vitam, ut nobis illam daret in Baptiſmo, & ut per Baptiſmum conſequeremur vitam æternæ gloriæ. X.

INSTRUCTIO II.

De Aqua, quæ eſt materia Sancti Baptiſmi.

ERat in ortu hoc Univerſum, quando prodiit ex cryſtallinis viſceribus aquarum cælum: Natus eſt ex puro ſinu aquarum Mundus, & in aquis emiſerunt ſuam primam reſpirationem prima, quæ dabantur, viventia. Tunc dico, quando ipſemet DEUS, eligens aquas pro curru, ſpatiabatur ſupra ſuas aquas argenteas, dum adhuc involuta terra eſſet nigris umbris, impolitum cælum, & ſinè ſtellis, ſuffocatus in tenebris aër, mutæ ſinè harmonia ſphæræ, fuſca confuſio creaturæ, confuſum chaos elementa; aqua ſola pulchra, ſola perfecta, ſola pura, formabat thronum Spiritui Sancto; *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Gen. 1. v. 2. Diſtribuens cælis puritatem, terræ pulchritudinem, plantis vigorem, vitam animalibus. Quales prærogativæ ſunt iſtæ hujus elementi ità felicis ſupra omnia viſibilia? Qualia privilegia aquæ ità ſingularia ſupra omnes creaturas, ut omnes vel ex illa naſcantur, vel in illa vivificentur? Quid aliud hoc debet eſſe, dicit nobis Sanctus Hieronymus, quàm quòd jam in nativitate Mundi faceret probam DEUS, & adumbrationem noſtræ multò melioris nativitatis. Et ſi totum mundum in ortu videmus ab aquis baptizatum, ortus homi- I.

num pro cælo debet esse in aquis Baptismi; *Spiritus DEI super aquas ferebatur, & nascentem Mundum in figura Baptismi parturiebat.* Fuerunt aquæ, dicit Magnus Tertullianus, primæ, unde ad vocem DEI nata vita est avium, & piscium, quia in aqua Baptismi debebat nasci hominibus melior vita: *Primus liquor, quod viveret, edidit, ut mirum non sit, si in Baptismo aquæ animare noverunt.* Fuerunt aquæ, dicit Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus, unde totus mundus suum sumpsit principium, quia debebant esse aquæ Baptismi illæ, unde sumeret suum principium melior mundus Evangelii: *Principium mundi aqua, principium Evangelii Jordanis.* Taliter itaque nata est ex aquis vita, orta est ex aquis omnis ista visibilis pulchritudo, & natum est ex eis ipsis cælum; quia vita, pulchritudo, & cælum nobis præparabantur in aquis Baptismi. Oh utinam meliorem in nobis, quàm in Ægyptiis, obtineret recognitionem Fides. Ægyptii, referente Vitruvio, instar principii mundi habebant aquam, qui conservantes illam semper in una limpida concha, magna cum reverentia in illorum delubris, ibi incurvantes genua, elevatis in cælum manibus, reddebant repetitas DEO gratias, eò quòd eduxerit illis ex aquis tam venustum & elegantem Mundum. Ah quantò melius ad conspectum aquæ Baptismi deberemus nos à gratiis DEO reddendis non cessare, eò quòd nobis dederit in suis aquis, non tantùm mundum solum, sed etiam totum cælum.

II. Ista est ergo materia omnimodè necessaria pro Sancto Sacramento Baptismi, aqua vera, naturalis, & elementaris; esto dein vel sit ex fonte, vel ex flumine, vel ex mari, vel ex lacuna, vel ex puteo, vel pluvialis, vel dulcis, vel salsa, vel liquefacta ex nivibus, vel ex grandine, cum sit aqua naturalis, est materia sufficiens pro Baptismo; & si hæc desit, non est Baptismus validus, nec etiam sufficiens. Punctum hoc est Fidei manifestum in Evangelio; stabilitum in actis Apostolorum, definitum in Sacris Conciliis, & uniformiter confessum à Sanctis Patribus. Et non miremini, quòd omnia tam minutim exprimam, quandoquidem vellem esse in explicatione Baptismi tam clarus, sicut aqua; & hoc in hunc finem, ut nullus, nullus ignoret illud, quod necessarium est pro Sacramento, in quo, quia se tanti offerunt casus & solicitudines improvisæ, si bene fiat, vel si aliquis error committatur, consistit non minùs æterna salus,

lus, quàm æterna perditio animæ. Sed jam, quàm facile, quàm obvium in noſtris manibus poſuit Redemptor noſter contra maximum malum inæſtimabiliſſimum remedium! Iſta eſt prima ratio, quòd ſe legerit aquam pro materia Baptiſmi; quia cum hujus Sacramenti neceſſitas ità ex integro ſit eſſentialis & graviſſima, ut ſinè illo nullus poſſit ſalvari; huic neceſſitati debuit eſſe facilis, gratuita & ſinè omnibus expenſis ſua materia. Quæ res magis uſualis, magis ad manum, magis facilis, quàm aqua? *Poteſt enim ubique de facili inveniri*, dixit Sanctus Thomas. Si Dominus deſignâſſet pro materia Baptiſmi aliquem liquorem exquiſitum, rarum, pretioſum, periclitarentur forſitan pauperes, eò quòd illum habere non poſſent. Si in aliquo aromate pretioſo, quod eſſet comparandum ex Zelandia, India, vel Trabobana, forſan illud nobis retardarent navigationes & pericula maris, vel forſitan impediremur ob lucra. Si in aliqua alia re ex illis, quæ rarò inveniuntur, non poſſemus illas habere in neceſſitatibus, & ſic forſitan multæ deperderentur Animæ. Sed aqua cui deeſt? quis illam non habet? ubi non invenitur? Oh quæ facilitas remedii pro ſalute, pro vita, quæ plùs valet, quàm mille Mundi. Expendit Nero, ut refert Gellius, imponderabiles ſummas pecuniarum in aromata, in unguenta, & balſama, quibus temperabat ſua balnea, ut in iis ſuis poſſet frui deliciis. Sed quid modò ſunt hæc omnia? nihil aliud quàm cruciatus & tormenta. Et quales ſunt deliciæ, quibus ſinè omnibus ſumptibus, ratione hujus Balnei Divini, fruuntur in cælo tot Animæ, quas non commutarent cum theſauris mille & mille Imperiorum? De Sabina Poppæa meretrice Romana, quam nominabant Imperatricem, refert Plinius, quòd, poſteaquam credidiſſet eſſe ad propoſitum lac aſinarum ad poliendam & dealbandam pellem, omni tædio & moleſtia ſpretis, quocunque pergebat, ibat comitata turbâ quingentarum aſinarum, ut in earum lacte balneare poſſet ad conſervandam ſuam pulchritudinem, *Aſinarum gregibus ob hoc eam comitantibus*. Et quam bene inter jumenta incedebat, quæ ab illis emendicabat pulchritudinem. Quantò magis eſt illa æſtimabilior, quæ per hoc balneum Aquæ Salutaris tantum ſinè moleſtiis illam vincit pulchritudine cæleſti, & duratione ſinè fuga æterna. De Regibus Ægypti, refert idem Plinius, quòd propter quaſi hæreditarium nauſeâ plenum morbum lepræ, in

more habuerint ſe curandi balneô ex ſanguine infantium confectô, quorum magnum numerum horribiliter jugulabant. O balneum ferum & ſævum, abominabile ac horribile! Hoc ipſiſſimum ordinarunt Magno Imperatori Conſtantino contra illum ipſum morbum lepræ; & jam erant adducta ad jugulandum non minus quàm tria millia infantium, juxta relationem Berengoſii aliorumque: & instantes ſequebantur Matres crinibus paſſis, inter immanes clamores ululatus, & ſingultus. Commotum ad pietatem heroicum cor Imperatoris, recuſavit tam horribile balneum; & certior factus in ſomno à Principibus Apoſtolorum Sancto Petro & Paulo ſe inventurum meliorem ſalutem in hoc Sacro-Sancto balneo, percipiendo aquas Baptiſmi; reliquit in eis ſquammas immundas lepræ corporis; & effectus eſt pariter multò ſanior in Anima. O Redemptor amabiliſſime noſtrarum animarum! quàm facilè nobis reliquiſti in modica aqua remedium, quale non poſſent efficere omnes Reges Mundi cum omnibus ſuis theſauris; quale non poſſent conſequi, etiamſi totus ſpargeretur ſanguis omnium, quotquot erant hominum, ſunt, & erunt in mundo. Jam ob tua merita modicum aquæ ſanat omni cum facilitate, mala, quæ eſſent incurabilia; mundat, & lavat cum tanta velocitate maculas, quæ eſſent æternæ.

III. Iſta eſt ſecunda ratio, cur elegerit Dominus aquam pro materia Baptiſmi; id eſt: quòd ſicut aqua eſt illud, quod omnia abſtergit, mundat, lavat, & purificat; ità percipimus per iſtam aquam Divinam multò meliorem munditiem Animæ. De fonte Clitumno in Macedonia, referunt Naturaliſtæ, ejus aquas habere tam prodigioſas qualitates, ut omnia bruta, quæ ex ipſis bibunt, accipiant albam pellem ut nivem; *Hinc albi Clitumne greges*, dixit hac de cauſa Poëta. Sit illic in naturalibus id quod velit, in Divino Fonte Baptiſmi eſt hoc, ut lotæ animæ, efficiantur candidiores Boccis nivis. Eſt etiam aqua principium vitæ in omnibus viventibus, nam ſinè humiditate, & ſucco, nec vegetabilia creſcunt, nec ſenſitiva & rationabilia reſpirant. Iſta eſt alia ratio, dicit Sanctus Thomas; cur ad dandam nobis in Baptiſmo vitam, elegerit noſter Redemptor aquam. Succedit nobis hic cum pura veritate illud, ut hoc refert Pierius, quod ſuccedit in litoribus Britanniæ, ubi ad marginem cujusdam fluminis, certæ arbores inveniuntur, quæ producunt aliquem

quem parvum fructum inſulſum, & inſipidum; cadentes iſti fructus in aquam, intra paucos dies convertuntur in aviculas albas, quæ poſtmodum evolant in aërem. Si res ità ſe habet, poſſuit nobis DEUS effigiem in hoc, quod nobis contingit in Baptiſmo, in cujus aquis Anima, quæ ob peccatum Adami erat fructus amarus, & maledictus, ibi animata, præter puritatem innocentiæ, acquirit alas fortunatas ad volandum uſque in cælum.

IV. Sed jam redeundo unde digreſſi ſumus; tantummodo ſit aqua naturalis, ut ſit validus Baptiſmus, nullatenus impedit quin illa ſit calida, vel frigida, clara, vel turbida, vel habeat modicam mixturam, tam modicam, ut ipſi non auferat eſſe & vocari aquam puram; nam juſculum ex olla, quis non videt, quod jam non ſit aqua? Quis non videt, quòd lutum non lavet? & ſic non ſerviunt. Et jam multò minùs ſerviunt alii liquores, vinum, lac, oleum, & ſimilia. Et pariter non ſerviunt illæ, quæ vocantur aquæ, & non ſunt, ſucci extracti ex herbis, vel floribus, aqua roſarum, aqua ex aurantii floribus diſtillata, aqua angelica, aqua vitæ, & aliæ ſimiles. Omnes iſtæ non ſunt aquæ naturales, & per conſequens non ſunt materia Baptiſmi, nec erit ille Baptiſmus, qui in ſimilibus aquis perficeretur. Oh quantum poteſt nocere talis ignorantia! De Gallia refert ſucceſſum lamentabilem noſter Raynaudus, tom. 16. 2. Hect. fol. mihi 144. & ego illum legi etiam eveniſſe in Luſitania. Perage-bat, neſcio qualem ſolemnem functionem certus quidam Epiſcopus, & videns illum certa quædam bona ſenicula, abſque eo, quòd eam retinuiſſet aut abſterruiſſet locus publicus, vel reſpectus, amplexando illum; O fili mi, dixit illi, quantum ſolatium, & conſolationem habeo, quòd te videam. Scias, quòd ego te baptizaverim iſtis meis manibus, & pro majori nota, & indicio reflecto me, quòd te baptizaverim aquâ angelicâ. Convertit ſe ad illam non mediocriter turbatus Epiſcopus; mea bona Domina venite hodie ad veſperam ad meum Palatium. Examinavit eandem, perſtitit illa in dicto de aqua angelica, vel de aqua florum adhibuit ille alias ſecretas diligentias, & inquiſitiones, & invenit ſe non eſſe baptizatum. Curavit ſe baptizari, confirmari, Ordines de novo percepit à prima tonſura, & aſcendit uſque ad Sacerdotium, ac tandem conſecratus eſt Epiſcopus. Et quotquot hucuſque ordinaverat, denuò ipſos legiti-

gitimè reordinavit. DEUM bonum? quanti errores, quanta damna, quantæ conſequentiæ, quàm graves, quàm enormes, & hæc omnia orta ſunt ex ignorantia unius fœminæ.

V. Sed non ſufficit aqua vera, & naturalis illa per ſe; eſt pariter neceſſarium, ut applicetur ab alio, qui illum lavet, qui baptizatur, & fiat hoc quomodocunque ſecundum varios mores & ritus Eccleſiarum, vel fundendo ſupra illum aquam, vel mergendo illum in aqua, vel conſpergendo, modò ſit aqua ſufficiens, quæ decurrat, & lavet; ſufficiens dico, & ad tollenda dubia, aqua, quam vola manûs capit, eſt ſufficiens. Idcirco, grandine, nive, glacie non fit Baptiſmus, etiamſi applicentur, ſi prius non liquefiant, quia conſolidata non lavant, nec fluunt. In illa prodigioſa piſcina Jeroſolymis, quæ erat expreſſa figura Baptiſmi, totô annô habebant illic aquam infirmi, ſed non ſanabantur ſolummodò illam habentes; ſed ille ſanabatur, qui mergebatur illô ipsô punctô, & momentô, quô Angelus de cælo deſcendebat, qui Miniſter erat. Illi cæco à nativitate poterat benè, Vita noſtra Chriſtus JESUS ſubitò conferre viſum; ſed voluit, ut ſe lavaret in aqua Siloë, & peracta lotione recepit viſum. Naaman in ſua poteſtate habebat aquas Jordanis, ſed ut ſe lavaret in illis in hoc repoſuit Eliſæus Naamani ſanitatem. Non mundatur aquâ ille, qui ſe aquâ non lavat. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini*; dicebat prædicendo nobis tam dulcem lotionem Ezechiel. cap. 36. v. 52.

VI. Jam nunc pro fine, qualis pars corporis eſt illa, quæ neceſſariò lavanda eſt aquâ Baptiſmi? Certum eſt, opus non eſſe balneare totum corpus; eſt etiam certum, quòd ſi tota aqua cadat ſupra veſtem, infans non erit baptizatus. Idcirco pro nunc mos Sanctus Eccleſiæ nos aſſecurat, quòd in capite ſit ex integro certus, & ſecurus Baptiſmus. Cap. 78. *Poſtquam vos*, de cons. ſecr. Diſt. 4. Et peccabit mortaliter, qui hoc non facit, & non fundit aquam in caput ſemper, quandocunque fieri poteſt. Attamen, quandoquidem dantur in hoc anguſtiæ tam graves, & tam terribiles, quid faciemus, ſi, periclitante matre, infantulus nihil aliud protruſit foras, præter brachium, vel unicum pedem? In hoc caſu debet baptizari illa pars, quæ proſtat; meliùs enim erit conferre huic animæ remedium, etiamſi illud foret incertum, quàm omninò illam ſinè remedio relinquere.

quere. Etiamſi foret incertum, dixi; quia, cùm non fiat in capite, nec etiam fiat in aliis partibus principalioribus corporis, ut eſt pectus, ſcapula, humeri, diſcerpant inter ſe Authores deſuper, an ſufficiat, vel non ſufficiat. Et multò magis, ſi ſolummodò fuit Baptiſmus collatus in manu, vel in pede, vel ſi, involutum infantem in ſecundinis, vel membrana, non tetigit in ſeipſa illum aqua. Oh DEUS! hæc materia eſt graviſſima, quæ quandoque poteſt contingere. Punctum, à quo omnia dependent. Relinquere in opinione, & dubio illud, quod debet eſſe omninò certum, & ſecurum; tremo, ſolummodò hoc recogitans. Repetendo Baptiſmum, dum adeſt dubium, ſub conditione: *Si non es baptizatus*, nec incurritur pœna Eccleſiaſtica, nec committitur irreverentia erga Sacramentum; & exinde poteſt ſequi nil minus quàm ſalus Animæ. Ego me ſemper accomodarem cum Sancto Thoma, in 4. Diſt. 6. q. 1. a. 1. & cum graviſſimis Authoribus, & Doctoribus, ſecuriori ſententiæ, repetendo ſub conditione in hoc dubio Baptiſmum. Summus Pontifex Clemens VIII. ut affirmat noſter Dicaſtillo D. 1. dub. 4. n. 57. taliter reſpondit Epiſcopo Paduano, qui ab ipſo petiit conſilium: ſi alicui infanti in anguſtiis partûs fuit baptizatum ſolum brachium, deberétne repeti Baptiſmus? Et reſpondit ſummus Pontifex: ut in ſimili caſu repeteretur ſub conditione, ratione tam ſummæ neceſſitatis hujus Sacramenti. Plura hìc dicerem, ſed forſitan illa dicturus in alia occaſione. Domini, & Dominæ, quando in feſtinatione, in timoribus, in anguſtiis partûs baptizatus eſt infans, informate cum maxima cura, & induſtria, dum deportatur infans ad Eccleſiam, Dominos Parochos, cum punctualitate; multùm enim in hoc conſiſtit, an fuerit in capite baptizatus, an in brachio, an in pede. Nam ex tali informatione reſolvere poterunt in puncto tam gravi juxta illorum Doctrinam.

Hæc eſt ergò aqua, theatrum maximorum mirabilium DEI; ſed VII.
omnia hæc mirabilia unita vel fuerunt adumbrationes, vel figuræ illorum, quæ pro noſtro immenſo bono præfigurabantur, & præparabantur in aquis Baptiſmi. Hac de cauſa voluit illa oculis corporis oſtentare in tot viſibilibus mirabilibus, ex quibus referam unicum ſolum. In primitiva Eccleſia ſolummodò duobus temporibus anni conferebatur Baptiſmus, nimirum Sabbatho ante Dominicam Re-

ſurrectionis, & Pentecoſtes. Tunc ergo, refert Sanctus Gregorius Turonenſis lib. de glor. Mart. c. 24. in certo quodam loco antiquæ Luſitaniæ, hodie Portugaliæ, adveniente die Jovis Sancto, ibat cum ſuo Epiſcopo totus Clerus & omnis populus ad certum Baptiſterium, quòd tenebant reliquo tempore anni clauſum. Intrantes in illud inveniebant fontem Baptiſmalem ex toto ſiccum, & ſinè unica ſola guttula aquæ. Curabat Epiſcopus reſtaurare, & adaptare illum locum pro ſolemni functione Baptiſmi, quæ peragenda erat ſequenti Sabbatho Sancto. Et abſque immiſſione in fontem nec quidem unicæ ſtillulæ aquæ occludebat Epiſcopus propriâ ſua manu cum omni ſecuritate portam, & revertebantur omnes ad ſuas Domos. Adveniente manè Sabbathi Sancti, veniebant omnes ad Baptiſterium, Epiſcopus, & Clerus, & populus conducentes proceſſionaliter Catechumenos, qui erant baptizandi. Aperiebat Epiſcopus portam, intrabant omnes, & inveniebant fontem non ſolùm plenum aquâ non ſolùm complanatum, ſed cum ſtupendo prodigio elevatam aquam ſuprà extremitates, & oram, taliter, prout ſurgit granum in menſura priuſquam lignô menſoriô coæquetur, & complanetur. Et exiſtente taliter aquâ eminente, nec ex uno, nec ex altero latere effluebat vel unica guttula. Perractis ab Epiſcopo exorciſmis, & benedictionibus Eccleſiæ, accedebat poſtmodum cumulatim omnis populus cum vaſis, amphoris ſumendo de illa aqua pro ſuis domibus, pro infirmitatibus, & pro ſeminibus. Et cùm eſſent tanti, qui, aquam illam haurientes, domum aſportabant, remanebat nihilominus fons baptiſmalis eodem modo repletus. Baptizabantur omnes Catechumeni, & peractô Baptiſmate, eô ipsô momentô incipiens aqua concidere, conſumebatur paulatim uſquedum in fonte nec unica quidem guttula remanſiſſet. Pervenit hæc congeries prodigiorum in notitiam Theodegiſilii Regis illius terræ, barbari, & gentilis, & perſuaſus hoc totum eſſe deceptionem Chriſtianorum, ſequenti anno contulit ſe illuc cum Epiſcopo, & Populo. Recognovit fontem, invenit illum ſiccum, & poſtmodum obſerans ille propriis clavibus Baptiſterium, poſuit illuc Cuſtodiam, redierunt Sabbatho, & invenerunt hoc ipſum prodigium. Sed nondum ſe dedit convictum. Et ſequenti anno duplicavit curam, duplicavit claves, duplicavit Cuſtodiam. Venerunt rurſus in Sabbatho,

tho, & id ipſum invenêre. Sed nec hoc Regi barbaro ſatis erat; & perſuaſus, quòd ſub terra facerent intrare illam aquam, anno ſequenti non contentus clavibus & Cuſtodia, fecit in circuitu toto Baptiſterii foſſam viginti quinque pedum ſpatio profundam, & quindecim largam. Advenit Sabbathum, vidit eadem ipſiſſima prodigia; ſed totus in ferociam actus anno ſequenti ſupra tantas omnes jam adhibitas adhuc duplicavit diligentias. Ubi ergò advenerat Sabbathum, eô ipsô tempore quo procedebat ad videndum fontem, concidit mortuus. Benè hoc meritus, ut tam vicinè propè vitam inveniret ſua perfidia mortem; ut tam vicini cælo caderet obſtinatio, & pertinacia in Infernum.

Utinam non ſit, ô Catholici noſtrum majus infortunium, ſi cùm invenerimus vitam in iſtis aquis, nos Fides non conducit, quam in illis accepimus, ad lucranda per opera, tam excelſa lumina, uſque ad conſequendos cum poſſeſſione æternos ſplendores in gloria. VIII.

INSTRUCTIO III.

De Forma, & Miniſtro Sancti Baptiſmi.

RAtionabiliſſimè vocavit Ariſtoteles filiam ignorantiæ admirationem; non tantùm eò quòd plùs & magis admiretur, qui plùs ignorat; ſed quia incantata attentio perraro, ſolùm quia illud nunquam vidit, ſinit ſe ſuſpendi in illo, quod, licèt fiat uſitatum, non perdit amplius eſſe prodigioſum. Omnes elevant oculos ad funeſtum Cometam, ſolummodò ideò, quia ex improviſo apparuit, dum alia aſtra & Planetæ currunt abſque omnium vel minima attentione. Sed multò melius exemplum habemus in hac die. Suſpendens præ admiratione ſuam pennam, celebrat attonitus Caſſiodorus lib. 8. var. Epiſt. 32. proprietatem inſolitam cujusdam fontis. Eſt ille tam famoſus fons Arethuſa dictus, centrum pulcherrimæ amœnitatis in ſuis oris, & rarum prodigium in ſuis aquis. Caſus iſte eſt; quòd ſerenus ſemper, tranquillus, quietus, nec ad criſpationem vocum avium continuam, nec ad rugitum crebrum brutorum, commoveantur vel minimum ejus aquæ. Imò in ſereni- I.

tate videntur esse murus immobilis, congelata cryſtallus, quas nullus perturbare poſſit. Ecce tibi hic, quòd ſi appropinquans homo pronuntiet in ejus ora unicum ſolum verbum, immediatè omnis aqua in furorem acta diſtorquetur; ſi hic proſequatur loqui, ecce tibi jam aqua majore fremitu, & fragore exæſtuat. Levat loquens magis vocem, & aqua aſcendendo magis & magis criſpatur. Excitat clamorem, & extollit aqua criſtam in aërem: *Silenti homini tacita; loquenti, ſtrepitu, & fragore reſpondens.* Rarum prodigium, quòd taliter aqua reſpondeat vocibus alicujus hominis! Inſolitum miraculum, quòd, acſi intelligeret, aqua ſe moveat, ſe elevet, aſcendat ſinè alia vi, quàm ad ſonum paucorum hominis verborum; *Novavis, inaudita proprietate aquas voce hominum commoveri, ut quaſi appellatæ reſpondeant.* Quid quiſque faceret, qui hoc videret? Quali impleretur ſtupore videndo, quòd ad ſua verba, ſinè alia vi, tumultuet aqua, ſe criſpet, & æqualiter ad ſonum vocum ſe elevet in pulchras rugas fluctuum? Quæ admiratio! Quale prodigium! O eja agite! ſinite oculis has tam vulgares admirationes, meretur multò meliùs Fides altiores ſtupores attentionis. Videbitis in Fonte Baptiſmali aquam per ſeipſam congelatam, & mortuam, ſinè vigore, ſinè virtute, ad pronunciata verba Miniſtri Sacramenti, criſpari pulchram, elevari puram, & elevando criſtam cum Anima baptizati, pertingit uſque ad depoſitionem illius in cælo: *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Joan. 4. v. 14. Quæ eſt iſta virtus aquæ, interrogat hic meliùs obſtupefactus grandis intellectus Auguſtini: quæ vis eſt iſta, quæ tangendo corpus, lavat animam? Quæ cadens ſupra caput elevatur uſque ad cælum ſpiritu? *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo*; Auguſt. tract. 80. in Joan. Verba ſunt illa, quæ ità aquam elevant, quæ dum ità audiuntur, illum ſublimant. Detrahe verba, & quid unquam eſt iſta aqua? Aqua, & nihil ultra, ſinè valore, ſinè virtute, congelata, mortua; attamen adjungendo verba, ecce tibi cum illis aqua, quæ jacebat in tantum ſinè omni virtute, aſcendit ad eſſe Sacramentum, quod pertingit uſque ad cælos cum ſuo valore: *Detrahe verbum, & quid aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Jam

Jam itaque dixi, qualiter aqua vera, elementaris, & naturalis II.
ſit materia Baptiſmi? Attamen iſta aqua per ſe nihil efficeret, quantumvis lavaret, nisi adjungerentur verba, quæ ſunt forma Baptiſmi. Præparatâ itaque jam aquâ, dum funditur ſupra caput, vel ſi ſupra hoc non poſſit, ſupra aliam partem corporis, dum ſpargitur, vel funditur, dico, habitâ intentione faciendi illud, quod facit Sancta Mater noſtra Eccleſia, vel faciendi illud, quod inſtituit noſtra Vita Chriſtus JESUS, pronuncianda ſimul ſunt verba, quæ ſunt forma. Et qualia ſunt illa verba? Iſta: *Joannes, vel Petre, Maria, vel Elizabetha;* Iſtud eſt nomen, quòd ſi hujus quis obliviſcatur, vel non exprimatur, non ideò remanebit infans ſinè Baptiſmo, ſi pronuncietur forma eſſentialis, quæ eſt ſequens: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Iſta ſunt verba, quibus nos vocavit DEUS ex infelici & miſera poſſeſſione tenebrarum ad fruendum ſuâ admirabili luce. Iſta ſunt verba vitæ, quibus, purgando nos in illo Sacro-Sancto Balneo in anima, *lavacro aquæ in verbo vitæ*, ùt dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. v. 26. nos introduxit ad æternam felicitatem. Iſta eſt vox prodigioſa DEI ſuper aquas: *Vox Domini ſuper aquas:* Pſal. 28. v. 3. ad cujus ſonum illi correſpondent per Echum imponderabilia mirabilia. Vox, in qua compendiavit DEUS in noſtrum favorem omnia prodigia ſuæ Omnipotentiæ: *Vox Domini in virtute.* ibid. v. 4. Vox, in qua ex ſua liberalitate infinita ſpargit ſupra animam omnes theſauros immenſos: *Vox Domini in magnificentia.* Vox, ad quam feliciter confregerunt capita, cedri coronatæ gentilitatis; *Vox Domini confringentis cedros.* Vox, quæ tranſmutando deſerta, in quibus ſolummodò ſpinæ erant, & rubi Idololatriæ cæcæ, & fœdæ, convertit illa in amæniſſimos hortos admirabilium virtutum: *Vox Domini concutientis deſertum.* Vox, qnâ provisum rationalibus cervis levitate & agilitate ſit, ut irrideant aſtutias ſerpentis inimici: *Vox Domini præparantis cervos.* Et vox tandem, quæ intercidens per medium, à flammis æternis liberas ſinit animas: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.*

Tantáne eſt virtus paucorum verborum? Interrogate de hoc III.
aſtra. Interrogate de hoc omnes creaturas. Et omnes vobis dicent, quod illarum eſſe, illarum vivere, illarum reſpirare totum nihil aliud ſit, quàm Echo vocis prodigioſæ DEI; *Ipſe dixit, & fa-*

cta ſunt; Pſal. 32. v. 9. Quanta promptitudine Vitriarius imponit fiſtulam ferream in fornacem, extrahit unam maſſam ardentem in cuſpide, applicat illam ad typum, & ad unicum flatum quid fit? Una cotyla, vel unus crater totus cryſtallinus, quàm pulcher, quàm diaphanus, quàm purus? Ornamentum menſæ alicujus Regis, illud, quod priùs erat cibus titionum. Tantúmne poterat facere unicus flatus? *Tanti artificis valet halitus oris.* Quid itaque interrogatis? Ex illa ipſiſſima maſſa, quæ pro nunc ardet in inferno in tot animabus Gentilium & Idololatrarum, ex illa ipſiſſima ſunt noſtræ Animæ; quando iſte Artifex Divinus voluit extrahere in vaſa pura pro ſua menſa; & ad reſpirationem ſui Divini oris per hæc brevia verba? *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii. & Spiritûs Sancti* nos effecit cryſtallo puriores, vaſa ſole admirabiliora.

IV. Hanc formam ergò Baptiſmi inſtituit expreſſis verbis Vita noſtra Chriſtus JESUS, quando, mittendo ſuos Apoſtolos ad prædicandum, illis dixit: Ite, docete omnes Gentes *baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti.* Matth. 28. v. 19. Hanc formam eſſe eſſentialiter neceſſariam, ut ſit validus Baptiſmus, definit Sacrum Concilium Florentinum, illam ſtabiliunt diverſi Canones Sacri, in illa conveniunt omnes Sancti Patres. Hæc forma eſt tam invariabilis, ità ut ſi ei auferantur verba, vel addantur, tali modo, ut eam mutent, non erit Baptiſmus. O DEUS! Utinam omnes illam quàm optimè imprimerent ſuæ memoriæ; repeto illam: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Per hæc verba invocamus, & profitemur expreſsè Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; cùm enim ſit primum, & principale Myſterium noſtræ Fidei, in introitu per portas Baptiſmi debemus expreſsè illud confiteri. Expreſsè dixi; unde ſi alius diceret: *Ego te baptizo in Nomine DEI,* iſte non eſt Baptiſmus, quia quantumvis DEUS ſit Sanctiſſima Trinitas, attamen etiamſi in iſto nomine illam recognoſcamus implicitè, nihilominus non declaramus illam cum expreſſione, & ob hanc ipſam rationem non eſſet Baptiſmus, ſi quis diceret: *Ego te baptizo in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, quia debemus confiteri cum expreſſione Unitatem Eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum. Hac de cauſa omninò dicimus *in Nomine*, & non in nominibus, quia taliter confitemur Unitatem Eſſentiæ, unum ſolum DEUM,

UM, & adjungimus: *Patris, Filii, & Spiritûs Sancti*, quia cognoſcimus tres Divinas Perſonas. Et hæc forma, modò ipſi non tollatur vel unicum verbum, nec mutetur, eſt eſſentialis in qualicunque lingua proferatur. Non eſt neceſſarium illam proferre in Latino idiomate: Si ſcimus melius Italicè, ad quid illa volumus uti in Latino? Et tamen audio ſignare ſe aliquos cum mille ineptiis & erroribus, volentes ſe ſignare in Latino. Jam quid erit in timore, in feſtinatione, in quibus poteſt occurrere neceſſitas baptizandi aliquem infantem? & cùm id poſſit occurrere omnibus, quotquot me audiunt, viris & fœminis, parvis & magnis, quæ compaſſio non erit, ob inſcitiam formæ, perdere Animam? & ego timeo, an non ſint plurimi hoc ignorantes. Doctiſſimus Poſſevinus, Parochus expertus, & multorum annorum, affirmat, quòd ex multis, quos portabant ad Eccleſiam jam baptizatos domi ob neceſſitatem, & dicebant illos bene eſſe baptizatos, examinando Baptiſma, invenerit plurimos non fuiſſe baptizatos propter errores ſubſtantiales commiſſos in forma. Itaque quid erit de illis, qui fuerunt mortui? Doctiſſimus Marchantius, pariter Parochus magnarum experientiarum, ſpecificat errores, quos in hoc paſſu invenit ille ipſemet etiam in multis obſtetricibus, quæ tenebantur ſub peccato mortali ſcire formam: Inveni, dicit, quòd una ſinè pronunciatione: *Ego te baptizo*: aquam ſemper fuderit, dicendo: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Et cùm non dixerit, *ego te baptizo*: pariter non fuerunt Baptiſmi illi quos fecit. Alia de qua refert Sanctus Vincentius Ferrerius, quòd fuderit aquam dicendo: Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & Virginis Mariæ, & omnium Angelorum; & ſi adhuc ampliùs adjunxiſſet; & omnium Sanctorum, & omnium Beatorum; iſte non fuit Baptiſmus, & fuit neceſſarium rebaptizare, qui taliter baptizati erant. Et quid, ſi hoc non fuiſſet reſcitum? Aliam inveni, dicit Marchantius, quæ quantumvis bene dicebat, & punctualiter formam, attamen alia aquam fundebat ſuper infantem. Baptiſmus ex integro incertus; quandoquidem in tali caſu, qui dicit: *Ego te baptizo*, non dicit hoc cum veritate, quia ille aquam non fundit. Alia obſtetrix mihi faſſa eſt, quod repetierit quater vel quinquies formam, pro majori ſecuritate. Oh DEUS! quæ ignorantiæ! Vos tamen mihi dicetis: hoc ſolummodò ſuccedit

dit inter plebem, & parvis vicis & locis; ſed in civitate, ſicuti iſta eſt, quis ignoraret rem tam facilem, in extremo tam maximi momenti, in qua tantum poſitum eſt? Certum eſt, quòd ità eſſe deberet, ut nullus ignoraret. Nihilominus noſter Doctiſſimus Quintanaduegnas refert, quòd in Xeres, Civitate optimè nota, & ſufficienter populoſa in Andaluſia, certa Obſtetrix, & ex approbatis per longum temporis ſpatium omnes illos quos baptizavit in anguſtiis, baptizaverit ſub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & gratia Spiritûs Sancti. Oh DEUS! ex induſtria adjungere unicum verbum, & tot animas periculo exponere! Gratia Spiritûs Sancti non eſt Perſona Spiritûs Sancti. Quamobrem non invocata Perſona Spiritûs Sancti, non erat Baptiſmus. Ità hoc recognovit Archi-Epiſcopus Dominus Petrus de Caſtro, & Chignones, & mandavit rebaptizari omnes illos, quos illa baptizavit. Et illi, qui fuerunt mortui? Oh DEUS! Unicum ſolum verbum, quod mutatur vel aufertur, ponderat tantum, quantum ſalus unius animæ.

V. Tempore Anaſtaſii Imperatoris, & Simmachi Papæ, Deuterius hæreticus Arrianus Archi-Epiſcopus Conſtantinopolitanus, acceſſit ad baptizandum certum virum, qui vocabatur Barla. Et cùm eſſet maledictus & ſacrilegus error Arrianorum negare æqualitatem Filii cum ſuo æterno Patre, mutabant pariter formam Baptiſmi. Perventum eſt ad actum, & poſitus ad fontem Baptiſmalem baptizandus, ſumpſit Epiſcopus urceolum plenum aquâ, perrexit formam proferre; quomodo? in hunc modum: *Baptizetur Barla in Nomine Patris per Filium, in Spiritu Sancto.* Quæ mutatio eſt illa, de qua admiramini in his verbis? *Baptizetur*, dicetis; quia ſic non debet dici. Verum eſt ſecundùm ritum Eccleſiæ Latinæ, quem nos debemus ſequi; ſed ſecundùm modum loquendi Græcorum erat idipſum: *Baptizatur*; quod apud nos: *Ego te baptizo*; & ſic ob hoc verbum non invalidatur Baptiſmus. Progrediamur igitur ulteriùs; *in nomine Patris*; hæc omnia bene ſubſiſtunt. *Per Filium.* In iſto *per* conſiſtit error. Eſtne quid plùs quàm unica ſyllaba? Ecce iſthic ſtat hæreſis, & perverſiſſima quidem inter alias, quæ ſuſcitatæ fuerunt contra Fidem. Et quid accidit? ad pronunciationem verborum iſtorum Epiſcopi hæretici diſparuit ex urceolo & ex fonte Baptiſmali omnis aqua, ità quidem ut nec unica remanſerit guttula; nolente

lente DEO ſervire aquam huic formæ ſacrilegè perunicam ſyllabam ſolam mutatæ. Barla foras profiliit fugiens eò ipsò momentò, narravit omnibus miraculum, & curavit ſe baptizari ritu & formâ Catholicorum. Alius Arrianus hæreticus volens repetere illam ipſam formam, manſit omnimodè mutus, ità quidem, ut nec unicum potuerit proferre verbum. In tantum zeloſus eſt DEUS pro forma hujus Sancti Sacramenti.

Jam autem pro fine; quis eſt ille, qui poteſt baptizare? quod idem eſt, ac vos interrogare, quis eſt Miniſter Sacramenti Baptiſmi? Talem poſuit Dominus tam facilem, ſicut pro materia poſuit aquam; quia loquendo generaliter, ſi attendatur validitas Baptiſmi, omnes, ſit ille quiſquis velit, quando habent uſum rationis ad intelligendum illud, quod faciunt, & ad habendam intentionem faciendi illud, quod facit Eccleſia, omnes ſunt Miniſtri Baptiſmi; ſed cum hac diſtinctione, quòd, quantumvis in qualicunque caſu, vel neceſſitatis, vel ſinè illa, quiſcunque baptizet, ſit ille quiſcunque velit, Vir vel Mulier, Sacerdos vel Laicus, ſi habent intentionem debitam, & fundendo aquam naturalem dicit punctualiter pronunciando formam, Baptiſmus eſt validus, ſemper in qualicunque caſu. Eſt validus, & manet ſinè omni dubio baptizatus, qui illum ſuſcepit; ſed peccabit, vel graviter, vel leviter ille, qui illum conferret, ſi non obſervetur diſtinctio, quam jam ſubjungo: quia per diſpoſitionem Sanctam Eccleſiæ & Chriſti, iſta poteſtas eſt conceſſa ſolummodò ex poteſtate Ordinis, Epiſcopis, & Sacerdotibus, & ex ſpeciali diſpoſitione Juris ſolummodò Rectoribus Parochiarum, ſinè quorum licentia nullus Sacerdos poteſt conferre Baptiſmum ſolennem; & poſtmodum ex commiſſione, & in defectu Sacerdotum, ſunt Miniſtri Diaconi. Hoc eſt ut fiat Baptiſmus, extra neceſſitatem, cum ſuis debitis Solennitatibus in Eccleſia. Sed in caſu neceſſitatis, & in anguſtia dum Mater periclitatur, & infans moritur, in tali caſu quis poterit fundere aquam & baptizare? primus quiſcunque invenitur poteſt fundere aquam & proferre verba formæ: attamen etiam in neceſſitate, ut res fiat licitè, debet ordo reſpici, nè, præſente Sacerdote, baptizet Diaconus, vel Subdiaconus, & multò minùs ſæcularis. Si adſit vir, non baptizet fœmina; dum adeſt præſens Chriſtianus, non baptizet Gentilis. Attamen ſi Ob-

VI.

ſtetrix, vel alia mulier ſcit bene formam Baptiſmi, & tantò magis ſi rogetur, & vir qui præſens eſt illam neſcit, baptizet in omni caſu mulier, vel obſtetrix; multùm enim in hoc poſitum eſt, ut ex integro aſſecuretur hoc Sacramentum. Et hac de cauſa, etiamſi Hæreticus, Judæus, Gentilis, habendo debitam intentionem applicent debitam materiam, & formam, faciunt verum, & validum Baptiſmum. Sed ſi dat locum, & tempus anguſtia, procuretur ut id peragat Sacerdos. Quantum importet iſta cura voluit nobis cælum id demonſtrare ſequenti prodigio.

VII. Antverpiæ, Civitate celeberrima Flandriæ, refert Bedembachius, & ex illo noſter Antonius Daurontius Flor. Exemp. tom. 3. tit. 4. exemp. 5. Erant duo Conjugati: Ex illis, prout ſolet eſſe in iis partibus, Maritus erat Calviniſta, & uxor Catholica. Oh quale par! obtinuerunt filiolum, & cum illo nata eſt eis quàm maximè obſtinata contentio; quia quantumvis conveniret uterque in eo, ut baptizaretur; nihilominus tamen hæreticus Maritus volebat, ut baptizaretur formâ, & ſacrilegis ritibus Calviniſmi, Uxor Catholica defendebat omni vi, illum non debere baptizari, niſi formâ & ritu Catholicorum. Et videns Hæreticus ſe nec authoritate, nec vi poſſe prævalere, volebat ad ſuum pervenire intentum aſtutiâ. Deprehendit inconſideratam uxorem, fecit eam obdormire; & eò ipsò momentò acceptò infante abit feſtinans, & portat illum ad miniſtrum Calviniſtam, ut illum ſibi baptizaret. Cœpit hic ſuas exercere cæremonias, venit ad ipſum actum, & quando intendebat fundere aquam, advertit infantem eſſe mortuum; recognovit magis, & magis, & invenit infantem jam eſſe ùt marmor frigidum. Quomodo ergò me tu vexas? dixit Patri. Cùm infans iſte ſit mortuus, quare mihi huc illum attuliſti? Jurabat ille, & perjurabat ſe ipſi vivum attuliſſe infantem. Et jam videns, & advertens infortunium, redit currens cum infante nè ſaltèm ſic res detegeretur. Intrat pedetentim in ſilentio, & dormienti adhuc uxori reponit ablatum infantem in locum, ex quo illum tulerat, & exit ad deflendum caſum. Sivit tranſire aliquod tempus, poſtmodum intravit: Et, mulier, ait: quomodo ſe habet veſter filiolus? bene, reſpondit, & jam ſinè ulteriori dilatione hodie illum baptizabit Sacerdos Catholicus. Si ſe bene habet, & ſanus eſt, repoſuit maritus ego vobis

hoc

hoc concedam. Vertit ſe illa ad hoc dictum multùm exultans, accipit ad manus infantulum, & invenit illum vivum, pulchrum, & hilarem. Taliter attonitus remanſit Pater ad hoc prodigium, ut non ſolum infantem curaverit baptizari ritu Catholico, ſed ille ipſemet etiam abjuraverit, & hæreſim ſuam deteſtatus fuerit.

Fortunatus infantulus, qui taliter, mediante morte, invenit vitam. VIII. Fortunatus infans, quandoquidem per illum nata eſt optima vita pro ſuo Patre; & fortunata Mater, quæ taliter utriuſque fortuna optima fuit; cùm unus & alter debebat ejus zelo Catholico optimam vitam gratiæ.

INSTRUCTIO IV.

De admirabilibus, & glorioſis Effectibus, Sancti Baptiſmi.

QUod in Cælo maximè æſtimatur, & quod in Mundo pretioſiſſimum eſt, quantùm, quoad æſtimationem, ad invicem ſimilitudinis habent, tantum ſibi in damnum, & multum in remedio ſimilia ſunt. Quod maximè in cælo æſtimatur, ſunt Animæ, & pretioſiſſimum mundi, ſunt margaritæ. Accepit margarita, forſitan quia effigies eſt animarum, nomen pretioſæ, & quidem in tantum, ut confirmans illi hoc Mercator ille Divinus, qui deſcendit de cælo ad deponenda in noſtro lucro ſua propria lucra, non recuſaverit dare quantum habebat divitiarum, ſolummodò pro obtinenda iſta tam pretioſa margarita: *Inventâ una pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*; Matth. 13. v. 46. Attamen videte hic, quòd, etiamſi ex ſua natura ſit margarita tanti pretii, tanti valoris, tantæ æſtimationis, nihilominus tamen nihil valeat, ſi quandoque obfuſcatus ſit ejus ſplendor ab aliqua umbra: ſinè candore, ſinè luce, pallida, fumoſa, ſordida ſpernitur, vilipenditur, & abjicitur. O quale damnum ob unicam umbram! Quæ umbra fuit iſta, interrogarem ego, tam enormiter nociva, quæ in tantum immergendo ſe importuna in hanc ſtillam cæli, in hunc ſudorem auroræ, in hanc lacrymam ſolis mutando ejus ſplendorem in obſcuritatem, ſuſtulit omne pretium illi, I.

quæ per ſeipſam habebat eſſe totam pretioſam? Quæ umbra ità efficax, quæ incorporata huic margaritæ, locò nativæ lucis ſui orientis, introduxit illi maligna mæſtam obſcuritatem ſuæ noctis? Caſus fuit, diceret nobis Plinius, quòd in conceptu hujus margaritæ, quando reſpiciebat Cælum pro Patre, obſcurum tunc Cælum, lugubre, & turbidum, dum illam debebat effigiare ſuo claro oriente, imbibit ei inviſcerando ſuæ exiſtentiæ omnem tenebroſitatem fatalis noctis; *Eundem pallere Cælo minante conceptum.* Infauſta margarita, quæ taliter perdidit omne ſuum pretium eò ipsò momentò, quò concipiebatur ùt pretioſa. Nunc igitur, quale remedium inveniemus contra tam grave damnum? Quomodo conſequemur, ut iſta margarita tam pallida, tam obſcura, & abſque indicio ſui orientis, rurſus adipiſcatur ſuum ſplendorem, recipiat ſuam lucem, ſuum candorem, ſuam pulchritudinem, & ſuum pretium? Nulla alia re opus eſt, dicunt Naturaliſtæ, quàm dare illam ad devorandum columbæ, quæ intra ſuum jugulum, absque eò quòd conſumatur à calore, illam purificat, illam mundat dealbat, taliter, ut poſtmodùm eam reſtituat jam candidam, puram, ſplendentem, & pulchram. Prodigioſum ſecretum naturæ! *Quæ gratia*, dixit Franciſcus Rueo citatus à noſtro Raynaudo, *quæ gratia eis per geneſim deſideratur, reſarcitur per columbas, quæ devoratas margaritas puriores tandem reſtituunt.* Quamobrem umbram tetram quam hæc margarita contraxit in conceptu, & in ortu ex ſua naturali matre, illam ex integro perdit, purificatur, & exornatur, quando denuò meliùs naſcitur ex columba. Rarum ſecretum naturæ; ſed quis jam non advertit me depinxiſſe prodigium majus gratiæ in multò pretioſioribus margaritis, quæ ſunt Animæ renatæ in Baptiſmo à multò Diviniore Columba, nimirùm Spiritu Sancto. Concepti fuimus omnes in nocte obſcura peccati originalis, quod ab Adamo implevit mundum tenebris, & in ipſo puncto conceptionis, introductæ in Animam cujuslibet hæ tenebræ peccati. Illæ, quas DEUS formaverat pretioſas margaritas omnis æſtimationis, naſcuntur jam obſcuræ, ſinè ſplendore, & in tantum ſinè pretio, ùt ſolummodò ſint abjiciendæ. Quale remedium? Hic nos nullum habebamus, nec poteramus per noſmetipſos illud conſequi. Hac de cauſa ergò inſtituit nobis noſtra Vita Chriſtus JESUS Sanctum Sacramentum Bap-

Baptiſmi, ad cujus verba vitæ, deſcendens immediatè de cælo, prout illic in Jordane, figura noſtri Baptiſmi: *Deſcendit Spiritûs Sanctus corporali ſpecie ſicut columba:* Luc. 3. v. 22. Deſcendens, dico, Columba puriſſima, Spiritus Sanctus, aſſumens intrà ſuum Divinum ſinum, Animam baptizatam, illam efficit ſuo calore Altiſſimo & Sanctiſſimo, margaritam reſplendentem, puram, & ità pretioſam, ut fiat totus Amor DEI. Meliùs ergò dicam ego de his margaritis æſtimatis à Cælo, illud, quod de aliis pretioſis Mundi dicebat Rueo: *Quæ gratia eis per geneſim deſideratur, reſarcitur per Columbam.*

Jam itaque dixi per hoc gratioſiſſimam efficaciam Sancti Sacramenti Baptiſmi, cujus effectus, quos non ſufficiunt dare ad intelligendum linguæ Seraphinorum, ſequuntur à me exponendi in hodierna explicatione. Iſta eſt nativitas admirabilis, quam in Baptiſmo, dicit nobis Catechiſmus, conſequimur: *Quid eſt Baptiſmus? Eſt ſpiritualis nativitas, in qua nobis datur eſſe gratiæ, & inſigne Chriſtiani.* Iſta eſt Divina regeneratio, quam dicit Apoſtolus ad Tit. cap. 3. v. 5. nos conſequi in hac aqua: *Per lavacrum regenerationis.* Sinite me hoc nihilominus explicare per aliquam ruditatem ſatis brutalem. Naſcitur urſus ex matre, ſed tali modo, ut vix poſſimus dicere illum natum eſſe; quia naſcitur quædam maſſa informis, maſſa abortiva, ſinè figura, ſinè diſtinctione membrorum, ſinè varietate partium; mater idcirco fomentando poſtmodum illam maſſam ſcabioſam ſuo calore, ſtringendo illam inter ſua brachia, continuat illi linguâ membra formare, elaborando effigiem, uſquedum urſum efformet in ſua ſpecie perfectum. Nunc ego dicerem, illum naſci, non quando prodiit ex ventre matris abſurdus abortus naturæ, ſed quando formatur per os, ut acquirat functiones vitæ. Elevate nunc veſtram mentem ab iſta brutali materialitate ad generationem multò excelſiorem. Nati ſumus per naturam filii Adami cum omni feritate abominabili culpæ. Quàm difformes, quàm horribiles? Accipiendo nos igitur noſtra Mater Eccleſia in ſuum ſinum, calefaciendo nos in ſuo utero, iſte eſt Fons Baptiſmalis, ità eſt nominatus à Sancto Joanne Chryſoſtomo: *Uterus Eccleſiæ*; in illis aquis, applicando ſuam linguam in ſuo Miniſtro cum verbis formæ, immediatè ex uno abominabili monſtro, format omnimodè effigiatam pulchritudinem II.

DEI; ex habitatione dæmonis, templum pulcherrimum, in quo habitat Spiritûs Sanctus, & ex filio Adami, ex filio iræ, & maledictionis, filium DEI per gratiam. Omnia iſta itaque facit gratia in Anima, quæ eſt primus effectus Sancti Baptiſmi. Gratia (definit Sanctus Thomas) eſt certa qualitas ſupernaturalis quam creando DEUS in intimo ſinu animæ, in illa recepta, illi unita, ut lux illam illuminat, ut ſplendor illam illuſtrat, delendo omnimodè illius maculas, diſſipando ejus umbras, implendo illam cæleſti pulchritudine, ratione cujus eſt anima Templum Spiritûs Sancti, & vocatur, & eſt filia & hæres DEI. Oh quæ dignitas in tantum incredibilis! *Videte*, dicit nobis Sanctus Joannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur & ſimus*; 1. Joan. 3. v. 1. Qualis amor fuit iſte DEI, qui non ſolùm voluit, ut nominaremur, ſed ut eſſemus ſui Filii cum majori proprietate, cum majori rigore præ illo, quo eſt filius quilibet ſuorum Parentum naturalium. Quandoquidem à Parentibus terrenis nihil plus percepimus præter materiam pro eſſe; ſed ab iſto Patre Divino, quando nos regeneravit in Baptiſmo, accepimus cum gratia eſſe totum novum, totum excelſum, totum Deificum; propter quod Spiritus Sanctus fit anima noſtræ animæ, cor noſtri cordis, Spiritus noſtri Spiritûs. Id quod eſt anima in corpore, hoc eſt Spiritus Sanctus in corpore Eccleſiæ, dicit Sanctus Auguſtinus; & ità pariter proportionaliter hoc eſt in anima cujuslibet illorum, qui ſunt in gratia: *Membra veſtra templa ſunt Spiritûs Sancti* dixit Apoſtolus 1. ad Corint. 6. v. 19.

III. Quis poteſt effari Dilectiſſimi, veritates tanti momenti quin concipiat dignas cogitationes de nativitate tam Divina? *Princeps ea, quæ ſunt digna Principe, cogitabit*, aſſerit Iſaias, cap. 32. v. 8. Concitaretur ad iram Princeps, ſi haberet tam viles, & abjectas cogitationes, acſi eſſet filius alicujus curſoris aut cujusdam ſimplicis famuli. Jam autem quomodo Chriſtianus, qui natus eſt DEI filius per Baptiſmum, de nulla alia re cogitat, quàm de lucris caducis? Ad nihil aſpirat, quàm ad dignitates, & præeminentias terrenas, & non lætatur præterquam in ſatisfactionibus ſenſuum ex pulvere conſtantium? Oh quam viles cogitationes pro Filio DEI! Revocemus nobis in memoriam Chariſſimi mei, nos eſſe Principes propter Baptiſmum, non Principes de ſanguine terreno, qui quantumvis eſſet

omni-

omnium ſimul maximorum Regum, & Monarcharum mundi, omnis hic eſſet reſpectu hujus immunditia, ſed de ſanguine JESU Chriſti, qui per Baptiſmum nos fecit ſuos fratres, dando nobis nomen, & eſſe excelſum filiorum DEI. Qualis pudor erit, habere dignitatem tam ſublimem, & dishonorare illam vitâ ignominiosâ?

IV. Nihilominus tamen, acſi dignitas tam immenſa, fors tam infinita, qualis eſt illa quam nobis dat gratia, exigua eſſet, adjunguntur etiam illi ornamenta pulcherrima, quæ adjuvant ad ejusdem conſervationem. Iſtæ ſunt tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, quæ in Baptiſmo infunduntur animæ, ad illam regendam, ac uniendam illi poſſeſſioni felicitatis æternæ. Et cum his ſeptem dona Spiritûs Sancti, quæ formando illi, & præbendo lucidum ductum, illam defendunt. Et tandem pro ultimo, ſicut pectorale ex inæſtimabilibus adamantibus, illi imprimitur character Chriſtiani: illud ſignum diſtinctivum fortunatum, quod non delebitur in anima per totam æternitatem. Et jam nunc in conſpectu tantæ pulchritudinis, tanti ſplendoris, tantæ lucis, ubi eſt feritas illa horribilis culpæ, quam paulò ante habebat iſta anima adeò abominabilis? Oh magne DEUS! *Contribulaſti capita draconum in aquis*, Pſal. 73. v. 13. Remanſit in illis aquis naufragum peccatum, ſubmerſus draco, fugit dæmonium. Oh quomodo pleni jubilo ſumentes Patrini ex fonte baptiſmali infantulum, deberent cantare multò meliùs illum hymnum gratiarum actorium, quàm illic Iſraëlitæ videntes ſubmerſum in mari rubro Pharaonem, unà cum ſuis curribus: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare*; Exod. 15. v. 1.

V. Iſte eſt ergo alter effectus Baptiſmi, non ſolùm liberare animam à culpa originali; ſed quòd, ſi adultus eſt ille qui baptizatur, liberetur ab omnibus quibuſcunque peccatis commiſſis, ſint illa qualiacunque velint, & ab omni pœna, quæ illis debebat correſpondere in altera vita; *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU*, dixit de hoc puncto Apoſtolus ad Rom. 8. v. 1. Quod optimè nobis dat intelligendum hunc felicem effectum, ille eventus tam admirabilis, quem referunt graviſſimi Authores. Teridates Rex Armeniæ fuit ſanguinoſiſſimus, & truculentiſſimus perſecutor noſtræ Fidei, exequens cum feritate barbara terribiles atrocitates in Chriſtianos.

Voluit

Voluit illum DEUS caſtigare, non ſicut is merebatur, ſed ſicut Divina poſtulabat pietas. Certo igitur quodam die, totâ Aulâ venationi inſiſtente; ecce, in medio curſu, ex improviſo Rex Teridates porci figurâ induitur, ità ut omnium oculis porcus ille conſpiceretur. Et quod pejus eſt, externæ porci Metamorphoſi, jungebatur continuo etiam ferocia, & ſævitia, ut quaſi furiis infernalibus agitatus, dentibus ſuis propriam rabiosè dilaceraret carnem, atque devoraret. *Erat Teridates*, ait Metaphraſtes apud Surium tom. 5. die 30. Septemb. in vita S. Gregorii Armen. Martyr. *extrinſecus porcus, interna crudelitatis, & cæni voluptatum, & porcinæ vitæ ſimul Imago, & pœna.* Sciendum autem eſt, hunc ipſum Regem aliud enorme admiſiſſe ſcelus: Aulicorum nempe ſuorum quemdam, cui Gregorius nomen erat, in ſpecum ſubterraneam ſerpentibus, omnique animalium venenatorum genere plenam, conjeciſſe, eam ob cauſam, quòd Chriſti Fidem nunquam negare voluerit. Jámque elapſi erant duodecim anni, quando Soror Teridatis, Cuſaroduta dicta, ob fratris miſeriam extremè afflicta, hæc verba ex ore Viri ſolè ſplendioris, per ſomnium audit: *Gregorium ex illo ſerpentum cubili extrahite, Teridatésque liber erit.* Fides viſioni huic non alia, quàm ſomnio, adhibebatur: credebant enim omnes, Gregorium non tantùm mortuum; ſed omninò à rabidis beſtiis corroſum. Nihilominus nonnulli magnâ cum difficultate ad explorandam veritatem miſſi, Gregorium, non ſolùm vivum, ſed etiam hilarem invenerunt, & extractum tam ferali ſpecu, ad regiam deduxerunt. Rex cum tota Aula ſua extra muros Viro Sancto obviam proceſſit, proſtratúsque in terram, tam grunitibus, quàm geſtibus porcinis, prout potuit, humillimè miſericordiam implorabat. Non ſic autem ſolus erat affectus execrandus Teridates, ſed & omnes, qui erant cum eo milites, & quicunque ex Magiſtratibus, & aliis Civitatibus ſimul lætabantur iis, quæ perpetrata fuerant, cum eodem luctabantur dæmone: non quod eſſent ipſi quoque porcorum induti ſpecie, ſed in furorem redacti erant, & à ſe planè diſceſſerant. Sanctus ergò Gregorius, poſt alia cum Rege peracta, docuit Regem & omnes Aulicos, oportere eos priùs deſiſtere ab errore ſimulachrorum, deinde ad DEUM verum accedere: & quòd ſi converſi fuerint ab impietate, eveſtigiò eorum calamitatis conſequetur ſolutio. Et cùm pau-

pauca de ortu Mundi, & futuro ſæculo, & novi Teſtamenti Myſterio, & magna erga homines DEI benignitate, & Clementia diſſeruiſſet, & eos qui aderant Myſteriis initiâſſet, cum jam adveſperaſceret, Cætum dimiſit. Sequenti autem die jejunium quidem ad ſexaginta uſque dies totos univerſo populo denuntiat: & ipſe ea quæ in Myſteriorum initiis prius dicta fuerant, in his repetens, & quæ deerant adjiciens, & vitam eorum, qui in virtute excelluerunt, in medium adducens, ad imitationem, & æmulationem illorum animos accendebat, & abundè eis præbebat tales fruendas conciones. His ità peractis, & aliis, ùt fuſiùs apud Surium legi poteſt, in finem deductis, omnibúsque in Fide Chriſtiana inſtructis, Rex cum ſuis Aulicis baptizatus eſt, integrámque hominis formam recepit.

Replet ſtupore iſtud prodigium etiam ſolummodò relatum. Jam quæ comparatio ſpurcitiei, deformitatis, vilitatis, animalis immundi ad turpitudinem culpæ, quam ſemper abolet, & depellit ab Anima Sanctus Baptiſmus? Ità eſt Pater, dicetis mihi, ſi igitur iſte diſordo noſtræ naturæ, ſi iſta rebellio noſtrarum paſſionum, & appetituum, & ſi tot & tantæ miſeriæ quas patimur, infirmitatum, famis, mortis, & omnes reliquæ aliæ, ſi omnia iſta nata ſunt, ùt ex ſua funeſta ſcaturigine ex culpa originali; quare, cùm in Baptiſmo nobis condonetur culpa, & pœna, quæ debebat eſſe æterna, quare nobis etiam non condonantur, & à nobis non auferuntur iſtæ miſeriæ temporales? Huic tantæ interrogationi reſpondet authoritas Sacri Concilii Tridentini Seſſ. 5. In decreto de pec. orig. Relinquitur nobis concupiſcentia, paſſiones quæ nos aggravant, inclinationes quæ nos trahunt, ut pugnando cum illis ſpiritus, in iſta pugna, in iſta lucta, cui non deerit gratia, lucretur, & fabricet ſibi glorioſiſſimam coronam. In horologio pondera aggravant, detrahunt, ſed ſi illa non ſinis per ſe currere, ſerviunt pro bono, & concertato gubernio horologii. Non ſunt culpa, in ſe, iſta concupiſcentia, iſtæ inclinationes, iſti appetitus, in ſe non ſunt culpa; & turbantur in hoc ſinè profectu multæ animæ, quæ ex integro vellent quietè vivere, ex integro conquieſcentes; & ſolùm quia ſentiunt aliquam inclinationem, aliquem modum, jam omnia cogitant eſſe perdita. Si ratio reſiſtat, ſi ſpiritus ſe opponat, in hac pugna potius conſiſtit corona: *Invenio*, dicebat Sanctus Paulus ad Rom. VI.

7. v. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Certus quidam Sanctus Senex anachoreta habebat Juvenem tam perversi naturalis, ut in operibus, & verbis non cessaverit molestare Sanctum Senecionem, furabatur illi hoc quod laborabat, negabat id quod petebat, quando destitutus viribus in lecto non poterat se ipsum juvare. Ad omnia tamen Sanctus Senecio tacebat, tolerabat, & sufferebat usquedum adveniente jam horâ mortis: tunc accessit ad juvenem, & apprehendens manus ejus cum copiosis lacrymis illas sæpiùs deosculabatur, dicens: Ah manus pro me felices! ah quantum vobis maneo obligatus: *Hæ manus mihi coronam texuerunt.* Oh quantò meliùs poterit dicere hoc ipsum ille, qui bene restiterit in pugna suis passionibus, & appetitibus. Isti sunt illi, qui mihi coronam texuerunt; & hac de causa nobis relinquuntur in Baptismo.

VII. Et propter hoc etiam relinquuntur nobis omnes residuæ pœnalitates, & miseriæ hujus vitæ. Primò quia cùm in Baptismo nos uniamus esse membra nostri capitis Christi Domini, & ejus Majestas se subjecit his miseriis, quid videretur, dicit Sanctus Bernardus, si solummodò fruerentur commoditatibus, lætitiis, & deliciis illi, qui sunt membra capitis coronati spinis? Secundò: quia in Baptismo non quæritur temporaneum, sed æternum; nam, si expellenti nos mundo à se per tantas infirmitates, dolores, famem, mortem, infortunia, nihilominus tamen hoc non obstante, sumus eidem in tantum affixi; quid foret, si in illo nihil aliud haberemus, quàm omnia ad gustum, voluptates, & fortunas? Idcirco ergò DEUS reliquit nobis infinitè amabilis has pœnalitates, ut dum nobis serviunt pro tortoribus, faciant ipsum nos quærere: *O tormenta misericordiæ: cruciat, & amat*; dixit Sanctus Gregorius. Illum Prodigum, quando fuerat maximè perditus, fames, nuditas, miseriæ fecerunt redire ad domum Patris sui. Sanctus Wenceslaus Rex Bohemiæ, dum incidisset in potestatem suorum inimicorum, & inclusus carceri fuisset, interrogatus per jocum fuit: *In quo distingueretur Rex ab aliquo captivo?* cum Christiana libertate respondit: *Distinguitur in hoc, quòd Rex pro nunc cogitaret de rebus terrenis; captivus recogitet cælestia: distinguitur in hoc, quòd dum ego essem Rex vixerim pro me, dum autem modo sum captivus vivam pro DEO.*

Ob

Oh effectum admirabilem afflictionum, facere nos elevare taliter oculos ad cælum; *Domine in angustia requisierunt te*, Isai. 26. v. 16. dicebat Propheta. Tertiò, relinquuntur nobis hic istæ miseriæ; ut per tolerantiam, & conformitatem cum voluntate Divina per illas nobis accrescat capitale meritorum, pro introitu cum majori, & majori gloria in cælum, quod nobis jam relinquit apertum, & patens Sanctus Baptismus.

Iste est ultimus effectus, aperire nobis cælum, quod ex integro est occlusum illis, qui illum non consequuntur. Et istud aperire cælum, nihil aliud est, quàm mundare Animam à culpa, dare gratiam, ad quam sequitur habere jus ad hæreditatem gloriæ. Ista est pulcherrima consequentia Sancti Pauli: *Si filii, & hæredes:* ad Rom. 8. v. 17. si sumus per Baptismum Filii DEI; ergo si nobis non deest gratia, quæ nos facit filios, sinè omni dubio sumus ejus hæredes: *Hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Olim quidam vidit, quòd, dum permulti baptizabantur, Angelus scripserit in certo libro litteris aureis nomina baptizatorum. O librum vitæ! O recensionem æternitatis, & quomodo stabunt pro nunc in tuis archivis scripta nostra nomina! Claudo jam, & explico istum effectum infinitè felicem hoc admirabili eventu. VIII.

Habemus illum à P. Andrea Perez de Riva, in historia Missionum Provinciæ Mexicanæ nostræ Societatis Hist. Miss. Mex. l. 11. c. 11. In Missione, quam vocant di Parras, euntes ad illas conversiones duo Sacerdotes Societatis, pervenerunt ad certum cumulum seu turbam Indorum barbarorum; interrogârunt an aliquem haberent infirmum, quia in istis ut magis vicinis periculo, anticipatur semper diligentia. Responderunt illis nullum se habere, quia unus qui infirmus aderat, jam die elapso erat mortuus. Transfixit corda Patrum ista notitia; attamen audientes postmodum, quòd nihilominus corpus defuncti jaceret in ejus domuncula, revixit in eis Spes, quia illi solent jam pro mortuis habere tales, qui sinè sensibus sunt, nec loqui possunt, & tales pro mortuis derelinquunt. Iverunt illuc, & invenerunt rem sic se habere, non enim erat mortuus. Adhibuerunt qnantas diligentias illis dictavit charitas, ut eum ad se reducerent; consecuti sunt intentum, rediit ad se infirmus, & instruentes eum in omni brevitate de omnibus, quæ necessaria erant, de IX.

principalibus Fidei noſtræ Myſteriis, ad quæ omnia ille valdè attentus erat. Propoſuerunt illi, an vellet fieri Chriſtianus, & percipere Baptiſmum. Reſpondit promptus, quòd ità, quòd velit fieri. An abominaretur ſua peccata, & idololatriam? Reſpondit ſe omnia deteſtari, etiamſi per totam ſuam vitam, dixit, nunquam aliquod aliud malum fecerit; nec occiderit, nec ullum vulneraverit. His peractis baptizavit illum unus ex Patribus, & videns adhuc tempus ſupereſſe, dixit illi poſtmodùm, quomodo cum tanta facilitate conſenſerit, quod velit fieri Chriſtianus? Ad quod ille reſpondit: Vide Pater, à quo me apprehendit iſta infirmitas obtulerunt ſe mihi videndos duo homines pulcherrimi, albis veſtiti indumentis, & ex integro luce circumdati. Iſti me duxerunt ego neſcio quo; hoc quod ſcio eſt, quòd fuerim in quadam domo pulcherrima, in qua contentiſſimus manebam cum aliis quos ibidem vidi. Et videns ibi adeſſe ſedem vacuam, ibam ut me in illa collocarem; ſed me impediverunt, dicentes mihi: Non, hic tu non potes ſedere uſquedum baptizeris, & fias Chriſtianus. Vade citò: venient ad tuam domum duo Sacerdotes, qui tibi conferent Baptiſmum, ut mediante illô poſſis venire ad cælum. Hic deficiente illi ſpiritu ceſſavit loqui, & vivere, ut poſſet meliùs vivere in gloria.

X. Quòd ſi jam cum ſancta invidia illum ſequuntur corda noſtra, ſi, prout ille, habemus omnes per Baptiſmum patentem & apertam portam, eja igitur animoſi ſimus in pugna, ſiquidem in illa multò copioſior præ illo, nobis præparatur corona glòriæ.

INSTRUCTIO V.

De Patrinis Baptiſmi, & de illorum Obligationibus.

1. COronam nectit Ulmo frondoſa Vitis, quæ ab Ulmo fulcitur. Non evenit huic tam gratuitum, vel vili pretiô comparatum fulcimentum, quin illud non ſolvat tenacibus amplexibus; nec huic tam moleſtum onus, quin exinde non acquirat emolumentum; faciendo ſuos tantò maturiores fructus. Debet Vitis Ulmo, quod ſe videat excelſam plantam & generoſam; ſed etiam

etiam debet Ulmus Viti, quòd prodeat ratione illius ex infelicitate trunci inutilis, & infructuosi. Exsolvunt se itaque ad invicem. Et cùm porrigat Ulmus Viti manum quatenus ascendat; ista, ab infimo se elevat, ad formandam eidem suis racemis dulcibus Coronam. Ità ego contemplor meliore & fortunatiore aspectu alium meliorem amplexum, quando ad oram Fontis Baptismalis intueor tenerum infantulum, qui inter brachia Patrini feliciter renascitur, etiam illi spirituali nodo stringitur ut eum ascendere adjuvet. Felix Ulmus, quæ si hujus teneræ Vitis scit dirigere gressum in altum, quando illam ligant & obligant sui pampini, ascendunt & fiunt honor ejus omnes racemi quotquot maturos hæc Vitis protulerit. Ah oculi Fidei! ubi estis? quando quidem jam ista cæremonia Sanctissima Ecclesiæ, ista actio excelsa Christianismi, quasi solummodo adhibetur, vel ob exigua & humilia motiva, ùt plurimùm humanæ correspondentiæ, vel ob complementa mendacia mundanæ officiositatis.

Hodie itaque est pro nobis feria quinta Compatrum, & etiam II.
commatrum insimul; quod si otiositas illis assignavit duas ferias quintas pro illorum inutilibus conventiculis, ratio exposcit, ut assignetur alia feria quinta ad rememorandas eis justas obligationes; quæ jam videntur propriæ esse Compatrum. Dicam itaque de Patrinis, quos denominant Patres naturales, ad quos illorum denominatio pertinet, ut supponit Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. c. 2. nam de Patrino, quem nobis assignat nostra amorosa Mater Ecclesia, & de Patrino, quem nobis seligit noster amorosissimus Pater DEUS, pro nunc non datur tempus, ut loqui possimus, vel dignè illorum celebrare vigilantiam, admirari curam, scire gradum illorum amoris. Patrinus quem nobis assignat in Baptismo nostra Mater Ecclesia, ille est Sanctus, cujus nomen gerimus, cujus exempla nos excitant ad illius imitationem, & cujus nomen nos admonet, ut semper recurramus ad ejus patrocinium. Ità hoc dicit Rituale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi: *Quorum exemplis fideles ad piè vivendum excitentur, & patrociniis protegantur.* Patrinus Supremus, quem nobis assignat noster amorosissimus Pater DEUS, iste est Angelus noster Custos; qui, ut bene melior Theologia cum Sancto Thoma docet, hic solicitissimus Spiritus datur infantulo ab ipsissimo momento, in quo in ventre suæ Matris animatur;

quis idcirco non videt, quòd à Baptiſmo incipiat cum novo titulo ſua ſolicitudo amoroſior? Ità refert Sanctus Antoninus tr. 11. c. 1. §. 2. de Sancto Euſebio, qui poſtmodum fuit Epiſcopus Vercellenſis, quòd, dum iret Catechumenus ad percipiendum Baptiſma Romæ, ubi pervenit ad Fontem Baptiſmalem, duæ manus viſæ fuerint, quæ illum tenuerunt ex Sacro Fonte levaverunt, quæ abſque dubio fuerint illæ Angeli Cuſtodis, qui poſtmodum per repetitos favores ſe illi monſtravit & exhibuit bonum Patrinum. Sufficiat idcirco pro nunc feciſſe mentionem ſolùm horum Cæleſtium Patrinorum, ut in comparatione eorum cum aliis, vel erubeſcat negligentia, vel ſaltem conceptus melior formetur de tam nobili, quàm etiam ſacra obligatione.

III. Nata eſt quaſi cum Eccleſia hæc Sacra Cæremonia aſſignandi pro Baptiſmo Patrinos, eò quòd Sanctus Dionyſius Areopagitta, Diſcipulus fortunatus Sancti Pauli Apoſtoli, illius mentionem faciat, illam doceat, & illam exaltet. Sanctus Juſtinus Martyr, ſcriptor viciniſſimus temporibus Apoſtolorum, illam nobis refert, Tertullianus, Sanctus Auguſtinus, & alii Patres. Certum eſt, quòd quando etiam non adeſt Patrinus, qui teneat & levet infantem è Baptiſmo; non ideò Baptiſmus ſit ceſſaturus eſſe validus, prout ſinè culpa ſuccedit aliquâ, in caſibus neceſſitatis. Et ſolummodo eſſet graviſſimum peccatum mortale, ſi abſque præſentia Patrini ſolemnis celebraretur Baptiſmus; hoc eſt: non eſſe hanc Sacram Cæremoniam de eſſentia Sacramenti. Quale ergo intentum habuit Eccleſia in iſta Sancta Cæremonia? Quòd ſi in naturalibus, ubi mater non poteſt porrigere ubera ſuo filiolo, quærit nutricem, quæ infantulo ſuccurrat, & matrem adjuvet, vel ut illum nutriat: quòd ſi in educatione, ubi Pater non eſt ſufficiens ad docendum filium litteras, vel artem, vel ad dirigendum eum in moribus, quærit educatorem illi, vel magiſtrum; ità, non jam ob lac corruptibile terræ, ſed ob lac puriſſimum, & ſinè maculis Cæleſtis Doctrinæ, *ſinè dolo lac concupiſcite*, 1. Pet. 2. v. 2. non jam ob ſcientias humanas, ſed ob ſapientiam cæleſtem, ob ſcientiam animæ, quærit ſuo filiolo nutricem amoroſam, informatorem vigilantem, magiſtrum ſapientem, Eccleſia, qui, adjuvando illam, ità efformare ſuum filiolum in vita mul-

multò meliore ſpiritûs, tantùm, quantùm ille eſt Pater ratione vitæ corporis, ſit alter Compater ratione vitæ Animæ.

Sanctus Dionyſius Areopagita vocat Patrinos ſeu Compatres, Patres Divinos: *Sub quo, ſicut ſub Divino Patre puer degeret.* Patrem Divinum? Quale cognomen eſt iſtud? quis titulus? Qui quantum ſonat ineffabilem honorem, indicat inexplicabilem obligationem. Quam ſonat iſte titulus amoroſam curam? Quam dat ad intelligendum attentam ſolicitudinem? Et quale intimat ſupremum onus circa bona Animæ illius, qui aſſumptus eſt in filium? Pericles, Princeps Athenienſium, tradidit ſuum filium certo cuidam magno & famoſo Nobili Viro, dicto Meandro, quatenùs eſſet filii informator; Juvenis ille totus Informatori affectionatus ob bonam inſtructionem, cæpit vocare Meandrum Patrem: & de hoc in tantum fuit Pericles gaviſus, ut nec quidem ille ipſemet Juvenem vocaverit filium, uſquedum jam Meander fuiſſet mortuus. Tunc incepit illum vocare filium, & interrogatus quare hoc feciſſet, reſpondit: *Tantus honor debebatur amico Meandro.* Cùm enim meus filius illum vocaverit Patrem propter inſtructionem, nolui ego hunc titulum ſumere. Nunc quis honor erit vocari *Pater Divinus* propter cæleſtem & ſupremam doctrinam? Attamen adhuc parum videbatur dictum Sancto Dionyſio, & repetit nominare Patrinum; *Salvationis ſuſceptorem.* Oh quale depoſitum, quod ſi in illa ætate ex integro cæca, ratione malorum morum, perditur; quòd, ſi ex defectu inſtructionis, in bonis moribus informationis, & correctionis incurrit periculum; oh quàm difficulter mali mores adoleſcentiæ meliorantur! *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient:* Job. 20. v. 11. Non datur pejor grando pro vitibus præ illa, quæ illis aufert racemos in flore, ex integro omninò illas deſtruit. Quid itaque illi ſupereſt, qui curam illarum gerit? oh depoſitum in tantum neglectum! Certus quidam Cardinalis Gallus habebat adamantem inæſtimabilis valoris, cujus æſtimatio excedebat multa millia, quia ei non inveniebatur æqualis in ſplendore, in reflexione, nec in magnitudine. Tradidit illum cuſtodiæ cuidam ſuorum ſervorum, & ille repletus majori ſolicitudine quàm adamas in ſe continebat pretii, ubi illi non videbatur ſat ſecurum illum conſervare in ſcrinio, nec in optimè obſerrata arca, non ſolùm illum IV.

lum ſecum portabat, ſed etiam bene cuſtoditum, & poſitum ſupra proprium cor, quo omnibus momentis die ac nocte, mittebat manum ad recognoſcendum, an fortè adamas illi non deeſſet, & nullam habuit quietem, uſquedum non rediiſſet conſignare illum ſuo Domino. Jam quæ comparatio eſt facienda unius adamantis cum ſalvatione unius Animæ? Et iſtud eſt omninò illud depoſitum, quod accipit in ſuam cuſtodiam Patrinus, & de hoc illi erit reddenda ratio. Tertullianus & Sanctus Auguſtinus illum appellant *Sponſorem, Fidejuſſorem.* Et de qua re eſt iſta ſponſio, fidejuſſio, quam promittunt, ſtipulantur, & ſubſcribunt? Oh DEUS! Ego vobis dicam, quantumvis vobis videatur me nimiùm exagerâſſe obligationem Patrinorum. Sinite me itaque meliùs illam vobis explicare, & ob oculos ponere.

V. Primis temporibus Eccleſiæ, ante collationem Sancti Baptiſmi, illis qui illum expetebant, ſcitísne quid fieri ſolebat? Ponebantur, & annumerabantur inter Catechumenos, inter quos manebant per menſes, vel annos, id eſt, toto tempore quanto opus erat ad apprehendenda bene Myſteria, quæ illis credenda erant, Præcepta quæ obſervare debebant, Sacramenta, quæ debebant percipere, & unô verbô; uſquedum ſcirent & intelligerent Doctrinam Chriſtianam; & hac de cauſa obligabantur aſſiſtere omni die hujus explicationi, & uſquedum illam bene ſcirent, non conferebatur illis Baptiſmus, cum tanto rigore, ut repetitis vicibus examinarentur ad experiendum, an illam ſcirent; ſed poſtmodùm cum tempore, quia aliqui moriebantur abſque Baptiſmo, placuit benignæ Matri noſtræ Eccleſiæ, ad evitanda pericula, conferre nobis Baptiſmum ut infantibus immediatè poſtquam nati eſſemus. Quomodo autem? Cum promiſſione, quâ illi ſpondent Patres, & matres, quòd non velint deeſſe neceſſariæ inſtructioni Doctrinæ Chriſtianæ immediatè ubi ad capacitatem pervenerimus; & multò ampliùs cum fidejuſſione quam deſuper faciunt Patrinus, & Matrina, qui hac de re fiunt Fidejuſſores. Ità loquuntur Sacri Canones verbis ex Sancto Auguſtino depromptis c. *Vos ante omnia* 105. de Conſecr. Diſt. 4. *qui alium in Sacro Fonte ſuſcipit, pro illo apud DEUM fidejuſſor exiſtit.* Ità pariter conſpirant cum Sancto Thoma 3. p. q. 67. a. 8. Theologi. Jam itaque quale eſt illud debitum? Doctrina Chriſtiana. Illud verum eſt, hujus obligationis

tionis primarios debitores & principales esse Parentes; attamen Fidejussores sunt Patrini, & si debitor principalis non solvit, quid fit cum Fidejussore? jam hoc scitis; *Si spoponderis pro amico tuo, affixisti apud extraneum manum tuam.* Prov. 6. v. 1. Quot sunt perditi hic ratione fidejussionis? Ah! utinam non sint multi illorum, qui perdantur ratione hujus fidejussionis tam turpiter neglectæ?

VI. Ego fateor, quòd circa filios familiæ capacis, piæ & honoratæ, de qua probabiliter creditur, quòd Parentes proprii vel filios per se instruant, vel per Magistros, remaneat liber ab hac obligatione Patrinus; quòd si autem sciat, vel percipiat, quòd à Parentibus negligentibus, à Parentibus ignorantibus, nec sciatur, nec instructio fiat filiorum in Doctrina Christiana, est obligatus sub peccato mortali procurare quatenus filius illam sciat, vel illum instruendo, vel curando illum instrui. Materia est hæc tam gravis, prout illa, ex qua dependet salus; & idcirco cum Sancto Thoma conveniunt Doctores, quoad hoc esse obligatos sub peccato mortali Patrinos. Sacri Canones id gravissimis intimant verbis: *Vos ante omnia, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud DEUM extitisse pro illis, quos voluistis de Sacro Fonte suscipere*; c. *Vos ante omnia* 105. de Consecr. Dist. 4. Et verbis præceptivis Sanctus Papa Leo III. in Concilio Moguntino c. 7. *Deinde præcipimus, ut unusquisque Compater, vel proximi spirituales suos filios Catholicos instruant.* Nunc autem, veritas pura est, videmus esse tot infantes, de quibus notoriè est patens, quòd nec frequentent scholas, nec studia, qui habent vel matrem simplicem, & multum erit, an ipsamet sciat recitare *Credo*; vel Patrem barbarum, qui nec quidem recordatur, an sit DEUS; unde eruitur cum certitudine, quòd omnes isti infantes nec sciant Doctrinam, nec in illa instruantur. Qualis ergo erit obligatio illorum Patrinorum? *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*; Thr. 4. v. 4. Oh DEUS, quæ vita est hæc tam brutalis! De certa Panthera, animali ferocissimo, refert Plinius lib. 8. c. 17. quòd, dum ei cecidissent sui catuli in certam profundam fossam, videns illic eosdem præ fame mori, & impotens illos extrahendi, ejus tantus dolor fuerit, ut ex sylva prodierit ad viam regiam, & ibi primùm transeuntem viatorem, quem reperit, gemitibus, blanditiis, sub-

tia induxit, cognati Compatres, dum habentur pro Compatre, vel Commatre ille, vel illa, qui vel quæ donavit alteri ſcapulare; qui, vel quæ alterius domum frequentat; eſt iſta res riſu digniſſima, nec enim in hoc contrahitur aliqua cognatio ſpiritualis; & utinam hoc non fiat ad contrahendam cognationem carnalem.

VIII. Hac de cauſa itaque prohibet Eccleſia inter Conjugatos, ut nec Maritus, nec Uxor ſint Patrini ſuarum prolium, nè ligentur inter ſe ſpirituali cognatione. Hoc tamen intelligitur extra neceſſitatem; quia dum ſoli ſunt Maritus & Mulier, vel contingat quòd partus ſit inverſus, vel alio modo infans periclitetur, & nullus alius adſit, qui illum baptizet, baptizet illum ipſemet Pater, vel Mater; in tali enim caſu nec ideò contrahit cognationem ſpiritualem, nec impedimentum aliquod quoad ſuum Matrimonium. Ità hoc declarat Eccleſia cap. 7. ad limina XXX. q. 1. & idipſum affirmant Doctores omnes; ſed extra neceſſitatem vult Eccleſia, ut ſint Patrini diſtincti à Parentibus carnalibus; ut per diſtinctionem fiat debita æſtimatio hujus ſupremæ nativitatis Animæ; &: quam dignum ſit hujus ſpiritus, quem lætiſſimè aſſumunt hilares Angeli, Patrem eſſe & dici. Alexandriæ in Ægypto, refert Sophronius, certa quædam Virgo idololatriæ dedita, valde dives, & valde pulchra remanſit orbata Patre & Matre, & cum libertate utpote ſola, & cum incentivo ùt pulchra, & cum cæcitate infantili, relicta ſuæ liberæ voluntati. Quodam die vidit ex ſua domo vicinum ſuum, qui circumvolvens funem collo, & alterum finem funis arbori quàm fortiſſimè alligans, ſe volebat ex arbore ſuſpendere. Deſcendit illa currens ad hominem, ex quo quæſivit cauſam ſuæ tam ſtultæ deſperationis; ad quod ille cum lacrymis reſpondit: ſe tantis debitis eſſe gravatum, & talibus anguſtiis preſſum, ut illum eò adigerent, cum abſque hoc nullum aliud remedium præ manibus eſſet, cum vita finire anxietates & angores. Ad pietatem, & miſericordiam illa commota, & teneritudine tacta, allaboravit illum in meliorem partem commovere, & bonis rationibus ut ab hoc deſineret perſuadere; ſed videns, quòd iſta non proficerent; ſi hoc eſt, dixit illi, ecce hic habes vel totam, vel partem meæ ſubſtantiæ, quæ ſufficiet ut de tuis te liberare poſſis debitis. Et prout illi dixit, ità hoc executa eſt, dando illi uniones, lapides pretioſos, pecuniam, & veſtes, & fuit hoc tan-

tantum, quod ille perſolvit, ut hæc pauper effecta fuerit. Jamque neceſſitate preſſa, nullis amplius illi remanentibus cenſibus, nec proventibus, præter ſuam pulchram faciem, ſuos juveniles annos, & ſuam proclivem promptitudinem; quâ exponendo in infami officina ſuum corpus, lucrabatur pretiô mundum muliebrem & victum, ſub opinione publicæ meretricis. Sancte DEUS quæ compaſſio! Quòd eleemoſyna tam heroica non dederit clamores uſque in cælum, petendo, & clamando ad aures Divinæ miſericordiæ! Putatis quòd non? Pulſavit DEUS, ad illud cor idololatrum, & laſcivum tantis ictibus, inſpirationibus, demonſtrationibus, ut illa tandem ultimò, videns ſe infirmam, iverit ad Eccleſiam, & petierit ferventiſſimis inſtantiis Baptiſmum; ſed Parochus noluit illi conferre Baptiſmum propter ſuum malum nomen, & ſtatum, quæ non aſſecurabant, illam fore conſtantem in moribus Sanctis Chriſtianiſmi (talis erat uſus, & mos pro tunc, negare acceſſum ad Chriſtianiſmum publicis meretricibus) Negavit illum tandem ultimatè, quouſque non adduceret Patrinos, & Fidejuſſores approbatos, qui aſſecurarent de ejus conſtantia in Fide, & de melioratione morum. Et quis erat inveniendus, qui ei fideret? Nullum itaque inveniens, clamabat cum ſingultibus, & lacrymis ad portas Eccleſiæ; & ecce tibi videt venientem versùs ſe certum hominem, qui ei videbatur ille ipſiſſimus eſſe, quem illa annis elapſis liberaverat ſuô capitali à morte. Interrogat illam de cauſa ſuæ afflictionis; refert illa. Et hic actutum: expecta; ego enim tibi adducam Patrinos, & Fidejuſſores. Abit, & adducit illi quàm citiſſimè duos ſenatores maximæ authoritatis, & gravitatis, qui erant in Civitate Alexandrina, qui loquentes Parocho, illi facti ſunt Fidejuſſores, & Patrini, in quorum conſpectu fuit baptizata. Sed prodeunte illâ veſtitâ albis veſtibus, prout pro tunc incedere ſolebant per ſeptem dies ſequentes noviter baptizati, reſcierunt hoc non ſinè ſcandalo habitatores urbis, quòd uni mulieri vitæ ſcandaloſæ (id omnes ſciebant) collatus fuiſſet Baptiſmus. Notificant hoc Epiſcopo; hic vocat Parochum, facit illi quæſtionem; reſpondit ille hoc quod jam ego retuli; curat interrogari duos ſenatores illos, & unus, & alter dicunt, nec talem mulierem ſe noſcere, nec de Baptiſmo quidquam ſcire. Recognovit Prælatus debuiſſe fuiſſe duos Angelos: curat advocari mulierem,

quærit ex illa quid boni feciſſet? Innumerabiles turpitudines, & innumerabilia venerea peccata, reſpondit illa ſubmerſa in lacrymis. Epiſcopus iterum: non quæro de hoc, mulier; ſed qualia opera bona tu feceris? illa: de nullo opere bono ſcio, niſi quòd ſemel dando illi meam ſubſtantiam, cauſa fuerim, quòd ſe certus quidam non ſuſpenderit, & ille ipſe modò fuit, qui mihi adduxit Patrinos, ut obtinerem ſortem Baptiſmi; & his dictis exſpiravit in manibus Epiſcopi.

IX. O Mulierem infinitè felicem, quæ taliter ad cenſum firmiſſimum, & certiſſimum ſuam expoſuit ſubſtantiam, & capitale pro lucro tam immenſo, quod abſque dubio facit illam frui æternâ gloriâ.

INSTRUCTIO VI.

De Cæremoniis Sanctis Baptiſmi, & qualiter indicent Chriſtiano ſuas Obligationes.

I. SI Mundus ſe conſideraret in ſpeculo, celerrimè cognoſceret ſuas deceptiones & dolos; & qui modò ex toto eſt Mundus inverſus, videretur illicò Mundus rectus. Sunt aquæ terſum Mundi ſpeculum; & illæ effigiant cum veritate illud, quod Mundus imitatur cum mendacio. Collocate vos ex iſta parte alicujus loci, & conſiderate id, quod aqua ex altera parte ripæ repræſentat: videbitis curvatos & contractos montes, proſtratas turres, inclinatas arbores, inverſa ædificia (oh quæ facies!) apices inferius, & fundamenta & baſes in alto, pinnas murorum in profundo, fundamenta in ſublimi, frondes arborum inferius, radices ſuperius, tecta loco pavimentorum, pavimenta pro tectis. Quid eſt hoc? Mundus inverſus mihi dicetis, mundus inverſus. Certè non; ſed rectus mundus & apparentes in limpiditate aquæ ejus inverſiones & perverſiones; quandoquidem apices acclivi, vanæ pinnæ, pompoſæ frondes, ſuperba tecta in ſpeculo veritatis deteguntur ùt inverſæ umbræ. Ah apices elevati ad ventum vanitatis; pinnæ faſtuoſæ erectæ ad apparentiam pompæ, tecta elevata ad menſuram ſuperbiæ; videtur vobis, oh! quòd appropinquetis Cælo? Ecce aquæ

aquæ vobis dicunt vos deſcendere versùs profundum, vos præcipitari versùs infernum. Quales autem aquæ? Illæ Baptiſmales; jam enim non loquor de illo, quod materialiter iſtæ aquæ repræſentant noſtris oculis; ſed de illo, quod ſpiritualiter aquæ Baptiſmales repræſentant meliùs cum æterna veritate noſtræ Animæ. Renaſcimur ibi calcando mundum, ut vivamus cælo; renaſcimur ſpernendo temporalia omnia, ut vivamus æternis; renaſcimur non ampliùs Peregrini vilis hujus mundi, ſed Cives gloriæ, Domeſtici DEI: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici DEI*, ad Epheſ. 2. v. 19. Et conſiderantes in illis Sacro-Sanctis Aquis totum mundum cum ſuis voluptatibus, pompis & vanitatibus, in profundo, profitemur vivere versùs DEUM, versùs cælum, versùs æternitatem: *Chriſtianus*, dicebat Tertullianus, *eſt homo non hujus, ſed futuri ſæculi.* Conſpicit totum mundum ſub pedibus, & ſolùm ſuam habet attentionem illic in gloria. Hæc eſt Chriſtiani obligatio; ſed ô DEUS, quomodo adimpletur!

II. Ut itaque hoc intelligamus, ponit nobis ob oculos noſtra Sancta Mater Eccleſia Cæremonias Sanctiſſimas, quibùs nobis confert Baptiſmum. Certum eſt, ſinè omnibus iſtis Cæremoniis Sacris fore Baptiſmum validum, ſolummodo fundendo aquam cum pronunciatione verborum formæ cum debita intentione. Jam ergo quò reſpiciunt tantæ, tam religioſæ, tam graves, & tam piæ cæremoniæ, aliquæ antequam perveniatur ad Fontem Baptiſmalem, aliæ ad ipſum Fontem, aliæ poſt Baptiſmum? Tanta cura, tanta diligentia? Ità eſt. Primò, ad augendam devotionem, excitandam Fidem, ſtimulandam pietatem ità conſopitam quoad Myſteria tam alta, tam neglectam quoad beneficia tam indicibilia. Secundò: ut per illud, quod in his Cæremoniis Sanctiſſimis vident oculi, excitetur intellectus ad cognoſcenda dona tam excelſa. Tertiò (& hoc eſt Dilectiſſimi mei terribile) utitur Eccleſia omnibus iſtis Solemnitatibus in Baptiſmo, quia in qualibet earum intimat nobis, & in memoriam reducit noſtras graviſſimas obligationes. Quando hic celebratur aliquis contractus alicujus graviſſimi momenti; pacis exempli gratiâ inter duos Reges, Matrimonii inter duas familias, vel alicujus alterius ſimilis negotii, cum qualibus ſolemnitatibus celebratur? Adhibentur litteræ procuratoriæ, ſeu mandatum, fidejuſſiones,

nes, ſponſiones, inſtrumenta, ſcripturæ, ſigilla, ſubſcriptiones. Et omnia iſta, quare? Ut dum magis ligatur & ſtringitur per has ſolemnitates obligatio, nullus poſſit imminuere aut frangere illud, ad quod ſe obligat, quod ſtipulatur, & quod ſubſcribit. Eſt Baptiſmus, ſicut loquuntur Scripturæ, & Sancti Patres, contractus, quem cum DEO facimus, pactum, quod cum ejus Majeſtate celebramus. Spondet DEUS, & nos ſpondemus; aſſecurat DEUS, & nos ex parte noſtra aſſecuramus; obligat ſe DEUS, & nos pariter nos obligamus, damus verbum, apponimus ſubſcriptionem, præſentes ſunt Miniſtri Eccleſiæ, teſtes Angeli, ſtipulatur ſcriptura, & cuſtoditur in regiſtris DEI, in archivis æternitatis. Idcirco in primitiva Eccleſia, prout refert ex multis Sanctis Patribus Vice-Comes, erat moris, quòd ille, qui percipiebat Baptiſmum, ad depoſitionem profeſſionis Fidei, & morum Chriſtiani publicè, elevatis oculis ad cælum pronunciabat, & elevans poſtmodum manum dextram faciebat ſolemne juramentum de obſervatione omnium illorum; & iſtud juramentum ſcriptum, poſtmodum à multis teſtibus ſubſcriptum, & ſigillatum manu propria Baptizati, cuſtodiebatur ùt Inſtrumentum in Archivis Eccleſiæ. Et quid importat, quòd pro nunc non ſcribatur tali modo hæc horribilis obligatio, cùm inſculpatur in æterna memoria DEI? quid importat, quòd iſtud materiale ſcriptum hic non cuſtodiatur, ſi conſervatur in libris æternitatis? *Tenetur vox tua*, dicit Sanctus Ambroſius, lib. de iis, qui init. c. 2. *non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium, præſentibus Angelis locutus es, non eſt fallere, non eſt negare.* Jam DEUS accepit tuum verbum, quod illi dediſti in Baptiſmo, ſcriptum eſt, non in libris mortuorum, ſed in libro vitæ. Coram Angelis pronunciaſti tuam obligationem, non potes illam negare, non potes illam falſificare.

III. Faciamus modò diſcurſum. Illud quod DEUS ex ſua parte in Baptiſmo nobis dat, & de quo nos aſſecurat, eſt gratia, & cum illa liberatio ab inferno, à peccato, & à diabolo: facit nos ſuos filios, fratres JESU Chriſti, templa Spiritûs Sancti, promittit nobis gloriam, & ad illam nobis dandam ſe obligat, ſi moriamur in ſua gratia. Iſta eſt obligatio & promiſſio ex parte DEI. Jam autem ex parte noſtra, cùm iſtud ſit pactum, cùm ſit contractus, quales ſunt obligatio-

tiones? Ah obligationes Chriſtiani tam terribiles! & tamen in tantum earum Chriſtiani obliviſcuntur.

Pergam illas explicare per Sacras cæremonias Sancti Baptiſmi, & ego vos precor, Dilectiſſimi mei, per amorem veſtræ æternæ ſalutis, per amorem ſupremi Chriſtianiſmi, quem profitemur; ut, poſteaquam quilibet noſtrum dedit in Baptiſmo ſuum verbum, fecit has promiſſiones, ſtipulatus eſt iſtas obligationes, quilibet in ſeipſo obſervet, quomodo illas cuſtodiat, conſilium ineat cum ſua anima, quomodo illas adimpleat. Et cum in illo ſeveriſſimo Tribunali, ubi omnes nos viſuri ſumus, omnibus hæ proponentur quæſtiones, videat nunc quilibet quid reſponſurus ſit, ſi modò ſe invenit convictum, applicet remedium apprehendendo vitam dignam Chriſtiano. Excitate itaque memoriam, & redeamus conſideratione ad illud tempus quando baptizati ſumus. IV.

Perveniſti itaque ad portas Eccleſiæ; illic ſubſtitiſti. Ità eſt. Per hoc tibi dictum eſt, quòd, qui habet ſibi occluſum cælum, ſicut tu habuiſti ob peccatum originale, & ob illud in poſſeſſione eras diaboli, non poſſit intrare in Eccleſiam DEI, in locum aſſignatum ſuo Divino cultui. Illuc Miniſtri Eccleſiæ exiverunt ad quærendum ex te: *Quid petis ab Eccleſia?* & reſponderunt in nomine tuo: *Fidem.* Jam quare petis Fidem? *Fides quid tibi præſtat?* & reſponderunt rurſus in tuo Nomine: *Vitam æternam.* O quantum elevas motivum, ô quantum in altum tollis deſideria! Vitam æternam; vitam quæ nunquam finietur, vitam quæ debet habere omnem voluptatem, quæ debet eſſe tota oblectatio, omnis abundantia, ſinè amaritudinibus, vita ſinè morte: Vitam, quæ in Societate Sanctorum, in conſpectu Angelorum, habet vivere DEI, reſpirare in DEO, quæ tota ſubmergitur in DEO. Oh quàm bene deſideras! Oh quàm bene quæris! Ecce ego te de illa aſſecuro, ego tibi illam promitto, ex parte DEI, ſed ità, ut ex parte tua obſerves Divina Præcepta, ità ut ames DEUM ſuper omnia, & Proximum ſicut teipſum; *Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & Proximum tuum ſicut teipſum.* Ecce itaque tibi hic primam capitulationem hujus excelſi contractus Chriſtiani! non ſunt iſta verba aërem pulſantia, V.

quæ cum ſono finiuntur, ſed obligationes, quæ debent habere ſuum effectum per totam æternitatem.

VI. Itaque ad conſequendam vitam æternam non ſufficit ſolummodo habere Fidem, credere in DEUM, credere omnia Myſteria. Non ſufficit aliqua Fides dormiens, Fides mortua. Opus eſt Fide, quæ ſe monſtret in operibus: *Fides, quæ per charitatem operatur.* Opus eſt Fide viva in obſervatione omnium Præceptorum DEI: Fide fæcunda in actionibus pietatis, in exercitiis virtutum. Iſta eſt illa Fides, quam promiſimus in Baptiſmo. Iſta eſt illa Fides quam profeſſi ſumus in conſecutione ſortis infinitæ eſſe Chriſtiani. Iſta eſt Fides unde, habendo illam taliter, vel non habendo, dependet conſecutio, vel non conſecutio ſalutis. Idcirco nunc vobis dico cum Sancto Paulo 2. ad Corinth. c. 13. v. 5. *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in Fide, ipſi vos probate.* Inſpiciat quilibet intrinſecus ſemetipſum, conſideret ſuam Animam, percurrat & excutiat ſuam conſcientiam; habésne iſtam Fidem operatricem, efficacem, excitatam? Oh DEUS! Bene credis, quòd detur altera vita, quòd detur æterna gloria, vel pœna æterna, utinam eſſent, ſecundùm tuam Fidem, tua opera. Sed videndo & credendo iſta, qualia ſunt tua opera? Evenerit vobis ſæpiùs figere in aliquam partem oculos, ſed quia eſt diſtracta cogitatio & mens, nec videtur, nec advertitur illud ipſum, in quod fixi ſunt oculi. Hoc eſt idem, ac non videre. Tenetis apertos oculos Fidei; ſed tota attentio eſt ad terram, ad voluptates, ad lucra. Jam quid juvant iſti oculi aperti Chriſtianorum, ſi ſunt opera idololatrarum? *Dic mihi*, interrogat te Chryſoſtomus homil. ad pop. Antioch. *Dic mihi: unde potero te deprehendere Chriſtianum? An à loco? An à veſtitu? An à ſermone, cibo, negotiis?* In quo demonſtras tuam Fidem? In quo potero cognoſcere te eſſe Chriſtianum? à loco? qualia ſunt illa loca quæ frequentas? à veſtitu? quales ſunt tuæ profanitates? an ex tuis verbis? qualia ſunt tua juramenta, & turpitudines? à cibo? qualis eſt brutalitas tui appetitus? à tuis negotiis? quænam reſpiciunt DEUM? quænam tendunt versùs æternum? Omnis cogitatio tua, machinatio, vigiliæ, & alia actio eſt circa pecuniam, circa commoditates, circa vanitates: *Conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce,* iterum te monet Chryſoſtomus Serm. de Mart. c. 3. omnia tibi hæc in memoriam revoca.

voca. Quod pactum est illud, quod fecisti in Baptismo? *Pactum quod spopondisti?* Quæ conditio fuit illa cum qua intrasti ad esse Christianum? *Conditionem quâ accessisti?* Et quæ militia illa, cui ab illinc usque inscriptus fuisti? *Militiam cui nomen dedisti?* Quid responderes, si nunc te videres in Tribunali DEI ad respondendum huic quæstioni? Quomodo observasti pactum istud? Quomodo adimplevisti, & quomodo adimples illam conditionem? Contra quem militâsti in ista militia? O confusionem!

VII. Nihil ergo aliud restat, quàm exequi ex nunc consilium Apostoli: *Certa bonum certamen Fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus.* 1. ad Tim. 6. v. 12. Arripe pugnam, sequere certamen Fidei; hæc tota pugna, & certamen debet esse contra mundum, & diabolum, contra carnem & ejus passiones, si vis consequi vitam æternam, pro qua confessus es istud in Baptismo coram tot testibus. Occurrit cogitatio semel Abbati Atanagio, ùt refert Moschus in Prat. spir. c. 130. sciendi, quomodo distinquerentur illi, qui vivunt otiosi, sequentes suas voluptates, & cupiditates, ab illis, qui in continua pugna vivunt, refrænantes suos appetitus? Hoc recogitabat, & ecce raptus in extasim, fuit perductus ab Angelo ad portam cæli, quam invenit occlusam; sed audivit dulcissimas voces, quæ intus resonabant. Pulsavit Angelus; responderunt intus; & ille dixit: aperi, quia volumus intrare; huc non intrant otiosi, responderunt intus. Si vultis intrare, ite & pugnate contra mundum, & ejus vanitates. Ità audivit hoc ille Monachus, & nos hoc pariter taliter audiamus. Sed nè nos excusemus ob vires, nequitias, insidias & stratagemata diaboli.

VIII. Prosequitur Ecclesia in suo Ministro, qui insufflando postmodum tribus vicibus supra tuum vultum, ejecit dæmonium his verbis; *Exi ab eo, immunde spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.* Tribus insufflationibus? Ità est. Fuit hoc tibi insinuare, quòd si vis uti armis Fidei, unicô flatu coges ad fugam dæmonem, unà cum toto inferno. Ità unico flatu, unicâ sufflatione illum disarmat Ecclesia, & illum abigit, nè possit impedire glorioſum ingressum Spiritui Sancto in Animam. Et postmodum, factâ tua propositione, admissa tua obligatione, ejectô dæmonio, in cujus potestate stabas, quid ulte-

rius ſequitur? Quòd in Nomine DEI ejus Miniſter te admiſerit ſub ejus vexillum, tibi impoſuerit ſignum, te jam ipſius eſſe, tibi dederit inſigne glorioſum Chriſtiani. Hoc fuit ponendo tibi, & imprimendo in fronte, & in pectore ſignum Crucis his ponderoſis verbis: *Accipe ſignum Crucis tam in fronte, quàm in corde; ſume Fidem cæleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut Templum DEI jam eſſe poſſis.* Accipe ſignum Crucis, tam in fronte quàm in corde; tam in fronte, ut nunquam te pudeat eſſe, & videri Chriſtianum; quàm in corde, ut intrà illud vivant crucifixi tui affectus. Tam in fronte, ut tua opera demonſtrent exteriùs te ſub Cruce militare; quàm in corde, quatenus tuæ inclinationes, amores, & cogitationes omnes per Crucem regulentur. Tam in fronte, ut jam diabolus videns iſtud ſignum, habeat & experiatur in te clauſam portam; *In fronte tanquam in poſte ſignandus eſt*; dicit Sanctus Auguſtinus: quàm in corde, ut in eo ſolummodò habitet Chriſtus Crucifixus, in imitatione, & memoria. Filia, dixit quadam vice Dominus ad Sanctam Gertrudem, ſi ob tres horas ſolas, quibus pependi in Cruce, illam tantum honoravi prout vides, quod ſit honor totius mundi, quantus erit honor, quem ego daturus ſum Animæ, quæ per multos annos me tenuit crucifixum in ſua memoria, in ſua mortificatione, & in ſuis afflictionibus? Oh qualis honor? Proſequitur itaque, dicendo tibi, Eccleſia: *Accipe cum hac Cruce Fidem cæleſtium Præceptorum, & talis eſto moribus, ut Templum DEI jam eſſe poſſis.* Catholici! Catholici! Cui dicuntur iſta verba? ſolummodóne illis, qui volunt fieri Anachoretæ, Religioſi, Moniales, à mundóque ſegregari? Mundum fugere? Non; ſed ſinè diſtinctione; dicuntur iſta verba omnibus. Sæcularibus, hominibus negotiatoribus, Aulicis. Intimatúrne ſolummodo hæc puritas morum, hæc nuditas affectuum ſolummodò pauperibus, depreſſis, humilibus? Non; ſed ſinè diſtinctione, pauperibus, & divitibus, & dominis, & ſclavis, plebeis, & nobilibus. Omnes æqualiter fecimus iſtam obligationem. Omnes æqualiter habemus iſtam crucem. Itaque nec ſtatus facit excuſationem, nec curæ, nec pericula. Non ſunt ergo verba alicujus Chriſtiani, dicere: majorem puritatem vitæ, compoſitionem morum, non eſſe pro ſæcularibus. Si ſunt baptizati ſæculares, Grandes, Potentes, omnibus nobis dicitur: *Talis eſto in mori-*

moribus, ut Templum DEI jam esse possis. Sancto Stephano Abbati apparuit Vita Nostra Christus JESUS Crucifixus, & ad ejus latus collocatus pariter in cruce Frater Stephani sæcularis, qui vivebat in magna perfectione in sæculo; & dixit illi Dominus; vide in quanta gloria sit tuus frater. Consolatio magna, & incitatio fuit hoc pro illo Sancto Abbate Anachoreta. Sed quænam, & qualis excusatio supereſt cuicunque sæculari? non consistit ista Crux, dicit Sanctus Augustinus, solummodò in materiali lignorum, sed in continuo exercitio virtutum, in continua custodia Præceptorum DEI: *Tota vita hominis Christiani, si secundùm Evangelium vivat, Crux est atque Martyrium.* Jam itaque, ego vos rogo, pergit Augustinus, ut recogitetis cum attentione hoc, quare sumus Christiani, & hoc, cur nobis posita fuit in Baptismo Crux in fronte? *Rogo vos, ut attentiùs cogitemus, quare Christiani sumus, & Crucem Christi in fronte portamus?* Et cùm non sufficiat habere nomen, si non facimus opera Christiani, quid facimus? *Scire enim debemus, quia non sufficit nobis, quod nomen Christianum accepimus, si opera Christiana non facimus.* Ubi est ergo in operibus Crux? Ubi est Crux in verbis? Ubi Crux in cogitationibus? hoc vos memoriæ vestræ insculpite.

IX. In Terruana Provincia Germaniæ, refert ex Jacobo Malbranc noster Adrianus Lyræus de JESU pat. l. 4. c. 1. anno 959. nostræ salutis: in certo loco nominato Audomanopolis, misericordissimus DEUS, in castigationem suarum offensarum voluit in memoriam revocare rusticas obliviones horribili prodigio. Accidit, quòd certo die absque eò quod aliquis advertisset quomodo, inceperint apparere in vestibus omnium hominum, tam virorum quàm mulierum certæ cruces unius palmi, acsi in tela, vel panno cujusvis fuissent intextæ. Rapuit primò omnes admiratio, & dum unus monstrabat alteri in suo pallio, quatuor vel quinque cruces, qui advenerat monstrabat isti in suo totidem. Et omnes erant crucibus signati, & omnes attoniti. Elevârunt gemitus, videntes signa tam suprema absque eo, quòd vidissent quæ manus illa formavissent. Congregaverunt se formantes Processionem, & vociferantes in cælum, deprecabantur Numen supremum pro remissione suarum culparum. Tunc Episcopus Vigefridus habens illos adunatos in foro, mitigando illorum singultus, dixit eisdem: Filii mei, si istæ Cruces, quæ omnibus nobis

bis prodierunt in veſtimentis, prodeunt ex abundantia cordis, qua amatis crucem, & repræſentatur foris illud, quod habetis interius in anima: beatos nos dicere poſſum: Qualis eſt noſter honor? Qualis eſt noſtra dignitas? quandoquidem ità hoc cælum confirmat. Quod ſi autem res ſic ſe non habet, conſiderate hoc & perſpicite in veſtris animabus. Triginta anni ſunt à quo nihil aliud vobis prædico, nisi quod ſemper debeatis vivere cruci affixi; *Revocate in memoriam eſſe vos in illa ſignatos in die Baptiſmi.* Hæc vobis indicant, & denunciant iſtæ cruces. Et illo hoc dicente, diſparuerunt immediatè omnes Cruces, hócque ſuffecerat, quòd illi poſtmodum fuerint effecti quàm maximè, & in veritate Chriſtiani.

X. Oh utinam hoc nobis eveniret omnibus quotquot hic ſumus. At, cur poterunt plus oculi quàm Fides? Iſtas Cruces habemus in Anima, & in illis vel ſignum maximè terribile damnationis, ſi non concordet cum cruce noſtra vita, vel ſignum feliciſſimum, ſi mediante Cruce acquiſiverimus noſtram gloriam.

INSTRUCTIO VII.

De eo, quod nobis repræſentat, & docet Sal benedictum, quod nobis ponit Eccleſia in Baptiſmo.

I. TEmpore optimo ſe nobis offert ſal, Die feſtivitatis mei Glorioſi Patris Sancti Ignatii; Sal ſapientiæ, quod nobis proponitur in Baptiſmo. Itaque abſque eo, quòd alia re opus habeam, invenio me conditum pro bono elogio, debito Meo Magno Sancto Patriarchæ; quòd ſi ſal eſt mixtum aliquod prodigioſum, quod componitur ex igne & aqua, ſicut dixit ex Plinio Sanctus Hilarius, cap. 4. in Matth. *Sal eſt unum in ſe continens aquæ, & ignis elementum.* Ignis & aqua unita in Sancto Ignatio quid erunt? Ignis totus DEI, qui, à quo ſe univit, cum aqua in mari perennium ſuarum lacrymarum, formârunt illum Salem Sapientiæ totius Eccleſiæ. Si mihi proponeretur quatenus dicerem duobus verbis: quid ſit Sanctus Ignatius in Eccleſia DEI? Abſque omni moleſtia aut impedimento, dicerem: Illum eſſe illud, quod

eſt

eſt ſal in Mundo. Et cogito, quòd hoc explicarem non malè aut ineptè tali modo: Sal eſt, ſinè quo nulla res eſt quò non intret, nec guſtus, quem non condiat, nec perſona cui non ſerviat; Sal, quod invenitur in culina, & in ſala, in foco, & in menſa dominorum, & ſclavorum; Sal, quod à tugurio pauperrimi, uſque ad Palatium Maximi Principis, eſt unum & idem, quantumcunque in exiguos & exquiſitiſſimos cibos prandia diſtinguantur. Sal, quod cùm ſolum ſit in multùm diverſis cibis, accommodat omnibus unum condimentum, quantumvis ſint ſapores varii. Sal, tandem ultimatò, quod quantumvis in ſeipſo ſit exigui pretii, certat cum ſole in univerſalitate beneficiorum: *Corporibus nihil utilius ſale, & ſole.* Plin. lib. 3. c. 7. adagium veterum, dicit Plinius. Ecce hoc eſt Sanctus Ignatius in Eccleſia. Sal, quod omnibus ſervit in profectum; Sal, quod omnibus ſe accommodat pro ſuſtentatione; Sal, quod omnia condit pro guſtu; Sal, quod omnia præſervat per remedium. Iſtud eſt Sal, quod ſinè diſtinctione ſervit infantibus, & ſenibus, viris & mulieribus, pauperibus & divitibus, dominis & ſclavis. Dicant hoc tot & tanta munera & labores glorioſi, tot ſacræ moleſtiæ & ſudores, & tanta heroica opera. Iſte eſt Sal. qui ſapidas faciendo vigilias prolixas ſtudiorum, replevit mundum ſapientia, ſcientias lucidis ſplendoribus, intellectus notitiis, Gymnaſia litteris, ſcholas doctis. Iſte eſt Sal, qui condiendo omnes diſcretiſſimis embammatibus virtutes, qui addulcorando ſuavibus attractivis Sacramenta, replevit tot animas perfectione, & Cælum animabus. Iſte eſt Sal, qui præſervando hos à corruptione vitiorum, qui abolendo ab aliis peſtilentiam putredinem errorum, & hæreſum, conſervavit Eccleſiæ priſtinos ſuos ſplendores, ſpoliavit infernum tenebris. Iſte eſt Sal, qui proſtratus in terram, ſerviens omnibus ſinè ſplendoribus graduum, ſinè eminentia dignitatum, concertat cum ſole in ſuis ſphæris quis magis mundum & pluribus impleverit beneficiis; *Nihil utilius ſale & ſole.* Sed propter hoc ipſum, cogitabam ego: quare Sanctus Ignatius, cùm ſit tam univerſalis in beneficiis pro omnibus, exceſſerit in ſpecialibus favoribus erga infantes? An inveniendus ſit Sanctus, qui illis plus faveat, neſcio. In partubus notiſſimum eſt ſuum patrocinium per innumerabilia miracula. In prima pueritia ſunt magni favores, quos infantibus exhibuit, de quibus multa referre

ferre poſſem prodigia. Quare ergo hoc erit? Ego cogito, quòd jam hoc ipſum dicat nobis Eccleſia. Prima res eſt quam guſtat infans, Sal, quod Eccleſia ei in os porrigit: *Hoc primum pabulum ſalis guſtantem.* Jam, quandoquidem Sanctus Ignatius eſt Sal, idcirco ab illa ætate incipit dare ſaporem infantibus pro cælo. Timida certa mulier quoad partum, ùt refert Euſeb. Nieremb. in vita hujus Sancti, qui jam illi inſtabat, promiſit Sancto Ignatio, quòd ſi feliciter partum ederet, imponere ſe velle ejus nomen Sancti infantulo. Fecit hoc Sanctus, hoc enim facit omni die. Enixa eſt feliciter puerulum; ſed ubi tractatum fuit de Baptiſmo, exorta eſt inter Maritum & Uxorem contentio, & diſcordia: hæc volebat, ut vocaretur Ignatius, ratione ſuæ promiſſionis; ille contendebat illum debere nominari Irenæum, ratione ſuæ devotionis. Advenit tempus Baptiſmi, & illi inter ſe nondum convenerant. Et, vel ex impatientia, vel ex blanditiis accipiens Pater infantulum in manus, decerne tu, dixit illi: tolle jurgium à nobis. Quomodo debes vocari? Ad quod clara & intelligibili voce reſpondit infantulus, *Ignatius*; Quomodo? dic mihi hoc adhuc ſemel: *Ignatius*. repetiit infantulus. Datúrne ſimilis gratia ab infante? Certè abhinc incipit Sal Ignatii. Poſſumus itaque jam accedere ad Baptiſmum? Eamus, & ſi me aliquantum diutiùs detinui, ignoſcite filio, qui ſe ſivit rapi ab affectu erga tam Magnum Patrem.

II. Tenemus tamen adhuc ad portas Eccleſiæ conſiſtentem infantulum. Illic vidiſti obligationem & promiſſionem, quam feciſti quoad obſervationem punctualiſſimè ſervandam Legis Divinæ, quatenus tibi daret vitam æternam. Jam te vidiſti ſignatum in fronte, & in corde ſigno Sanctæ Crucis. Sequitur poſtmodum, quòd Sacerdos, accipiendo modicum Salis benedicti, illud ponat in os infantis, & dicat: *Accipe Salem Sapientiæ, quòd tibi ſit propitiatio in vitam æternam. Amen. Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* Quòd Sal eſt iſtud? & quid ſignificat? Quid dicit nobis Eccleſia per iſtas actiones tam myſterioſas? Oh quantum nobis dicit! Primò iſtud Sal nobis dicit, quòd per Baptiſmum contrahimus amicitiam cum DEO, adſcribamur inter amicos illius. Oh quæ dignitas! Dilectiſſimi mei, ſed quale pignus ſinceræ, punctualis, & fidelis correſpondentiæ! Fuit apud Veteres Sal ſymbolum amicitiæ. Idcirco hoſpiti, antequam in

in menſa ei appoſuiſſent alios cibos, primum, quod illi apponebant, erat ſal: *Hoſpitibus ante alios cibos*, ſcribit Pierius lib. 31. c. 10. *ſal apponi ſolitum, quô amicitiæ firmitas ſignificatur.* Et ideò minùs in amicitia cum aliquo eſſe, dicebatur in proverbio, qui oblitus eſſet ſalis, quod comedit cum Titio: *Salem & menſam nè præterea.* Et hac de cauſa gloriantes ſe bonos amicos Samaritani cum Perſis, ſignificârunt dicentes Cambiſi Regi Perſiæ: *Nos autem memores ſalis, quod in Palatio comedimus.* 1. Esdr. 4. v. 14. Vide tu Chriſtiane, an memor ſis te comediſſe Salem DEI, dum faceres profeſſionem te velle eſſe ejus amicum. Ah ſub nomine amici noli ultrà ipſi eſſe infamis traditor.

Secundum, quod nobis iſtud Sal dicit, eſt; hunc contractum, hoc pactum, quod cum DEO inimus in Baptiſmo, non eſſe quatuor dierum, non eſſe in noſtra voluntate diſſolvere iſtam obligationem; eſt pactum, quod nunquam debet finiri, quod debet eſſe æternum. Idcirco pacta perpetua celebrantur cum Sale, quod vocat Divina Scriptura: *Pactum Salis*, Num. 18. v. 19. Quia, ſicut ſal non ſinit ut corpora corrumpantur, ſed illa conſervat integra; ità pactum cum ſale celebratum, vult dicere, quòd non debeat violari, nec rumpi. Et cum iſtud fuerit abſque dubio in pacto Baptiſmi tuum verbum, cùm fuerit iſta tua promiſſio, & iſta tua obligatio, vide nunc, an ſtes promiſſis, vide, an illa adimpleas. III.

Tertiò per iſtud Sal nos docet Eccleſia, quomodo nobis ſit futurum ſuave obſervare Legem DEI, quod promiſimus; militare ſub Cruce, quod profeſſi ſumus. Futurum ſuave? Quomodo? ſi deguſtando Sapientiam Cæleſtem; hoc enim repræſentat iſtud Sal; ſi ſumendo guſtum ex verbo DEI, illud quæramus ſoliciti, & audiamus cum voluntate profectum inde hauriendi, & illud recipiamus cum humili manſuetudine. Sal in cibis eſt ea de cauſa, ut excitet appetitum, & deſiderium illos comedendi. Ecce hoc ipſum in cibis cæleſtibus, in ſuſtentatione vitæ melioris, nobis repræſentat iſtud Sal. Quòd ſi guſtamus DEUM, ſi nobis ſapiat audire Doctrinam excelſam DEI, iſte ſapor faciet nobis ſuavem obſervantiam Præceptorum DEI, ſucceſſivè in nos introducet virtutes, & ſimul ſal nos præſervabit à corruptione vitiorum, à vermibus eulparum: *Audite, & vivet anima veſtra:* Iſa. c. 55. v. 3. Chriſtiani mei, iſta eſt IV.

via ſecura, & certa, per quam DEUS nos ſalvare vult. Non per revelationes, prout faciebat cum Prophetis, ſed ut unus homo ab altero diſcat, auſcultando Verbum DEI: *Cum manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras*: Jac. 1. v. 21. Iſtud eſt ſal, quod reliquit in mundo, in ſua Doctrina pro noſtra vita. Hæc eſt efficacia, quam dedit ſuæ voci: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*. Pſal. 67. v. 34. Et in guſtu hujus ſalis, in guſtu hujus Doctrinæ conſiſtit vita, & conſiſtit ſalus: *Beati*, dicit Vita noſtra Chriſtus apud Evangeliſtam Lucam c. 11. v. 28. *qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud*. Quot, poſteaquam guſtâſſent hoc Sal Sapientiæ Cæleſtis, ſunt hodie in Paradiſo? Tranſibat meus Magnus Pater Sanctus Ignatius per certum Conventum Religioſorum, & tentantes ejus ſpiritum, dixerunt: ut aliquem ſermonem de DEO illis proponeret. Recuſabat ille hoc humiliter, ſed illorum inſtantiis victus, tandem conſenſit: convenit tota Communitas; & exardeſcens zelô Prædicator, dixit: Duo hic adſunt, qui volunt DEUM deſerere, & apoſtatare à Religione. Propoſuit poſtmodum pœnas, quæ illos expectabant, cum tali fervore, ut illi duo immediatè confeſſi fuerint ſuam culpam, quam tenebant ſecretiſſimam, & detexerunt ſuo Prælato machinationes, quas habebant præparatas pro ſua fuga. Ah Sal Divinum, quomodo condis, quomodo ſanas, quomodo remedia adfers!

V. Sed ſi hoc Sal non guſtatur, ſi adeſt tanta nauſea audiendi Verbum DEI, tantum faſtidium Doctrinæ Cæleſtis. Oh DEUS! iſta eſt cauſa & ratio tantæ corruptionis morum, tantæ cæcitatis, ignorantiæ, & tantarum tenebrarum quoad culpas: *Grandis morbus, & execranda calamitas*, dicit Sanctus Chryſoſtomus: graviſſima infirmitas, calamitas, & infortunium maximum, & ſupremum. Et qualis eſt iſta infirmitas? *Divinæ Legis appetentiam non habere*; Parum ſpei reſtat de tali infirmo. Hoc eſt principium perdendi DEUM, & intrandi in viam damnationis, dicit Palladius: non habere appetentiam audiendi Divinam Doctrinam; *initium recedendi à DEO*, ſunt verba Palladii in Vitis PP. l. 5. libel. 10. n. 67. *faſtidium Doctrinæ eſt, & cum quis non appetit illud, quod ſemper anima eſurit, quæ diligit DEUM*. Noctes integræ in Comœdiis, noctes in luſibus, & ſunt guſtui, & cum nauſea intermittuntur. Et breviſſimum

mum ſpatium temporis, in quo tractatur de Verbo DEI, nauſeatur, & inducit laſſitudinem, & oſcitanter peragitur? Attendite. Perorabat Demoſtenes in defenſionem cujusdam Viri, qui ad mortem condemnabatur; & illo perorante, advertit Judices inaniter verba inter ſe conferre. Proſecutus eſt ſuum ſermonem nullo dato ſigno, quod illos adverteret eſſe circa alia diſtractos, ac tandem relinquendo illud quod perorabat, immiſcuit hanc fabulam. Accidit caſus, Domini, valde celebris, quòd certus quidam Dominus Aſini, illum elocaverit cuidam peregrino tranſeunti per unum diem; exierunt ſimul, Dominus pedes, & alter in aſino. Erat jam meridies, urebat ſol; & cùm ibi nulla umbra inveniretur, deſcendit ille ex jumento, & conſedit ſub umbra illius. Hoc non, dixit Dominus, jumentum ego tibi elocavi, non autem umbram illius; hæc umbra mea eſt, & ego illa poſſum frui. Non, dicebat alter, cum enim Aſinus non poſſit à ſua umbra ſeparari, quando ego perſolvi pretium locationis jumenti, ſolvi etiam umbram. Ecce tibi hic ex hoc ortum eſt litigium, iverunt uterque ad tribunal Judicis cauſam ibi acturi. Ad omnia hæc attenti erant, & jucundè rem exceperunt Judices, cupientes audire quem res exitum ſortita fuerit. Tunc dexter & vafer orator, percutiens manu cathedram: *De aſini umbra ait: libet audire*; *Viri cauſam de vita periclitantis audire gravamini*? Et ut verum fatear, valde bene dixit, de lite ſupra uno Aſino, habentur neſcio quæ attentiones, & ubi agitur de vita hominis, tœdet audire ejus defenſionem. Plus ego vobis dico Auditores mei. Tantus guſtus eſt apud homines audire mendacia, deceptiones, & etiam turpitudines, & tantum tœdium audire Verba DEI, audire veritates æternas, in quibus maximè conſiſtit noſtra ſalus? Oh quantum hic lucratur diabolus!

VI. Et pariter hac de cauſa, immiſsô jam ſale infanti, redit altera vice ejicere Eccleſia iſtum maledictum ſpiritum. Prima vice illum expellit ex poſſeſſione, quam habebat interiùs in Anima. Modò non tantùm illum expellit ex interiori poſſeſſione, ſed illi præcipit, ut nec quidem appropiet: *Exorcizo te, immunde ſpiritus, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo DEI.* Tibi mando, ut exeas, & ut recedas. Quid eſt hoc? Ut non impediat Sali Cæleſti aditum, claudendo huic infanti aures.

Itaque, quid vobis imaginamini, & quid putatis, quando auditis Concionem, dum vobis venit, vel nauſea, vel ſomnus, vel diſtractio, vel confabulatio, omnia iſta quid putatis quid ſint? Diabolus iſta cauſat, qui procurat ingreſſum impedire verborum Vitæ. Idcirco omnino, dum infertur infans in Eccleſiam, format eidem Sacerdos ſalivâ, quæ repræſentat Sapientiam Filii DEI, format dico duas Cruces in duabus auriculis, dicens illa verba, quæ dixit noſter Redemptor, dum ſanaret ſurdum & mutum: *Epheta, quod eſt adaperire.* Aperi te auditus, aperi; & poſtmodum in naſo: *In odorem ſuavitatis*; attrahe odorem cæleſtis ſuavitatis. Et quid ſunt hæc omnia? Aperire per aures vias, per quas debet intrare vita Verbi Divini: *Auris*, dixit Sanctus Bernardus, *auris prima mortis janua, prima aperiatur & vitæ.* Cùm fuerint aures Evæ prima porta, per quam ad nos mors intravit; ſint aures primæ, quæ aperiantur, ut intret vita. Quid itaque expectant illi, qui nolunt auſcultare; illi quibus anni tranſeunt integri, & fugiunt audire illud, quod illis poſſet dare remedium? Oh quàm lacrymabile ſignum reprobationis eſt hoc! *Qui ex DEO eſt, verba DEI audit*, dicit Chriſtus Vita noſtra apud Sanctum Joannem cap. 8. v. 47. Ex quo igitur ille erit, qui illa non audit? Ex diabolo. Jam hoc ſubjungit ſua Majeſtas: *Propterea vos non auditis, quia ex DEO non eſtis.* ibid.

VII. Breve erit exemplum, ſed efficax. Refert Cardinalis Jacobus de Vitriaco: quòd in certo loco quidam Agricola tam obſtinatè recuſavit audire Verbum DEI, in Eccleſia cum aliis aſſiſtere Doctrinæ Chriſtianæ, quam illis explicabat Parochus, ut non ſolum non fuerint ſufficientes admonitiones, & exprobrationes ad cogendum eum venire; ſed ſi quandoque contingenter erat in Eccleſia, dum Prædicator cathedram conſcenderet, immediatè exibat ex illa cum apprehenſione & ſcandalo aliorum omnium. Et tales erant ejus mores, ſicut ſpinæ, & rubi terræ ſinè cultura, & abſque irrigatione. Advenit illi tandem mors, abſcidit filum vitæ, portarúntque eundem ad ſepulturam, comitante ad Eccleſiam numeroſiſſimo populo. Poſuerunt, prout eſt moris, corpus in medio, & incœperunt Sacerdotes cantare Officium funerale. Cantabat Parochus illa Eccleſiæ verba: *Gratiâ tuâ illi ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis.* Et

tunc

tunc in conſpectu totius illius concurſus, Crucifixus, qui poſitus erat ſupra feretrum, ſolvens ambas manus à Cruce, illis ſuas fortiſſimè obturavit aures. Cœperunt omnes præ horrore clamare, ſubſtiterunt in perſolutione Officii, & Parochus, indictô ſilentiô, dixit illis: Bene vobis nota eſt obſtinatio, quâ iſte infelix noluit audire Verbum DEI; ecce hac de cauſa nunc obturat DEUS aures ad preces Eccleſiæ, quibus illa poſtulat indulgentiam & remiſſionem peccatorum huic homini. Ecce jam hoc videtis, videtis omnes; & quandoquidem hoc demonſtrat, quòd jam diabolus poſſideat ejus Animam, poſſideat etiam & corpus, & mandans illud ex Eccleſia ejici, ordinavit ut illud extraherent, ſicut canem mortuum, ad campum. Horribilis eventus! Oh, utinam omnibus ſerviat pro experimento, ad aperiendas aures voci DEI, ad dandum per aures ingreſſum vitæ Animæ.

O Sanctiſſime Pater mi! Sal Eccleſiæ in diſcretiſſima ratione, VIII.
quô omnibus ſtatibus hominum feciſti tam ſuaves virtutes, tam planas vias DEI, tam ſapida Sacramenta. Oh! & communica nobis omnibus illum ſaporem DEI, quô ardens dicebas toties raptus inter ſplendores: *Quid volo Domine extra Te, vel quid poſſum velle?* Felicia in nobis omnibus, Sancte mi, illa deſideria, quibus inamoratus dicebas DEO: *O Domine! utinam ego facere poſſem, ut omnes homines te cognoſcerent.* Impetra nobis à Domino lumen, ut illum cognoſcamus, ut adeſcati ejus Cæleſti Doctrinâ eandem appetamus ſemper cum aviditate, uſquedum mediante eâ perveniamus ad celebrandum tecum convivium pleniſſimum, quod ſolum poteſt nos ſatiare in gloria.

INSTRUCTIO VIII.

De Obligationibus, in quas nos collocat in Baptiſmo Renuntiatio diaboli, & pomparum ejus.

COllocare caput in cælo, relinquendo nihilominus fixos pedes in Mundo, quis non videt, quòd eſſet ſinè pedibus; & ſinè capite ſimilis actio? Nunc, oh utinam, ut illud, I.

quod ità in corpore vident tam impoſſibile oculi, recognoſceret in ſpiritu magis impoſſibile noſtra ratio; & deficiente medio inter relinquere illum, vel perdere alterum, finiret electio determinatione divinationem. Ludebat jucundè certus infans oblectando ſe cum ſuis æqualibus, & dixerunt illi: visne tu venire ad cælum? ibi enim ſunt res dulciſſimæ, bellaria, & alia id genus. Sed ibi te tali modo non poteris recreare, ut modo facis, hoc non. Remanſit ſuſpenſus, & ex una parte illi projiciebant res ex ſaccharo, & ex altera parte illum luſus & jocus trahebat; reſpondit ergò: Ego vellem habere caput in cælo, ut poſſem bellariis veſci, & pedes in terra, ut poſſem ludere cum infantibus. Riſerunt ob leporem puerilis ignorantiæ; ſed hoc ipſum deberemus deflere ratione majoris infortunii humanæ malitiæ; quandoquidem ſunt multi illorum, qui taliter volunt unire extrema tam diſtantia; caput in cælo, & pedes affectuum fixos in terra; hoc autem non poteſt eſſe. Non videbitur ergò nobis nunc ſuperflua illa diligentia, quæ ſequitur in Cæremoniis Sacris, quibus nobis confert Baptiſmum noſtra Mater Eccleſia. Vidimus jam in noſtra prima capitulatione, quam cum DEO fecimus, qualiter nos obligaverimus ad obſervantiam Legis, & Præceptorum ejus; fuimus ſignati Cruce ad regulandas cum illa noſtras actiones: ſuſcepimus ſal in os, & ſalivam in aures, ut adeſcati amore ad doctrinam cæleſtem, videntes iter vitæ æternæ, ſuave nobis fiat, illam quærere. Quid itaque ultrà reſtat? Quòdſi volumus eſſe amici DEI, debemus jam habere pro declarato inimico Diabolum, Mundum, & Carnem, omnes mundi Pompas, & Vanitates. Non fuit ergò hoc adhuc dictum? Ità, fuit; ſed vult unire malitia lucem cum tenebris, cælum cum terra, & DEUM cum diabolo. Sciendum autem eſt, quòd, quantumcunque mentiatur hoc ipſum deceptio, iſta non admittant ſocietatem. Vel perdendum eſt cælum, vel ſpernendus eſt mundus. Vel perdendus eſt DEUS, vel pedibus conculcandus eſt diabolus. Pervenerat olim cum univerſali jubilo ad Fontem Baptiſmalem Magnus ille Clodovæus, Rex Gallorum, poſtquam antea fuiſſet magnus inimicus Chriſtianiſmi. Tunc admirabilis ille Prælatus Sanctus Remigius, poſitô ex uno latere Chriſto Crucifixô, & ex altero, turpibus Idolis, quæ ille Rex adoraverat, indigitando primò Idola, dixit illi: *Incende, quod adoraſti*, ùt nar-

rac

rat Cauſinus paralel. lib. 4. c. 17. Incende Rex, & reduc in cineres iſtas infames ſtatuas, quas ità deceptus adorâſti: & hinc converſus ad Chriſtum Crucifixum: *Adora, quod incendiſti:* adora reverenter Dominum cælorum & terræ, quem aliquoties incendiſti. Tali modo illum fecit proſtratum & humilem. Jam, iſta eſt ipſiſſima, etiamſi aliis verbis, præparatio, quam nobis omnibus intimat Sancta Mater noſtra Eccleſia, in Baptiſmo: *Incende quod adoraſti, adora quod incendiſti.* Omnia illa Idola, quæ te elongant à DEO, illi affectus, paſſiones, deceptiones, omnia ſunt redigenda in cineres, & ſolummodò debet in tuo corde regnare ille, qui omnes meretur adorationes.

Poſtquam ergo pervenimus ad Fontem Baptiſmalem, ſequitur Actus Solenniſſimus, quem Cæli conſpiciunt, quem Angeli intuentur, quem authenticat Eccleſia, & qui ante Thronum totius Sanctiſſimæ Trinitatis celebratur. Reflectas te igitur Anima, quod ſit præſens ipſemet DEUS, qui recipit tuam obligationem, quod aſtent auſcultantes Angeli. Revoca in memoriam, dicit tibi Sanctus Hieronymus, illum diem tantundem felicem, quàm terribilem, in quo ſtipulatus es maximam obligationem; *Recordare tyrocinii tui diem, quo in Sacramenti verba juraſti*; Sanctus Hieronymus epiſt. ad Heliodor. Intrâſti in Sacrarium, dicit tibi Sanctus Ambroſius, reduc in conſiderationem, quid illud fuerit, de quo ibi interrogatus fuiſti, recognoſce & pondera, quid fuerit illud, quod reſpondiſti: *Ingreſſus es regenerationis Sacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis.* Interrogat ergo nomine DEI Sacerdos: *Abrenuntias Sathanæ?* quid reſpondiſti per os Patrinorum? *Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus?* Oh DEUS! attende quid reſponderis: *Abrenuntio.* Quis actus eſt iſte, Dilectiſſimi mei, & quid volunt iſta verba dicere? Satisfecimúsne jam ſolummodo per hoc, quòd pro tunc fuerint nomine noſtro dicta? Non, dicit Sanctus Auguſtinus, ſed hoc etiam debent dicere opera, debent monſtrare actiones, debent hoc ipſum exhibere mores: *Renunciate non ſolum vocibus, ſed & moribus, non tantùm ſono linguæ, ſed & actu vitæ veſtræ, non tantùm labiis ſonantibus, ſed operibus pronunciantibus.* Non ſunt finita cum ſono, remanſerunt iſta verba, tam ſolemnis abrenunciationis, ſcripta, & impreſſa in ſcriptura tuæ obligationis,

II.

taliter,

taliter, ut exequenda ſint ſinè remedio, dicit Sanctus Ambroſius: *Quid reſpondiſti? abrenuntio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſeries cautionis. Si Chirographum homini dederis, teneris obnoxius.* Iſta verba itaque, prout refert Sanctus Hieronymus, & alii Patres, illic in primitiva Eccleſia, dicebat qui baptizabatur, converſus ad occidentem dum illa proferret, & dum illa finiret pronuntiare, convertebat ſe, reſpiciendo orientem. Renunciabat ità umbris noctis infernalis; lapſibus mortis peccatorum, tenebris feralibus culparum; & converſus ad orientem contemplabatur nativitatem luminis, ortum diei, ſolem vitæ. Bene. Sed quare cum iſta cæremonia converſionis jam huc, jam illuc? Ego vobis dicam: quia cùm nullus poſſit aſpicere eodem tempore Orientem & Occidentem, quin uni ex his terga vertat: quomodo poterit quis eodem tempore attendere tenebris & luci, nocti diaboli, & diei DEI? *Verſi ad Orientem*, dicit Sanctus Hieronymus, *pactum inimus cum Sole Juſtitiæ, & ei ſervituros nos promittimus.*

III. Et jam nunc bene intelligitur, quòd abrenuntiare diabolo fuerit abrenuntiare omnibus ſuis maledictis artibus magicis, maleficiis, veneficiis, ſortilegiis, & omnibus diabolicis perverſis deceptionibus. Nihil mihi ſupereſt in quo me hic detineam. Abrenuntiare omnibus diaboli operibus, fuit abrenuntiare omnibus culpis, & ſpecialiter illis, quas ſuggerit caro tam ſtrictè confœderata diabolo. Omnia iſta ſunt opera diaboli, in quibus negotiatur ſua aſtutia, applicat ſuum ingenium: *Qui facit peccatum ex diabolo eſt:* dicit Sanctus Joannes in ſua 1. epiſt. c. 3. v. 8. & ad hoc venit noſter Redemptor, ad exterminanda iſta opera diaboli: *In quo apparuit Filius DEI, ut diſſolvat opera diaboli.* Hoc etiam bene intelligitur. Sed quid vult dicere illud: *Et omnibus pompis ejus? abrenuntio.* Hoc enim videtur eſſe illud, quod nos non volumus intelligere. Ah ſæculum! Ah tempora! Ah mores Chriſtiani! Nos abrenuntiavimus in Baptiſmo pompis diaboli? Ità eſt. Videte, & bene advertite, an mihi hoc poſſitis negare: Omnes, Viri & mulieres, divites & pauperes, Religioſi & Sæculares, omnes abrenuntiant expreſſis verbis pompis diaboli. Forſitan illic ad Fontem Baptiſmalem aliquis interrogatur, an ſit Nobilis? an ſit Nobiliſſa, ut ille, & iſta faciat hanc excelſam abrenuntiationem? Forſitan diſtinguitur ibi ille, qui futu-

futurus eſt Religioſus, vel ille, qui manſurus eſt in ſæculo, ut abrenuntiet unus pompis diaboli, & alter illis non abrenuntiet? Non; non ſunt enim iſtæ diſtinctiones intereſſe Chriſtianos. Nunc ergò interrogo: Qualésnam ſunt illæ pompæ, quibus omnes abrenuntiamus? Reſpondeat Concilium tertium Pariſienſe l. 1. c. 10. *Pompa diaboli hæc eſt, quæ pompa mundi, id eſt, ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cujuslibet rei ſuperfluitas in hominum uſibus.* Idipſum dicit Concilium Moguntinum c. 3. Idipſum dicit Concilium Turonenſe tertium, & idipſum Sanctus Auguſtinus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambroſius, Sanctus Chryſoſtomus, Tertullianus, & Salvianus. Pompæ diaboli, dicit tanta, & tam Sacra Authoritas, non ſunt aliæ, quàm pompæ mundi; iſta ambitio, ſuperbia, vanitas, ſuperfluitas, tantus faſtus in aulæis ſuperfluis & otioſis, in rhedis, curribus, & ſervis, in veſtibus pompoſis, & liberiis, in epulis, tractationibus & nuptiis, in theatris, & ludis, jocis & recreationibus. Iſtæne ſunt pompæ diaboli? Ità eſt: ità! hoc definiunt Concilia, ità, hoc affirmant Sancti Patres. Et iſtæne ſunt illæ pompæ, quibus abrenuntiavimus in Baptiſmo tam expreſsè? Iſtæ ipſiſſimæ.

Quæro itaque nunc ego, Auditores mei, (& ſi vim habet ratio, & ſi Fides habet efficaciam illic hoc videant veſtræ animæ) ſi prout illis abrenuntiavimus, res non fuiſſet taliter facta, ſed potiùs contrarium: volo dicere, ſi promiſiſſemus, & ſolenniſſimè nos obligâſſemus, procurandi omni ſolicitudine iſtas pompas diaboli, quid ultrà fieret præ illo, quod pro nunc fit, quid plus videretur præ illo, quod videtur? quæ major cura daretur in oſtentatione, & in faſtu; vel, quæ majores diligentiæ quàm iſtæ, exquirerentur in veſtitu pretioſo, & quoad modernum uſum, quos majores labores conſtarent alti gradus, & honores, ſi promiſiſſemus illos procurare? & hoc eſt illud, quod renuntiavimus? Oh DEUS! Oh DEUS! *Quid tibi cum pompis quibus renunciâſti?* dicit vobis ad aures Sanctus Auguſtinus. Oh ſi hoc conſideretur cum attentione! Ego abrenuntiavi iſtis pompis, DEUS hanc meam acceptavit abrenuntiationem, & ego non recogito, & ego non procuro, & ego nullam aliam vim mihi infero, quam conſequi iſtas pompas? Quæ abrenunciatio fuit hæc mea? Quomodo adimpleo meam abrenuntiationem? Verti IV.

terga ad occidentem diabolo; nunc autem quorsum aspicio? Reposui omnem animum, & attentionem, promissionem, & renuntiationem in DEO, & nunc ubi est observatio meæ promissionis.

V. Ego per hoc non affirmo, quòd sequi, vel habere istas pompas sit semper, & in omnibus occasionibus, peccatum mortale; non. Quòd si ornamenta domûs, servi, vestes pretiosæ, & alia similia sunt conformia qualitati, capitali, Personæ, Dignitati, nec à vanitate hæc procedunt, quòd si sunt hæc sinè aliorum damno, sinè sequela mali exempli, nec fines siniſtri ista vitient, sinè contributione patrimoniorum, & sudorum alienorum, non nego posse hæc esse licita. Non sum genii tam acris, & melancholici, ut me accommodem genio aliquorum, qui sinè distinctione, & respectu, condemnant omnem ornatum, seu mundum muliebrem pretiosum in fœminis. Scio valdè bene Sanctum Paulum 1. ad Tim. c. 2. v. 9. admittere mulieribus ornamentum, modò habeat duas conditiones: audite ejus verba: *Similiter, & mulieres in habitu ornato, cum modestia, & sobrietate ornantes se.* Adornent se; sed fiat *cum modestia, & sobriet te*; cum modestia, & moderatione, cum modestia, & honestate, cum decentia sinè nuditate provocatrice, sinè fuco nimio, & nimietate meretricia. Ista est modestia. & cum sobrietate; id est, secundùm statum proprium, suam qualitatem, suam substantiam, & mensuram ad suas obligationes, nè aliqua in penuriam rerum incidat, ob conservationem moris in vestibus. Ista est sobrietas. Scio bene Sanctum Augustinum facere discretissimam distinctionem inter Mulieres Conjugatas, & liberas, circa ornatum, & non vellet, ut ità præcipitanter proferatur sententia: *Nolo*, scribit ad suum Discipulum Possidonium epist. 73. *Nolo de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant DEO.* Scio, quod Sanctus Thomas recognoscat per vestimentum plus vel minus pretiosum distinctionem, quæ debet esse inter personas: *Exterior cultus indicium quoddam est conditionis humanæ.* Scio, quòd ipsemet Sanctus Doctor, quem sequitur noster Eximius Suarezius, & alii Doctores, dum sunt similes ornatus moderati, modesti, non superflui, non nimii, nec provocativi, illos tam præpropere non damnet peccati mortalis.

Huc-

Hucusque ego hoc fateor; sed si pompæ sunt tales, ad quarum VI.
prosecutionem, & conservationem, vel illas antecedunt, vel comitantur, vel postmodum sequuntur non unum, sed multa peccata mortalia, quid dicemus? Injustiæ, furta, ablationes, mala negotia, monopolia, non solutio debitorum, oppressio pauperum, unde proveniunt? ex appetitu pomparum, & conservatione luxuum: ex illo velle, quô pauper vult ità incedere hilaris, & festivus ut potens; uxor artificis vult ornatum nobilium matronarum; ex eo, quod ubi non sunt reditus, tamen vult esse fastus: vel si adsint proventus debent duplicatæ adesse rhedæ, & duplicati servi. Ah pompæ diaboli; & si vos exprimerent! Frater Matthæus de Basso Capucinus, magnus servus DEI, ad extrahendum ex errore certum quendam Juris Consultum, qui pompam quàm maximè fovebat, apprehendit utraque illius pallium manu, illud expressit; & ex eodem rivuli currebant sanguinis. Ah quot palliola, & quot ornamenta pomparum sudarent sanguinem pauperum, si tali modo exprimerentur: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum*: Jer. 2. v. 34. Unde nascitur tanta durities erga pauperes, nisi ab his maledictis pompis, ratione quarum nihil habetur ùt superfluum, cum tamen tantum adsit; & illud est certum, quòd de superfluo sit obligatio sub peccato mortali elargiendi eleemosynam illi, qui est in gravi necessitate; & necessitates graves oh quantæ hic adsunt, oh quot, & quantæ! Quot pauperes possent sustentari ex illo, quod superest in multis domibus usque adeò apud equos, imò apud ipsos canes? *Quot pauperum ventres poterant inde pasci*, dicit vobis Sanctus Chrysostomus. Ex his pompis nascuntur in filiis, & in familia, mala exempla, ruinæ capitalium, & Familiarum, & cum his quantæ ruinæ conscientiarum? Et quid, si attentio, & cura alicujus fœminæ ex integro in adornatione occupatæ, dies & noctes, menses & annos in hoc solo deperdit? *Dum pectuntur, dum comuntur, annus est*, ùt dixit Poëta. Et ob istas maledictas curas obliviscuntur DEI, obliviscuntur boni propriarum Animarum, obliviscuntur rerum spiritualium, & obliviscuntur Sacramentorum. Quod bene & gratiosè dixit Thomas Morus uni ex talibus videns illam plurimùm occupatam in adornatione sui: *Quam injustitiam tibi facturus est DEUS, si pro tanto labore quem habes, tibi non det in præmium grandem infernum?*

Et quid si intentio tanti ornatus, & tam fuci nimii solummodo sit piscatio animarum? *Ornatum meretricio præparata ad capiendas animas.* Non possum negare, quod multæ se adornabunt sicut columba, quæ oppositа soli in suis plumis splendet; sed est columba. Sed quantæ se pingunt, & se ornant ut serpens, qui quantò magis depictus, quantò pulchriores habet colores, tanto pejor est, & magis mortale ejus venenum. Vidit in certa quadam occasione bona quædam anima, ùt narratur in Spec. Exempl. dif. 9. viam quandam plenam splendore, per quam multæ ibant ad cælum animæ; repleta fuit jubilo videndo hoc, sed iste Jubilus citò cessavit; quia vidit subitò vicinos duos dracones, qui tenentes rete per medium illius itineris, prædabantur in eo tot Animas, ut pauciſſimæ evaserint, captas autem ubi rete impletum esset, præcipitabant in profundum. Remansit illa anima submersa inter angustias, & apparens ei immediatè Angelus, dixit illud rete, quod taliter deprimebat animas ad infernum, esse ornatus profanos, turpes, & provocativos Mulierum. Infelices animæ illæ, quæ taliter factæ rete dæmonis, officium habent conducere animas in infernum. Una de talibus, refert Cæsarius lib. 1. mir. c. 7. intrabat in certam Ecclesiam multùm glorians in sua profana, & maledicta pompa, tunc Sanctus quidam Parochus vidit multos dæmones variarum formarum, magnos, & parvos, qui eam circumdantes, sedebant aliqui in ejus vestimentis, alii saltabant, edentes effusissimos cachinnos. Remansit attonitus Sacerdos, & petiit à DEO, ut illud, quod ille videbat sua Majestas concederet videre omnes oculis corporeis; ità accidit. Viderunt hoc omnes cum horribili timore: qualis cogitatis remanserit illa mulier; qualis tu remaneres, si hoc vidisses. Itaque, Christiani mei, huic pompæ diaboli abrenuntiavimus in Baptismo; si illum amamus, si illam procuramus, quid nobis proderit ante DEUM, quod illi abrenuntiaverimus? hoc, quod nos tanto terribilior expectet damnatio.

VII. Factâ ista tam solenni renuntiatione, Sacerdos oleo Catechumenorum (ità vocatur, quia est illud oleum, quô unguntur illi, qui nondum perceperunt aquam Baptismi) hoc itaque oleo ungit infantem in forma Crucis in pectore, & inter scapulas, dicendo: *Ego te lino oleo salutis in Christo JESU Domino nostro, ut habeas vitam æternam.*

nam. Ità nos ungunt ut luctatores, dicit Sanctus Ambrosius; quia sicut apud antiquos ungebantur oleô luctatores, non solùm ad corroborandas vires, sed ad se meliùs expediendum, & eluctandum ex brachiis inimici cum majori facilitate; ità hoc oleo salutis nobis provident Ecclesia, ut vincamus in luctis, & pugnis, quæ nobis totâ vitâ restant gerendæ contra diabolum. Hoc oleum est, symbolum gratiæ DEI, quæ sanat vulnera Animæ, temperat & moderatur passiones, & appetitus, & corroborat pro pugna vires. Ponunt hoc nobis in modum Crucis in pectore, seu in corde, quia debet stare Crux in nostro amore ut suavis, & ponunt nobis illud inter scapulas, ut advertamus, quod quantumvis sit Crux illa, quam nostris humeris imponimus, si tamen Crux ex oleo, quod illam alleviat; quia, quantumvis portemus jugum, nihilominus oleum gratiæ DEI, illud nobis faciat suave: *In die illa,* hoc nobis prædicit Dominus per Isaiam c. 10. v. 27. *auferetur onus de humero tuo, jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.* Certô quodam die Bachanaliorum apparens Dominus Sanctæ Catharinæ Senensi, ùt in ejus vita refert Surius 30. Aprilis, dixit illi: Filia, quandoquidem tu, spernendo vanit tes mundi, amplexa es meam Crucem his diebus, quibus mundani vivunt tantopere dediti gulæ, pompis, & luxuriæ, hac ipsa de causa venio ad desponsandum me tecum. Et dando illi pretiosissimum annulum, eandem declaravit suam sponsam. Fortunata Crux, quæ oppositapompis diaboli, & vanitatibus mundi, attraxit Catharinæ pompam pulcherrimam cæli.

VIII. Ultimò tandem facimus Professionem Fidei solemnem, interrogante nos Sacerdote de singulis singillatim principalioribus Mysteriis Fidei, & confitemur in qualibet id, quod credimus; quia non sufficit credere in confuso, & uno verbo omnia illa, quæ credit Ecclesia; sed in particulari debemus credere sua principalia Mysteria, monstrantes nos promptos ad credendum omnia, & omnes alias veritates Fidei, modò semper nobis proponantur per Ecclesiæ legitimos Ministros. Quamobrem eô ipsô tempore occludimus omnino oculos tenebris diaboli, & illos aperimus lumini Supremo DEI. Sed ad quid nobis serviet tantum lumen, si tantopere nos excæcant pompæ?

IX. Refert Robertus Liſius, quòd quædam fœmina ex multis, quæ quantò magis ſibi ipſis attendunt, eò magis ſe perdunt, tranſegerit annos ſuæ vitæ ſinè omni alia cura, quàm de ſua ſupellectile, de ſuis ornamentis, & fuco, & abſque ulteriori alio ſtudio, quàm de profanis ſuis veſtibus, & illecebris. Supervenit ei mors quando minimè illam expectabat, & expetenti, utpote Chriſtianæ, Sacramenta, attulit Parochus unam Particulam conſecratam, & dum jam illi vellet porrigere hoc Sanctiſſimum Viaticum, Sacerdoti converſo ad illam cum Sanctiſſimo in manibus, duo pulcherrimi Angeli, facientes primò reverentiam profundiſſimam, rapuerunt Particulam ex manibus, & avolantes diſparuerunt. Attonitus & obſtupefactus Sacerdos, & plenus anguſtiis, tam propter hoc quod ignoraverit quorſum Particulam deportaverint, & ubi eam depoſuerint, quàm quòd viderit mulierem jam proximam morti, rediit currendo ad Parochiam, & perveniens ad Altare invenit Particulam poſitam cum omni reverentia ſupra illam Sacram Menſam; reportata Particula invenit mulierem jam mortuam. Ità negavit Dominus ſuum Sacratiſſimum Corpus Sacramentatum illi, quæ totam vitam ſuam tranſegit in deornando, cuſtodiendo, & fucando ſuo vili, & miſerabili corpore. Et quid obfuſcatæ, & à falſis mundi pompis deceptæ profuit cognoſcere, & credere veritates tam ſublimes & ſupremas?

X. Cùm itaque nos omnes relicturæ ſint deluſos hæ mundi vanitates, figamus noſtros oculos & deſideria omnia ſolummodò in illis luminibus, quæ nos poſſunt replere æternis ſplendoribus in gloria.

INSTRUCTIO IX.

De tribus ultimis Cæremoniis Sancti Baptiſmi, & de illorum Spirituali Doctrina.

I. Eſſe alterum, remanendo etiam idem, bonum remedium pro ſemper mutabili mundo; eò quòd, qui in tantum delectatur mutationibus, obtenturus ſit tandem aliquando in ipſa mutatione, ſtabilitatem. Sed quomodo poteſt eſſe, dicetis jam mihi omnes, quomodo poteſt eſſe, ut uniantur duæ res tam paten-

patenter oppoſitæ, duo extrema tam manifeſtè contraria prout ſunt, eſſe alterum, remanendo idem. Quomodo combinabitur iſtud impoſſibile? Nunc hoc videbitis facillimum ex ſagaci inventione induſtriæ, & oh utinam hoc melius experiamini ex diligentiis gratiæ. Naſcitur ſterilis planta, infœcundus frutex terræ, arbor ruſtica & ſylveſtris, quæ ſinè productione fructus alicujus, ſolummodò ſervit pro pabulo ignis. Et quid facit, ut ſuo fructui illam accommodare poſſit, peritus & dexter Hortulanus? Amputat ſurculos inutiles, abſcindit ramos otioſos, decutit ad terram omnia vana folia, & denudato trunco facit rupturam, inſerit ei ſurculum ex alia arbore fœcunda, & fructifera, alligat bene id, quod inſeruit, & intrà breve tempus quid evenit? Hoc, quòd ille, qui erat ſylveſtris, & ruſticus truncus! ſinè cultura, & ſinè fructu, jam ſit olea fœcunda, quæ replet Dominum fructu; quòd illud, quod erat lignum inutile, jam apportet pulchra & dulcia poma, quia omnem ſuccum, totam ſubſtantiam, totum vigorem, quem iſte truncus dividebat antea in ſylveſtres ramos, applicat jam totum in maturos & dulces fructus, & admirans in ſeipſo nova folia, quæ illum exornant, maturat poma, quæ ſua non erunt: *Miratúrque novas frondes, & non ſua poma*; dixit Poëta. Ecce ergo tibi hic in ſurculo inſititio aliam arborem, quæ tamèn eadem remanet: *Alter & idem*, appoſuit illi pro inſcriptione certus Sapiens. Idem, eò quòd conſervet ſuum truncum; alter, eò quòd jam fructus producat. Idem, eò quòd non perdiderit cum radice proprium ſuum eſſe; ſed alter, eò quòd jam fœcunda, ſciat fructificare. Idem, eò quòd ſit ſua tota vegetabilis vita, quæ illam animat; ſed alter, eò quòd illam mutet, & melioret in fructibus, quæ illam coronant: *Alter & idem*. Altera jam eſt, & remanet tamen eadem.

Verùm de quibus ſurculis inſititiis loquor ego, de quibus arboribus? Naſcimur omnes, Dilectiſſimi mei, naſcimur in ſterili deſerto, in arenoſa maledictione culpæ, plantæ infœcundæ, arbores inutiles, quæ impotentes producere fructum quendam alicujus valoris pro cælo, ſolummodo poteramus ſervire pro lignis inferni. Iſte fuit ſtatus lacrymabilis noſtræ infelicis nativitatis. Quid autem facit noſtra Mater Eccleſia in Baptiſmo? Abrenuntiavimus jam ſolemniter pompis diaboli, & vanitatibus mundi; hoc fuit reſecare II.

folia

folia ramorum, & frondium, quæ ſolùm producebat locò fructuum noſtra ſylveſtris planta; & quæ ſolùm erant pabulum pro flammis. Sequitur ad hoc infuſio aquæ, ſupra caput infantis Baptizandi, cum prolatione verborum formæ, quæ eſt totum eſſe, & Eſſentia hujus Divini Sacramenti. Et poſt hoc, proſequens ſuas ſacras myſterioſas Ceremonias, intingit Sacerdos pollicem in Sacro Chriſmate, de quo loquar in Sacramento Confirmationis, & ungens illo in modum Crucis verticem capitis infantis, dicit ſequentia verba: *DEUS Omnipotens, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem peccatorum omnium, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis in eodem Chriſto JESU Domino noſtro, in vitam æternam, Amen.*

III. Quæ unctio eſt iſta tam excelsè myſterioſa? *Ut intelligat*, explicat Catechiſmus Romanus, *ſe ab eo die Chriſto capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corpori inſitum.* Non eſt alia res iſta unctio, quàm demonſtratio inſitionis admirabilis, & prodigioſæ. Inſitionis? Cujus? Rapit in ſtuporem ſolum auditio hujus rei. Creaturæ unitæ jam ipſimet DEO; filii Adami, & maledictionis, inſiti jam & uniti ipſimet Chriſto; & huic plantæ ſterili, per ſe infœcundæ, & ſylveſtri, inſitus eſt ſurculus fœcundus gratiæ, ut jam producat & adferat dulces fructus vitæ æternæ. Idcirco Sanctus Paulus vocat Chriſtianos, inſitos ad Rom. 6. v. 5. *Complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus*; Vel prout ex Græco legitur: *Conſititii.* Et ſicut ob Chriſma, vel Unctionem ſupremam Spiritûs Sancti, dictus & vocatus fuit Chriſtus; ità à Chriſto, ob unionem, ob inſitionem ejus Majeſtati, ſumus, & vocamur Chriſtiani. Oh DEUS! utinam intelligeremus hoc bonum, utinam hic figeretur noſtra conſideratio, utinam hic viva redderetur noſtra Fides. Ità, ut ſicut inſitus ramuſculus trunco, unitur cum illo tam arctè, tam intimè, ut ex ejus ſucco ſe ſuſtentet, ex ejus vita vivat, ex ejus ſubſtantia creſcat, ex ejus vigore fructificet, & fiat idem cum illo, cùm tamen diſtinctus ſit; ità unitus Chriſtianus, & inſitus ipſimet Chriſto per Baptiſmum, vivit, reſpirat, & fruitur ſucco gratiæ, ratione ipſiusmet Chriſti, cum quo unus eſt, cùm tamen ſit diſtinctus. Oh quæ comparatio! O quæ ſimilitudo! Jam autem quales ſunt fructus quos producimus habentes talem vitam? *Vivo ego*, dicebat Sanctus

ctus Paulus; Ego ob meam naturam ſum fragilis, propter meam carnem, & propter meas paſſiones, ego ſum ille, qui vivo; ſed *jam non ego*, quia ſum alius, cùm tamen idem ſim. Jam non ſum ego, quia unitus meo capiti Chriſto, inſitus huic Arbori Vitæ; Chriſtus eſt, qui in me vivit; quia fructus meæ vitæ ſunt ipſius, ille mihi illos dat, ille hos producit: *Vivit in me Chriſtus*; ad Gal. c. 2. v. 20. Ah Chriſtiani! inſiti DEO, inſititii DEI!, ubi ſunt fructus veſtri? Si arborem ſterilem, cui jam inſitus eſt ramuſculus fœcundus, non excuſat propria natura, eò quòd non producat fructus maturos; quæ excuſatio erit pro Chriſtiano, dicere? Sum fragilis, ſum ex carne? Ego hoc tibi fateor, rem ſic ſe habere, dicit Apoſtolus; ſed cùm jam ſis unitus, & inſitus Chriſto, illa ipſa fragilitas, illa ipſa caro, alium jam habet vigorem, alium ſuccum, aliud robur; hinc illi nulla remanet excuſatio, ſi fructus non adferat: *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus*, 2. ad Corinth. c. 10. v. 3. Et cùm ſit vita DEI illa, quam à Baptiſmo uſque vivimus, qualis debet eſſe noſtra vita?

Hoc nunc nobis intimat Eccleſia in ultimis duabus Ceremoniis, quæ, cùm claræ ſint, non multa egent explicatione; continent infinitudinem onerum, quæ nobis per illas ſignificantur. Ponens itaque Sacerdos linteum ex lino albo ſupra caput infantis, quod æquivalet veſtitui albo, quô primis temporibus in Eccleſia veſtiebantur in Baptiſmo; dicit illi verba ſequentia, quæ non deberent excidere, & abeſſe nec quidem unicô momentô ex noſtra memoria; quæ deberent eſſe continua meditatio per noſtram vitam, & quæ deberet repetere omni die noſtra cogitatio: *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini noſtri JESU Chriſti, ut habeas vitam æternam.* Tali modo pro conſequenda vita æterna, non ſufficit percipere nunc in Baptiſmo hanc veſtem tam puram, tam mundam, tam candidam; ſed opus eſt perferre illam poſt noſtram mortem cum hoc ipſo candore, ſinè aliqua macula peccati mortalis, quando præſentabimur ante Tribunal DEI? Oh quæ hæc cogitatio pro tali, qui vivit intantum inconſideratus, inter tanta pericula! Invitabat quidam Carbonarius, dicit Æſopus, certum Lavatorem, IV.

ut veniret ad se, ad convivendum simul in una domo, proponebat illi multas decentias,& rationes, & se illi exhibiturum optimam societatem; item: quòd pretio bono & commodo illi domum suam sit elocaturus, victualiáque levi pretio comparaturus, & quòd unus alterum sit adjuturus. Omnia ista bene subsistunt, respondebat Lavator; sed cùm meum officium & praxis sit lavare, & dealbare telas, & tuum exercitium totum versetur inter carbones & fuliginem, quid important istæ convenientiæ; quandoquidem illud necessariò sit eventurum, quòd tu mihi meum semper sis destructurus laborem principalem; quòd illud,quod ego lavo, tu sis decoloraturus; quòd illud, quod ego dealbo, tu mihi sis deturpaturus. Non; non possum consentire huic cohabitationi quascunque tu mihi alleges convenientias. Ah convenientias carbonum? Quot tali modo societates ineunt absque respectu ad puritatem Animæ, quomodo sinunt istud vestimentum album præsentibus tam nigris titionibus? Applicare animum gustui & voluptati, lucris, & commoditatibus, & Animam conservare puram revolutando se in carbonibus, quis mihi persuadebit possibile? Pauperculæ Animæ, quomodo se habet vestis, quam percepistis in Baptismo?

V. Repræsentat illa vestis gratiam, & dona Spiritûs Sancti, quæ illic in Baptismo nobis infunduntur. Sed jam tantus splendor purissimus ubi est? *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Thren. 4. v. 5. Est provolutus in luto, prostratus in fœtore. Repræsentat illa vestis libertatem fortunatam, ut scribit Cornelius à Lap. in Ecclesiastis cap. 6. v. 8., & in Epist. Jac. c. 2. v. 2. quâ eximus ex servitute diaboli; taliter enim apud Antiquos albi vestiebantur. sclavi, quibus libertas conferebatur. Sed nunc quis est Dominus tuæ Animæ? diabolus. Est insigne ista vestis alba victoriæ obtentæ, est demonstratio & exhibitio læta triumphi glorioſissimi: *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis*, Apoc. 3. v. 5. Sed quis pro nunc vincit? quis triumphat? Appetitus, Caro, & Passiones. Est itaque candor ille jucundus conversus in habitum pessimum. Demonstrat tandem finaliter illa vestis alba gloriam, quæ nos expectat. Ità est; iste enim habitus Cæli est, totus purus, imò ipsa puritas. Ità se exhibuit noster Redemptor, quando glorioſus apparuit, vestimenta ejus erant candida sicut nix. Ità visi sunt Angeli ad se pul-

pulchrum, & in cælo veſtiti albis: *Invenius albis.* Ità vidit Sanctus Joannes in Paradiſo Beatos: *Amicti ſtolis albis.* Iſte eſt ornatus gloriæ, albedo. Et quid ex hinc ſequitur? Quòd *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, dicit Sanctus Joannes in ſua Apocalypſi, quòd illuc nec quidem aliqua leviſſima & minutiſſima macula intrare poſſit. Sanctus Annon, Archi-Epiſcopus Colonienſis, Prælatus Sanctiſſimus admirabilium Virtutum, raptus in ecſtaſin quadam vice, vidit grande Palatium, & in eo congregatos, in certa Aula, multos Epiſcopos, omnes Pontificalibus indutos, veſtibus albiſſimis; & tales veſtes etiam videbat in ſe ipſemet Annon; ſed advertit ſe in pectore habere maculam nigram, & multùm nauſeabilem, quæ nimium apparebat in veſtitu albo, & ille conabatur eam tegere. Monſtrârunt illi certam ſellam maximi ſplendoris, quæ eidem erat præparata; ſed euntem ad ſedendum, impediverunt, dicentes: Non ſedet inter nos, qui talem maculam portat in veſtimento. Remanſit confuſus, & mortificatus; & ad ſe rediens, examinando ſuam vitam, invenit illam maculam eſſe pœnam, & iram, quam habebat contra ſuos ſubditos, eò quòd præcedenti anno illi inobedientes fuiſſent, & reſpectum erga illum, ùt Dominum, denegaviſſent. Et hæc macula impediebat introitum in Cælum homini in reliquo inculpabili, Heroi tam Sancto.

VI. Quid igitur ſperat, qui inter carbones vitiorum poſſidet animam nigriorem ipſomet carbone? *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*: Thren. 4. v. 8. Tanta ſolicitudo, tanta ornamenta, tantæ blanditiæ, tantæ venuſtates pro veſtimentis corporis. & quid pro pauperecula Anima tam immunda, tam viliter depreſſa, & nauſeâ plenâ? Oh quanta eſſet perfectio, ſi reſpiceretur ad veſtimentum Animæ ſaltem taliter, qualiter attenditur ad illud corporis. Unica macula, ſi cadat in veſtem ex pretioſo panno, quæ pœna, quis disguſtus, qualis dolor? & quis hic erit, qui cum tali macula vellet comparere in publico? Et tantæ maculæ in Anima nec quidem advertuntur. Quid foret intrare in aliquam domum totam ornatam ſupellectili pretioſiſſima, adornata Conclavia elegantiſſimis damaſcis, ſellas ex holoſerico, pavimentum ſtratum tapetibus phrygiis, pulvinaria ex broccato, cum fimbriis aureis, in qua eſſent denique omnia ſplendentia, & poſt hæc omnia videre Dominam in ſtrato veſtitam aliquo

panno vili, nigro, tam turpi, & immundo, ut ſolet eſſe floccus ex culina. Potéſtne dari huic ſimilis monſtruoſitas? Ità ut parietes, ſupellex, pavimentum tantis divitiis & ornatu veſtita ſint, tot fimbriæ, tantæ divitiæ explicentur; & Domina, cujus hæc omnia ſunt, in ſua perſona ſit ità ſordida, vilis, & nauſeam creans. Quid eſt hoc? Et quid debet eſſe? Veſtra Anima, quæ Domina eſt, & apparet tam nauſeabunda, immunda, & abjecta, dum parietes corporis, & abjectum pavimentum eſt tam pulchrè exornatum, tam bene compoſitum, & tam bene veſtitum. Viſitavit Diogenes Philoſophus Platonem, hominem potentem, qui domum totam habebat ità exornatam paramentis, & tapetibus pretioſis, ut dum neceſſe habuiſſet expuere Philoſophus, quo expueret locum non invenerit, & tandem exſpuit Domino in faciem. Quid ſtulte facis? dixit Dominus; non inveni in tota hac domo, reſpondit, aliam partem, & locum diſcoopertum, & vacuum in quem expuere potuiſſem, præter tuam faciem. Oh quæ veritas! Exſolvat facies, exſolvat Anima ſuis vilibus maculis tapetes, & ornamenta corporis. Sed quid reſpondebimus quando in tribunali divino evoluta, & explicata fuerit illa tela, quam nobis dederunt in Baptiſmo? Quando ibi videbimus maculas ejus ultrà nos non poſſe delere? Oh recordatio! cujus nos tam facilè obliviſcimur, dum hoc ipſum vult Eccleſia ſemper nos debere habere in memoria. Ideircò in primitiva Eccleſia recèns baptiſati per octo dies veſtiti in albis à Sabbatho Sancto, in quo omnium pro tunc Baptiſmi peragebantur, uſque ad ſequens Sabbathum, in quo cum ſolemnitate exuebantur illis veſtibus albis, qua de cauſa fuit Sabbathum hoc vocatum *in Albis*, incedebant; ſpoliabantur veſtibus in corpore, dicit Sanctus Auguſtinus, tom. 10. ſerm. 155. de temp. ut ſemper ſuum candorem retinerent in cordibus: *Ità tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.*

VII. Ultimò tandem datur nobis in Baptiſmo accenſa candela, & dicit nobis Sacerdos: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerva DEI mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei unà cum omnibus Sanctis in aula cæleſti, habeáſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum.* Oh quæ candela, ad cujus lumen nihil poterit occultari! Clara ejus lux eſt Fides, quæ in Baptiſmo nobis infunditur, ut operemur

in

in omnibus ut Filii lucis, & cum luce diſtinguantur omnia noſtra opera, & actiones. Volans verſus cælum flamma ejus eſt Spes, quæ ibi nobis datur, ut ad cælum reſpiciant omnes noſtræ anxietates. Ejus ardor eſt Charitas, quæ nobis pariter ibi infunditur, ut ſemper ardens noſtrum cor incendiis amoris unius DEI, qui tam infinitè nos amat, hoc amore conſumat feliciſſimè noſtram vitam. Iſta eſt noſtra obligatio. Ideo nobis ponunt in manu candelam, quia debet ſplendere in noſtris operibus. Et ſi unicus flatus ſufficiens eſt ad extinguendam candelam, qualis eſt cura, & ſolicitudo quâ cuſtodimus in tam horrendis tempeſtatibus mundi illam candelam, in qua, ſi illam mors ardentem invenerit, conſiſtit noſtra ſalus. Oh DEUS! & poſtquam advenerit illud tempus, dum nobis vicinis ad exſpirandum reponent in noſtris manibus iſtam candelam, quid dicturum eſt nobis lumen hujus candelæ? Quid eſt conſcientiæ monſtraturum? Quid contra nos clamabunt diaboli? Iſte, dicent, eſt ille, qui conſepultus eſt cum Chriſto in Baptiſmo: *Conſepulti ei in Baptiſmo:* ad Coloſ. 2. v. 12. ad ſignificandum, quòd jam fuerit ex integro mortuus peccato, & tamen commiſit multò plura peccata quàm nos ipſimet. Iſte, dicent, accepit ibi nomen talis Sancti, vel illa talis Sanctæ, ad vivendam vitam omninò contrariam talis Sancti, vel Sanctæ, non verò ad imitandam. Iſte fuit ſignatus Cruce, ad ſequendum illam, & ut eſſet ejus defenſor; ſed fuit Crucis declaratus hoſtis uſque ad mortem. Illi fuit ſal poſitum in os, ut guſtaret verbum DEI, & ſapientiam cæli, ſed nunquam hæc guſtando, utrumque abhorruit, & ſemper ſprevit. Ille renuntiavit ibi ſolenniſſimè omnibus pompis, & vanitatibus, ſed quid plus feciſſet pro illis, ſi profeſſionem feciſſet easdem adorandi? Iſte fuit unctus chriſmate, ut eſſet quaſi Sacerdos DEI ſemper intendens ejusdem cultui; at multò reverentiores præ illo vixerunt etiam multi Turcæ. Huic data fuit veſtis alba ùt nix, ſinè omni macula; & pro nunc qualis eſt apud illum invenienda? nigra ùt carbo. Illi tradita fuit candela Fidei, Spei, & Charitatis, & nunc illam tenet accenſam in manibus; ſed in anima qualis eſt, ſinè omni lumine, exſtincta, & oh quàm mortua! Hoc eſt illud, quod nobis videndum reſtat ad lumen illius candelæ dum morituri ſumus. Perpendamus, & conſideremus igitur hoc priùs ad lumen hujus candelæ, quam nobis porrigunt in noſtra

ſtra nativitate. Aperiamus oculos, & in tempore emendet lumen hujus candelæ in Anima noſtra tanta damna. Et quando quidem pietas Eccleſiæ voluit quatenus ad patrocinium Mariæ Virginis Sanctiſſimæ benedicerentur candelæ pro morte, ardeat cor noſtrum in amore hujus Matris dulciſſimæ, ut ardente hac candela, ſit illa quæ nos defendat, ut in vita nobis ſit fax puriſſima, quæ nos illuminet.

VIII. Refert Diſcipulus eventum omni ex parte fructuoſiſſimum. Certa quædam mulier honeſta, bonorum morum, & virtuoſa patiebatur prolixum tormentum à ſuo perverſo marito. Erat ille miles diſſolutus in ſuis moribus: unde in domo oriebantur continuæ adverſitates, & diſcordiæ. Miſera mulier, miſera domus illa, quæ taliter ratione unius mariti diabolici repræſentabat totum infernum. Mulier erat devotiſſima erga Sanctiſſimam DEI genitricem Mariam, & quadam nocte, dum ut plurimum incurioſus, dormiret malus miles, & pejor maritus, in unico momento fuit raptus ad Tribunal DEI: vidit ſe diabolis cinctum, qui magnis clamoribus vociferantes, & proclamantes ejus culpas, petebant illum à divina juſtitia ùt ſuum. Unus poſt alterum faciebat illi quæſtiones, & ille nihil habuit, quod reſponderet vel unicæ ex illis. Qualis fuerit ſua anguſtia? ſeveriſſimum Divinum Judicem, jam ſententiam ſubſcribere volentem, detinuit Virgo Sanctiſſima dicens: Iſte homo obtulit ſemel in honorem mei unam facem ceream, quæ arſit in meo altari; & quantumvis ille hujus amplius non recordetur ego bene memini, ut hoc ei rependam. Et rependo ei hoc iſtâ face, quæ illum pro nunc debet defendere; & hæc dicens poſuit in manibus ejus facem accenſam, ad cujus conſpectum ululantes diaboli aufugerunt. Hæc fiebant in ejus Anima, dum hic in ſuo corpore dabat horrendas voces, & triſtes gemitus, ad quos excitata ejus uxor accurrit volens eum juvare, & invenit eum ità mutatum, ut illum non agnoverit; nam cùm eſſet adhuc Juvenis, nihilominus crevit illi barba intrà hoc breve ſpatium uſque ad pectus, & capilli uſque ad cingulum; & barba, & capilli cani facti ſunt, ità ut videretur octoginta eſſe annorum. Rediit ad ſe; retulit plenus horrore, & lacrymis id, quod viderat. Et veraciter converſus obtulit cultui Matris Sanctiſſimæ totum ſuum patrimonium, in certo hoſpitali, in quo ille, & uxor ipſius vixerunt poſt-

postmodum ità hilares acsi viverent in pace virtutum, usquedum uterque sancta morte obiisset.

O! Maria, fax purissima Cælorum, quis non sinet se aduri à tua luce amabili? Quis non liquefaciet totum suum cor in tuis obsequiis? quando ità rependis etiam tam exiguum servitium? In tuas manus, Mater admirabilis, deponimus ex hoc momento nostras Animas, ut Tu in hora mortis sis lux, quæ nos illuminet, lux, quæ nos ducat, lux, quæ nos liberet ab æternis tenebris, lux, quæ nos introducat in æternos splendores gloriæ. IX.

DE
S. Sacramento Confirmationis.

INSTRUCTIO I.

Quomodo Sanctum Sacramentum Confirmationis sit perfectio Baptismi: Quis sit ejus Minister; & quantam necessitatem habeamus illud percipiendi.

NOn vocat DEUS opus suum, *Universum*, usquedum illud reliquisset ex integro perfectum: *Requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat:* Gen. 2. v. 2. Fecit Mundum in uno die, sed quinque dies postmodùm impendit in eo perfectionando; *Priùs condit & molitur res corporeas*, dixit Sanctus Ambrosius, *deinde perficit, illuminat, absolvit.* Bene poterat sua Majestas illum perfectionare in unico instanti; sed noluit, ut, quantùm totum opus, ità etiam æstimemus particulatim quamlibet ejus perfectionem. Dum itaque in uno die nascitur Mundus, quinque erant adhibendi ad eum perfectionandum. Quando ego credebam me finivisse, invenio me nunc primò incipere; Magnitudo operum DEI, submergens humanum intellectum, tanto imperceptibilior est, quanto plus ille discurrit in ejus admiratione; quando sibi videtur attigisse portum, invenit se intrâsse in novum mare; *Cum consummaverit homo, tunc incipiet, & cùm quieverit, operabitur*; Eccles. 18. v. 6. Cogitabam, dico, me finivisse jam I.

nar-

narrare excellentias admirabiles, ſublimes prærogativas, ſemper ineffabiles effectus Sancti Sacramenti Baptiſmi; & invenio me nec quidem incepiſſe dicere de ejus perfectione. Et ſi opus non dicimus eſſe finitum donec perfectionetur, redeo incipere perfectionem Baptiſmi. Sed qualis poterit eſſe, dicetis mihi, perfectio, quæ reſtat operi in tantum omni ex parte integro, & admirabili? Qualis poterit eſſe perfectio Baptiſmi? Dicam: Eſt Sacramentum Confirmationis; quod ideò forſitan vocatur etiam *impoſitio manuum*: ùt dicit Raynau. 2. Het. t. 16. fol. 159. non jam ſolummodò ideò, quia in iſto Sacramento manus imponit Epiſcopus illi quem confirmat; ſed quia in illo poſuit DEUS, ut Supremus Artifex, ultimam manum ſuarum eminentiarum, ad rurſus tangendam, ad perfectionandam, ad expoliendam illam pulchram imaginem, illam effigiem elegantem, quam in anima reliquit per Baptiſmum. Vocant idcirco Sancti Patres Sanctum Sacramentum Confirmationis perfectionem Baptiſmi; *Sacro-Sanctam perfectionem Divinæ regenerationis*, vocat hoc Sacramentum Sanctus Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierar. c. 4. Conſummationem Baptiſmi appellavit Confirmationem Sanctus Cyprianus epiſt. 73. *Signaculum Dominicum, quò Chriſtiani conſumentur.* Complementum Baptiſmi illam nominavit Rabbanus. Ità etiam Tertullianus, Sanctus Ambroſius, & alii Patres. Eſt hoc tantum Sacramentum, ùt Sanctus Clemens Romanus, Diſcipulus Sancti Petri Apoſtoli, affirmet ſe audiiſſe à ſuo Magiſtro Sancto Petro, illum non eſſe perfectum Chriſtianum, qui non eſſet confirmatus; Et Sanctus Urbanus Papa, exhortatur cap. 1. omnes Fideles de Conſecr. Diſtin. V. ad percipiendam Confirmationem, ut ſint ex integro Chriſtiani: *Omnes fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur.* O dignitatem altiſſimam hujus Sacramenti, quod cum tanta ratione nominavit Sanctus Thomas, 3. p. q. 72. a. 1. ad 2. *Sacramentum plenitudinis gratiæ.*

II. Sed quomodo poteſt eſſe, opponetis mihi celeriter hanc bene fundatam difficultatem; quomodo poteſt eſſe, quòd Sacramentum Confirmationis det perfectionem Baptiſmo? & quomodo poteſt eſſe, nos per Confirmationem totaliter eſſe, & perfectè Chriſtianos? Ut tales ſimus, nullum eſt dubium, quòd ſufficiat ſolummodò ſuſcepiſſe

cepiſſe Baptiſmum. Certum etiam eſt, & de Fide, in Baptiſmo nobis condonari omnes culpas, tam originalem, quàm, ſi adſint, actuales: dari nobis gratiam, infundi Virtutes Theologicas, fieri nos filios DEI, hæredes ejus, & ab inde nos eſſe, & vocari Chriſtianos. Quid igitur remanet faciendum Sacramento Confirmationis? Videtur, quòd omnino nihil. Quomodo ergo eſt perfectio Baptiſmi?

III. Sinite me reſpondere hoc exemplo. Evenit quandoque luſu oblectari infantulum in lubricitate luti, vacillârunt illi pedes, & cadit in profundam paludem, in qua dimicando infortunatus cum morte, quantos conatus adhibet ad liberandum ſe, ſunt ii omnes magis in damnum illius ſubmerſionis. Jam ſinè viribus, medio ſubmerſo, accurrit ſemiviva Mater, extendit anxia brachium, & illum vi apprehenſum ex palude extrahit. Quæ anxietas! Quæ anguſtiæ! Illum exuit; quæ cordis palpitatio! Illum lavat, mundat; & abſterſo, nauſeam movente fœtore, omnia exſiccat, de novo eum veſtit; & jamjam ceſſante timore: hodie dicit, & bene, fortuna eſt, hodie natus eſt iſte infans. Ità eſt; quandoquidem illa dedit eidem vitam ſecunda vice, ſalvando illum à morte. Sed nunquid hic finitur ejus diligentia? Eſtne contenta ſolum cum hoc, quòd ipſum liberaverit à ſubmerſione, quòd ipſum purgaverit, quòd ipſi omninò omnes maculas abſterſerit, ipſum de novo veſtierit, & tandem, quòd jam illum ab iſto periculo liberum videat? Non; quòd ſi enim eo lapſu, ex frigore, ex ictu infantulus fuit læſus, aut malè diſpoſitus, debilis, ægrotans, & ſinè viribus, jam hic ſubintrat nova ſolicitudo amoris: adhibentur fomenta, remedia, medicinæ, ut cui priùs vitam dederat, reſtauret hic vires debilitatas. Ecce ego ad litteram depinxi noſtram generalem ruinam, & dixi noſtræ Matris amoroſæ Eccleſiæ repetita remedia. Cecidimus omnes (oh qualis lapſus tam lacrymabilis!) in paludem culpæ, ubi ex immunditia luti habuimus abſque remedio infelicitatem mortis æternæ expectare. Extraxit nos illinc igitur dando nobis vitam iſta Mater affectuoſa, & lavando omnes ſordes, impoſuit nobis ditiſſimum veſtimentum gratiæ: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; ad Gal. 3. v. 27. Omnia iſta perfecit Baptiſmus; ſed ubi poſtmodum remanſit ob lapſum debilitata natura, debilitatæ vires, & ſinè vigore robur, infirma natura, & caſui

ſui obnoxia, quid factu opus eſt? Quid? Oleô Sanctô Confirmationis, illô ſalutiferô balſamô nos corroborat, nobis vires ſuppeditat & adauget. Dico hoc uno verbo: Nos confirmat. Nonne iſtud opus eſt perfectio prioris? Ità eſt; non enim ſatis illi erat ibi dare nobis adjuvamen, hic dat nobis robur & fortitudinem.

IV. Videte nunc qualiter omnia eleganter nobis ſtringat Catechiſmus: *Quid eſt Confirmatio? Augmentum ſpirituale illius eſſe, quod nobis dedit Baptiſmus.* Et rurſus interrogat: *Quo modo dat nobis iſtud Augmentum? dando nobis gratiam, & vires, quibus confitemur noſtram Fidem Chriſtianam.* Oh quæ æmulatio favorum tam admirabilium! Oh quæ concertatio beneficiorum tam prodigioſa! Conſiderate illam bene, conſiderate. In Baptiſmo naſcimur ad vitam ſpiritualem ùt infantes; in Confirmatione fruimur vitâ in tantum adauctâ, prout jam eſt hominum adultorum. In Baptiſmo nobis curantur, & ſanantur mortalia vulnera; in Confirmatione nobis reſtaurantur vires. In Baptiſmo nobis datur gratia pro meliori pulchritudine; in Confirmatione nobis augmentatur iſta gratia pro ſui defenſione. In Baptiſmo nobis datur hæreditas infinita DEI; in Confirmatione nobis datur in Tutorem Spiritus Sanctus, ut nobis illam conſervet. In Baptiſmo nobis declaratur bellum, & pugna, quam arripimus contra diabolum, mundum, & carnem; in Confirmatione nobis præparantur munitiones pro certamine. In Baptiſmo naſcimur ad vitam; in Confirmatione armamur ad pugnam. *In Baptiſmo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam.* In Baptiſmo adſcribimur cathalogo militum Chriſti, & ſub ejus ſigna tranſimus; in Confirmatione diſtribuuntur nobis arma pro pugna. In Baptiſmo tandem finaliter aperitur nobis porta, ut poſſimus in cælum intrare; ſed in Confirmatione nobis datur robur, fortitudo, & vires ad pugnandum, quàm diu ſumus in mundo. Et ſic, quamvis ſolus Baptiſmus ſufficiat pro ſalute illis, qui immediatè illô ſuſceptô moriuntur; attamen Confirmatio eſt neceſſaria pro defenſione contra tot & tantos inimicos illis, qui in hoc mundo vivunt. Hucuſque locutus ſui cum Sancto Thoma, & Sancto Melchiade Papa, & Martyre, qui taliter extollunt, in comparatione unius cum altero, hæc duo admirabilia Sacramenta.

Mulie-

Mulieres Lacedæmonienſes non æſtimabant ſe eſſe matres dando in lucem filium, ſi poſtmodum eum non educarent in militem. Pro maximo honore habebant, habere filios militiæ deditos; & hac de cauſa vix natis pro cunis ſupponebant ſcutum, ſeu ancile, & in hoc eosdem deponebant; quia ab eo tempore jam illos volebant animatos ad militiam, jam illos exponebant armatos ad pugnam. Cum hac alluſione dixit Poëta: *Reptâſti per ſcuta puer.* Oh quàm multò melior Mater Eccleſia; non ſatis ipſi eſt nobis in Baptiſmo vitam dediſſe, armat nos poſtmodum in Confirmatione pro pugna, in qua tota vita noſtra conſiſtit; pro militia, quæ debet durare cunctis diebus vitæ noſtræ: *Cunctis diebus, quibus nunc milito*; Job. 14. v. 14. Dedit nobis ibi gladium, ſed clauſum in vagina: *Gladium ſalutis*; gladium ſpiritûs, arma Fidei. Sed ad quid nobis ſervient in vagina, cùm non habeamus vires illa extrahendi, ſinè habito valore manum ad capulum applicandi? Idcirco in Confirmatione iſtud nobis confert robur, & iſtas vires. Themiſtocles, Dux Athenienſium, ſolebat dicere: Se minimè timere Teuthidem, Generaliſſimum Cretenſium; quia quantumvis habebat gladium ad feriendum, non habebat cor, nec ſtrenuitatem ad eundem evaginandum. Jam hoc ipſum poſſunt dicere diaboli de Chriſtiano nondum confirmato; quòd quantumvis habeat gladium Fidei, ſinè robore tamen hunc habeat, ſinè animoſitate & valore illum evaginandi. V.

Hæc eſt itaque potentia admirabilis, iſta eſt efficacia Divina Sacramenti Confirmationis, quòd, ſi non invenit impedimentum culpæ in illo, qui illud percipit, illud facit, quod fecit Spiritus Sanctus die Pentecoſtes in Sanctis Apoſtolis. Omnes illi antea quàm timoroſi! quàm tepidi! quàm puſillanimes! quàm imbecilles! Iſte negat, illi dubitant, omnes fugiunt, & omnes ſe præ timore abſcondunt, præ pavore & anxietate tremunt! deſcendat ergo ſuper illos Spiritus Sanctus: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto:* Luc. 24. v. 49. Et quid immediatè contigit? Quòd totus mundus unà cum ſuis tyrannis, totus infernus unà cum ſuis legionibus, jam nihil videantur reſpectu illorum valoris, reſpectu animoſitatis invincibilis, quâ prodeunt prædicantes Veram Fidem, ità ut nec cruces, nec enſes, nec mortes, nec tormenta alia eos cogere potuerint ad tacendum. Ecce hoc ipſum, quod ibi viſibiliter da- VI.

tum fuit Apoſtolis ſinè Sacramento, & tantum, quia illis hoc volebat conferre Dominus illorum Divinus; hoc ipſum inquam, cuivis noſtrum datur inviſibiliter in Virtute Sacramenti Confirmationis. Hoc ipſum? Ità eſt; quia pro quovis, dies, in quo Confirmatio ei adminiſtratur, eſt dies Pentecoſtes, in quo deſcendit ſuper illum Spiritus Sanctus, qui illum corroborat, vires addit, fortitudinem ſubminiſtrat, ut confitendo publicè Fidem, ſe opponat hæreticis, reſiſtat Tyrannis, ſpernat tormenta, & diabolos ſibi ſubjiciat. Hæcne omnia nobis dantur? Ità eſt. Quare ergo non facimus illud, quod ibi fecerant Apoſtoli? Quare non ſentimus in nobis iſtum valorem, & robur ſanctum ad profitendum nos in omnibus rebus Chriſtianos? Imò qualiter oppoſitum apparet, quòd nimirum pudeat nos Sanctarum Actionum Chriſtianiſmi? Si habemus iſta arma, quomodo nos vicerunt, & quomodo nos faciunt fugere, non dico tormenta, non dico mortes, ſed unicum verbum, unus jocus, unica facetia, unica ſubriſio? Si hunc gladium habemus, quare cum illo nihil operamur?

VII. Ego vobis hoc dicam. Ille prodigioſus Capitaneus Georgius Caſtriotus, quem Turcæ vocabant Scanderbegum, erat tam ſtupendarum virium, ut unico ictu ſuo enſe diſſecuerit per medium virum; imò etiam armatum politiſſimâ galeâ ex chalybe, dividebat unico impulſu per medium, acſi eſſet aliqua rapa. Exterruit in tantum Turcas iſtud prodigium, videntes tantam in ſuis ſtragem, ut Imperator Turcarum ad eum miſerit, petens à Duce Chriſtiano, ut ſibi tranſmitteret ſuum enſem, quia cupidus eſſet eum videndi, & admirandi cædes illius tam prodigioſas. Tranſmiſit immediatè Caſtriotus, & ubi eum Viro maximæ fortitudinis Imperator in manus tradidiſſet, fuit poſita galea ad faciendum experimentum, quam ille non ſolùm non diſſecuit; ſed vix aliquantulum læſit. Eh iſte non eſt ejus enſis, dixerunt, miſit nobis alium; non, reſpondit Caſtriotus Legatis, ipſiſſimus eſt iſte, quo ego utor, ſed dicite veſtro Imperatori, quòd, quantumvis tranſmiſerim eundem ipſum enſem, qui ob tantam ſtragem vos facit obſtupeſcere, non potuerit mitti cum illo ipſummet brachium, quod illum tractat. Chari mei Domini, ipſiſſimum gladium Spiritûs Sancti; *Gladium Spiritûs*, ad Epheſ. 6. v. 17. quem habuerunt Apoſtoli, quem habuerunt Martyres,

res, & quô vicerunt tormenta, & mortem, hunc nos etiam habemus per Sacramentum Confirmationis; ſed ſi Anima occupata & impedita à culpis, impedit gratiam hujus Sacramenti; ſi brachium, quod illum tractat, eſt debile, ſi eſt paraliticum inter vitia, quid juvat habere gladium tam validum? Eſt Confirmatio Sacramentum vivorum, volo dicere, quòd ſit percipiendum in ſtatu gratiæ, & quòd ſit futurum peccatum mortale & ſacrilegium percipere illud in peccato mortali. Eſt ejus effectus principaliſſimus gratiam perfectionare, ſicut jam dixi, & illam augere; ſed illud, quod album non eſt, quomodo poteſt albius fieri? dum reciſi Samſonis capilli fuiſſent, oblectatio fuit & ludibrium Philiſtæis ille, qui antea fuerat terror exercitum.

VIII. Ratione hujus perfectionis omnino, quam dat Sacramentum Confirmationis, Miniſter ejus Ordinarius eſt ſolummodo Epiſcopus, & non ſimplices Sacerdotes, niſi habeant ſpecialem à Summo Pontifice poteſtatem. Ità edocta à Sanctis Apoſtolis habet firmiter Eccleſia in ſuis Sacris Canonibus; quia, cùm ſit iſtud Sacramentum ultima perfectio quoad eſſe Chriſtiani, attinet illam conferre per Miniſtros majores Eccleſiæ. Sicut enim in officina alicujus Pictoris Diſcipuli omnes adumbrant, imponunt colores, pingunt tabulas; ſed in perfectum redigere vultus, novum opus adjungere, & ultimam manum applicare, hic proprius Magiſtri labor & cura eſt; Magiſter eſt, qui hæc perficit. In ædificio laborant manuales parietes, accommodant lapides, formant partes, ſed his terminatis, dum apponenda eſt ultima perfectio, huc intrat manus Magiſtri majoris: *Per Baptiſmum*, dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 72. a. 11. *ædificatur homo in domum ſpiritualem.* Hoc itaque eſt Miniſterium Sacerdotum; *Per Confirmationem quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritûs Sancti.* Sed per Confirmationem hoc templum, quod jam erat exſtructum in Baptiſmo, novâ pulchritudine, ultimata reſtauratione & perfectione conſecratur jam, & dedicatur. Hoc igitur eſt proprium Magiſtrorum majorum, quales ſunt Epiſcopi.

IX. Ego tandem ultimate vobis fateor, quòd ſinè perceptione Sacramenti Confirmationis quiſcunque ſalvari poſſit; hoc eſt tantum dicere, ac non eſſe neceſſarium hoc Sacramentum in ratione medii. Hoc eſt veriſſimum; ſed ſi ſalvatio debet eſſe mediante pugna, &

certamine cum tantis inimicis, & in bene pugnando consistit nostra corona: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*; 2. ad Tim. 2. v. 5. Quantum erit nostrum periculum, nè vincamur sinè istis armis? *Omninò periculum est*, dixit quoad hunc sensum Hugo Victorinus, *si ab hac vita sinè Confirmatione migrare contingeret.* Audeo ulterius progredi: quantumvis quispiam negligeret per totam suam vitam percipere istud Sacramentum Confirmationis, non ideo peccaret mortaliter, si non esset, quòd hoc ex despectu faceret, & sic ex contemptu omitteret. De Novato, refert Eusebius lib. 6. c. 35. quòd, cùm ex superbia contempsisset percipere Sacramentum Confirmationis, ideo diabolus illum possederit; & negando postmodùm turpiter & ignavè suum Sacerdotium, & suam Fidem in tormentis, factus fuerit tam perversus Hæresiarcha. Idcirco antiqui Christiani quærebant expetebántque tam soliciti hoc Sacramentum ad armandos se invincibiles contra certamina Tyrannorum. Idcirco antiqui Patres Ecclesiæ zelabant pro hoc Sacramento cum tanta veneratione, prout nobis dicet iste prodigiosissimus successus, quem inter alios Authores refert Surius.

X. Regebat Ecclesiam Andegavensem in Gallia Sanctus Maurilius, Episcopus Sanctissimus, qui replebat totam illam Provinciam suis prodigiis; sanando infirmos, liberando dæmoniacos, resuscitando mortuos, ùt refert Surius 13. Septemb. Steng. de Div. Jud. 1. c. 34. n. 14. Dau Catechis. hist. t. 3. tit. 1. de Conf. Exem. 1. Quædam igitur Andegavensis territorii Matrona, vinculo Conjugali nexa, ex tempore suæ Copulationis sterilis permanebat. Quæ cùm pro adipiscenda prole Dominum deprecaretur assiduè, & nequaquam votum suum obtinere valeret, ac procederet matura in annos desperationis adipiscendæ jam prolis, ad Beatum Virum se tota convertit, ut, quod ipsa non merebatur, ille apud Dominum suis meritis obtineret. Et, si suis precibus filium seni fœminæ impetrare potuisset, ipsum se Domino oblaturam, ei perpetuò serviturum, tota fide ac voto pollicebatur. Intuens autem Vir Beatus mulieris fidem ac lacrymas Dominum pro ea deprecaturus accessit. Exaudivitque Dominus Virum Sanctum, & deprecanti fœminæ conceptum dedit & partum. Quem illa, sicut promiserat, Domino consecravit habendum. Cùm autem puerulus adhuc in tenellis annis

nis esset, advenit cum eodem moriente Matrona, Sancto Episcopo in Ecclesia Sancti Petri sanctam solemnitatem celebrante; postulans, ut filio suo, quem Domino habendum obtulerat, manuum suarum impositione Spiritum Sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in Sancta Corporis & Sanguinis Christi consecratione paululum Præsule, puer excessit. Expletô autem Sanctæ Solemnitatis Mysterio, & obitu pueri, qui absque Chrismatis dono excesserat, percognito, totum id suæ desitudini deputavit, lacrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec ista sufficerent, diu, multúmque, quid ageret, secum animo colluctante tandem reperit, quòd inter Concives tantæ negligentiæ piaculum plenè expiari nequiret, nisi singularis elapsus, Patriam, Civésque relinqueret. Tali igitur repertô consiliô, occultè semetipsum exinde eripuit, ex Sanctorum Reliquiis, quibus Ecclesia Andegavensis decorabatur, secum claves deportans. Cùm autem pervenisset ad mare, Divinâ Providentiâ, qui manebat in littore, diem transitûs sui exaravit in lapide: sícque ascensa puppi, inchoati itineris cœpit maturator existere. Cúmque processisset in altum, & quare claves Reliquiarum secum detulerit, cogitaret, insidiante humani generis inimico, ut dolorem Sancto Viro super dolorem imponeret, repentè claves de manibus elapsæ, submerguntur in æquore. Tunc cum lacrymis id fertur exclamâsse Maurilius, quod postea probabit eventus: Nisi has iterum, inquit, claves videre meruero, patriam urbémque nunquam repetam, quàm effugio. Transmissô igitur mari, quô, quis esset, abscondere potuisset, mutatô habitu, uni Regionis Dominorum adhæsit, professus se hortulanum fore, quatenus corpus propriô labore castigaret. Qui cùm tali proficeret ministerio, tantam copiam ejus meritis Dominus oleribus dabat, ut omnibus, quibuscunque necesse fuerat, ex eisdem sufficienter ministraret, & tamen olera nunquam deficerent. Unde perpluribus placebat, & bene ab omnibus amabatur. Interea plebs Andegavorum, cælitus sibi quondam commisso viduata Pastore, non minimo pavore percellitur, crebrísque visionibus minatur, persæpè etiam admonetur, uti proprium Pastorem circumquaque perquirerent, & nisi Maurilius inventus suæ redderetur Ecclesiæ, Urbem Andegavam celeriùs fore subvertendam. Unde ejusdem

dem Regionis tota Nobilitas, ſed & vulgaris immenſitas, collatione facta, in unum venêre decretum, eligentes è Concivibus quatuor diffuſæ Virtutis & Fidei Viros. Quibus, qui neceſſarii ad tanti itineris erant ſupplenda negotia, ſumptibus ex voto collatis, præcipiunt, nè unquam reverterentur, nisi priùs proprium inveniſſent Patronum. Qui functi legatione, Urbes oppidáque & vicos omnes præterlegunt, omnique fere Europa circumita, ſeptimô tandem annô in partes Galliæ revertentes, & minimè, quem quærebant, invento, Divino ductu ad portum Oceani maris, qui in Britannia manet minori, pervenerunt, quatenus cis mare quem invenire non poterant, trans mare quærere niterentur. Præſtolantes igitur navem, cum qua cœptum valerent explere obſequium, cùm reſiderent in littore, ſcriptum, quod ſuprà diximus, invenerunt in Silice: Hic tranſiit Maurilius, Andegavorum Epiſcopus. De tam evidenti igitur alacres effecti indicio, trans pontum abiêre ſecuri. Cúmque in medio tranquilli æquoris mari eſſent, ecce repentè emerſus è gurgite piſcis immanis proſilivit in navim. De quo cùm DEO gratias retuliſſent, ipsúmque piſcem exenterare cœpiſſent, Reliquiarum claves, quas Maurilius in mari perdiderat, in piſcis jecore repererunt. Quas recognoſcentes, nimiùm mirantes turbabantur attoniti, metuentes, nè cum ipſis Maurilius naufragium paſſus hominem exuiſſet. Demiſſis igitur de navi anchoris, in hoc ſtantes, ut de mari reverterentur, aſſerentibus Nautis, Maurilium eſſe defunctum, ſinguli ſequenti nocte unum eundémque viſum, Domino tribuente, viderunt, in quo dictum eſt eis: Nolite metuere, nec revertamini de itinere; cœptum maturate negotium: procul dubio diu quæſitum veſtrum invenietis deſiderium. Manè autem reddito, quid ſinguli viderant, invicem referebant. Unde factum eſt, ut Angelico ductu ad domum Domini, cum quo Maurilius habitabat, recto itinere ducerentur. Ingreſſi autem, illico vocari Maurilium, ut cum oleribus, quibus Patronus uti conſueverat, accurreret, audierunt. Oculorum autem aciem in partem, quâ illum inclamari audierant, dirigunt: nec mora, cum oleribus accurrere Maurilium conſpexerunt. Quem ut cognoviſſent, proſtrati pedibus illius, cum magno fletu rogabant, ut propriæ ſubveniret Eccleſiæ atque Civitati. Ad quorum fletum, cùm ſe negare non poſſet, obſtupefactus, cum

cum lacrymis repugnare cœpit obnoxius, dicens: Votô memet ac juramentô constrinxi, nunquam in Patriam reversurum, nisi claves videre mererer iterum, quas amisi. Quas statim exhibentes, quidquid in mari viderant, vel pertulerant, ex ordine referebant. Statim hæc fama pervolat, ipsúmque solicitat Patronum. Mirantur cuncti, & quem ùt Hortulanum habuerant, nunc ut Beatissimum Præsulem venerantes adorant, multis eum muneribus honorare certantes. Tunc Maurilius tot precibus, ut regrederetur, & miraculis victus, dum solicitior cunctaretur, & vigiliis atque orationibus insomnem ducere sequentem disponeret noctem, tandem fatigatus, paululùm obdormiens, vidit Angelum dicentem sibi: Surge Maurili, & populorum te requirentium exequere votum. Ecce enim tuis precibus & meritis tibi commissas servavit Dominus oves, pro quibus rogâsti, & insuper reddidit tibi puerum, quem diutiùs plorans quæsivisti. Quid multis, Mane reddito, concurrentibus undique populis, cum magno honore ducitur ad navem, & traductus, non minori gloria excipitur à Patria propria. Talitérque propriam regressus ad Urbem, nimirum expectantibus turbis, de Domini promissione securus, venit ad pueri tumulum; quô rastris discooperto, invocat diutissimè planctibus Christum. Tandem autem expleta cum lacrymis oratione, uterque consurgit, Maurilius de oratione, & puer de morte, quem septiformis Spiritûs gratiâ consecratum, ex eventu vocavit Renatum; qui Divinis cultibus illicò mancipatus, & à Beato Maurilio diligenter eruditus, tantis promeruit florere virtutibus, ut post Maurilium Pontificalem Andegavensis Ecclesiæ Cathedram posthumus sortiretur & hæres; magnorúmque fieret pariter operator miraculorum.

Desunt nobis voces pro celebrando tanto prodigio. Nónne illum poterat resuscitare immediatè prout illum resuscitavit post septem annos? Verum est; sed DEUS ità nobis voluit monstrare quantum debeat æstimari Sacramentum Confirmationis. Voluit nobis dare ad intelligendum, quantum valeat augmentum gratiæ, quam nobis confert, ut eò meliùs resuscitari possimus ad statum perfectum, ad confirmationem vitæ, quæ erit in gloria. XI.

INSTRUCTIO II.

*De Sacro Chrisma*te, *materia Sacramenti Confirmationis, & ejus significatione doctrinali.*

I. PRo nullo est bonus, qui solummodò est bonus pro se. Regula, quam, publicant ut certam repetitæ experientiæ in Politico statu; multò melius nos de illa assecurant ut vera sacræ obligationes in Christianismo. Nulla datur res magis cuivis propria, quàm sit sua propria vita, & nulla magis est alterius, quàm hæc eadem. Nulla magis propria, quandoquidem cum nemo possit dividere suam vitam ne quidem cum illo quem quis maximè amat, vivit hæc solummodo pro se in eo, quod animat. Et nulla magis alterius; nam cum se non possit negare, vivit pro omnibus in eo, quod operatur: *Homo in adjutorium mutuum generatus est*, Sen. l. 1. de ira. c. 5. Non vocaverunt bene viventem illum, qui solummodo suis attendit commoditatibus; magis, & melius vivit, qui scit partiri suam vitam aliorum attendendo emolumentis. Vivere aliis, est frui integrâ vitâ pro se: *Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere*, dixit Citatus Cordubensis, loquens de vita politica Epist. 48. Et multò melius de vita Christiana hoc scripsit sacratiori pennâ Sidonius Apollinaris L. 7. Epist. 13. *Illum præcipuè puto suo vivere bono, qui vivit alieno.* Non satis itaque est Christiano esse bonum pro se, sed debet esse bonus pro omnibus. Vivat pro se in interiori quoad virtutes; sed & vivendum ei est pro omnibus in exteriori, quoad bona exempla: *Cuique mandavit de Proximo suo*, intimat nobis hanc obligationem Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 17. v. 12. Infans, à quo nascitur, dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 72. a. 2. usquedum pertingat ad ætatem maturam, vivit, sed nihil aliud facit præter vivere, siquidem solummodò vivit pro se. Jam hoc est illud, quod in vita Animæ facit Sanctum Sacramentum Baptismi. Sed homo adultus partitur vitam suam attendens ad illos, qui illum contemplantur, & habens curam suarum propriarum obligationum. Hoc est illud, quod melius perfectionat cum augmento gratiæ Sacramentum Confirmationis. Non videbatur sufficere illis supremis Spiritibus, qui trahebant gloriam DEI, quòd essent ut carbones

bones accenſi, qui quantumvis in ſe ardeant, non illuminant: *Aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium*; Ezech. 1. Et ideò erant ùt lampades, quæ non reſtringentes ſe ad ſphæram ardoris, ſpargunt per omnia ſplendorem ſuæ lucis: *Et quaſi aſpectus lampadarum.* Et iſta eſt ad amuſſim obligatio alicujus Chriſtiani, quam illi augmentis gratiæ intimat Sacramentum Confirmationis.

Sacramentum Chriſmatis vocabant illud antiqui Chriſtiani, & dederunt illi hoc nomen ideo, quia in hoc Sacramento eſt materia ſacrum Chriſma. Nomen quod reſonuit ſemper in auribus Catholicorum cum echo venerationis. Sanctus Dionyſius Areopagita *Sacro-Sanctum Chriſma* illud appellat: Optatus Milevitanus *Chriſma Cæleſte* illud nominat; Concilium Laodicenſe, & Theophanes Antiochenus, *Oleum Divinum*; Nomina ſanè, quæ nobis indigitant ejus effectus. Sed quid vult dicere iſtud nomen: *Chriſma?* In noſtra lingua idem eſt quod unctio; Et ſic Chriſma vult Unctionem dicere; ſed reliquerunt illi nomen Græcum antiqui Patres, quatenus, cùm nos alia illud voce vocemus, quàm Græci, inde intelligamus maximam & æſtimabiliſſimam diverſitatem, quæ currit inter hanc excellentiſſimam Unctionem, & alias ordinarias; Nam iſtæ ſolummodo permanent in corpore; hac verò Unctione Sacra dum ungitur caro, conſecratur præſtantiori modo gratiæ Anima: *Caro ungitur, ut anima conſecretur*, dicit Tertullianus; dum formatur ſignum in corpore, imprimitur melius fortitudo in Anima: *Caro ſignatur, ut Anima muniatur.* Chriſma igitur eſt materia ex omni parte tam neceſſaria & eſſentialis ad Confirmationem, ut ſinè illo non conficiatur Sacramentum; ſicut ſinè aqua naturali non poteſt eſſe Baptiſmus. Chriſma dico, quod componitur ex oleo olivarum, & non ex alio, & balſamo mixto cum illo, & conſecrato per Epiſcopum; ità, ut ſi non ſit taliter conſecratum, nec Confirmatio pariter futura ſit valida. Ità hoc definiunt multa Sancta Concilia. Iſta ergò eſt conſecratio oleorum, quam conficiunt Epiſcopi die Jovis Sancto, quia illo die, ſicut ex traditione Apoſtolorum, docet nos Sanctus Fabianus Papa, in illa ultima Cœna docuit Apoſtolos Redemptor noſter modum, quo debebant formare Chriſma pro hoc Sacramento; & definivit illud inſtituere Sua Majeſtas, quando poſt determinatam hic ejus materiam, aſſignavit illius Miniſtros, conſe-

H.

rendo ſuis Apoſtolis dignitatem & poteſtatem Epiſcopalem capite vigeſimo Joannis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Iſta igitur eſt Materia Sacra hujus excelſi Sacramenti, ad cujus venerationem ſe proſternunt Angeli, ut nobis exemplum præbeant, cælum ſe inclinat, ad celebrandum condignè hoc Sacrum Sacramentum cum ſuis Myſteriis. Perfidi hæretici Donatiſtæ, refert optatus Milevitanus, projecerunt quadam vice ex contemptu omni vi ex alta feneſtra vas, in quo erat Sacrum Chriſma; ſed advolantes citiùs præ vaſe manus Angelorum, conſervârunt cum ſtupore admirabili integrum inter ſaxa, abſque eo, quòd illud potuiſſet rumpi vel ob altitudinem, aut violentum aliquem alium ictum. Mirum ſanè ad ejus obſequium tam celeriter advolâſſe Angelos. In Baptiſmo Magni Clodovæi, Regis Galliæ, contigit, quòd ſtante jam illo ad Fontem Baptiſmalem cum innumerabili concurſu populi; indicibilis multitudo perſonarum non permiſerit tranſire Sacerdotem, qui Chriſma ferebat; quando itaque jam ibi incipiendæ erant ceremoniæ, compertus eſt ille cum Chriſmate deeſſe. Deerat modus eum ex multitudine protrahendi, & afflictus Magnus ille Prælatus Sanctus Remigius, elevat oculos ad cælum, & ecce tibi! videt deſcendentem columbam candidiorem nive, portantem in roſtro ampullam plenam Chriſmate; hac relicta in manibus Sancti Epiſcopi, immediatè diſparuit; & cùm ungeretur Regis caput, implevit circumſtantes odore tam cæleſti, fragrantiâ tam mirificâ & inuſitatâ, ut nemo caperet provenientem exinde lætitiam & voluptatem.

III. Jam quid nobis nunc vult dicere noſtra Vita Chriſtus JESUS per hanc mixturam myſterioſam, ex qua componitur Sacrum Chriſma, Olei nimirum & Balſami? Quòd ſi volebat repræſentare nobis ad oculos, interiores vires gratiæ, quam in Confirmatione percipit anima, ad luctas & certamina ſpiritualia, nunquid ſufficiebat ſolummodo oleum, quo ad acquirendas vires & vigorem, ſe ungebant ad luctam Athletæ? *Ideò nos unxit*, dixit Sanctus Auguſtinus, *quia luctatores contra diabolum fecit.* Et ſi hoc erat ad demonſtrandum nobis robur virile ac vires jam hominis adulti, quas nobis dat iſtud Sacramentum in vita animæ, nónne ſolùm ſufficiebat Balſamum, quo ſolo ungebantur viri ad diſtinctionem odorum & ſuffituum fœmineorum? *Balſama non capiunt, hæc ſunt unguenta virorum*, dixit Poëta.

Si

Si hoc est ad indigitandam fortitudinem, quâ Confirmatio fomentat vitam animæ, nunquid sufficiebat solùm Oleum, quod nobis notificaret, quòd, sicut illud sustentat flammam in lampade, & vires ei addit; ità etiam istud Sacramentum conservet spiritui multò meliorem flammam? Vel si est hoc ad notificandum nobis, quòd Sacramentum Confirmationis nobis augmentet vires Fidei ad præservandum nos à corruptione errorum, nunquid solùm sufficiebat Balsamum, quod taliter præservat corpora, & illa à putredine defendit? Si igitur solum Oleum totum significaret; vel si posset solum Balsamum significare totum, quare uniuntur? Quare commixta, Oleum & Balsamum, volebat Dominus, ut essent materia hujus Sacramenti? Ut verum fatear, bonum est hoc dubium.

Sed oh utinam intelligeremus benerationem. Nónne jam dixi IV.
qualiter Confirmatio sit perfectio Baptismi? Ideo ergo commiscentur Oleum & Balsamum, quia & hoc & illud necessarium est ut fiat, prout debet, intùs & foris integer, & perfectus Christianus. Ità hoc in rei veritate, explicat Concilium Florentinum; Oleum, quod dat fulgorem & nitorem cuti, significat splendorem & puritatem conscientiæ; sed solum non sufficit, & ideò balsamum suâ naturali fragrantiâ repræsentat odorem bonæ famæ; *Confirmationis ergo materia est Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Ità, ut non sufficiat habere bonam conscientiam; sed exteriùs attendendum etiam est Christiano ad odorem bonæ famæ. Non sufficit Oleum, uniendum est & Balsamum? Ità est; repetit Sanctus Thomas 3 p. q. 72. art. 2. *Gratia Spiritûs Sancti in Oleo designatur, admiscetur autem Balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios; Unde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus.* Oleum significat gratiam, quam adauget Spiritus Sanctus animæ, quæ hoc Sacramentum percipit; sed huic Oleo admiscetur Balsamum. Quare? Quia fragrantia, ac bonus odor ejus non debet remanere interiùs; debet foras prodire, ut eô omnes fruantur; quia bonus odor Christi sumus, dicit Sanctus Paulus. Non sufficit solum Oleum, quod interiùs sanat, opus est etiam Balsamô, quod exteriùs olet. Non sufficit Christiano habere curam solummodo olei gratiæ circa interiora suæ animæ, debet etiam respicere in omnibus suis actionibus ad

Balſamum, ut ſpargat ad omnes odorem bonorum exemplorum: *Proximo famam, nobis debemus, & providemus conſcientiam*, dicit Sanctus Bernardus Serm. 70. in Cant.

V. Oh quæ veritas tam ſummè gravis, tam magni momenti, tam proficua! & neſcio, an pari modo & æqua bilance ponderetur, an taliter ut deberet, conſideretur. Non adimplet ergo ſuam obligationem Chriſtianus dum pro ſe ſolùm bonus eſt? Non adimplet. Debet ſe exhibere & monſtrare bonum pro omnibus quicunque illum vident. Non ſufficit ergo illi habere mundam conſcientiam? Non ſufficit. Debet etiam habere mundam famam tollendo nocivas exterioritates, quæ illam maculant. Non ſatisfacit ſuæ obligationi ſolummodo abſconſis in ſua Anima virtutibus? Non ſatisfacit. Debet habere patentia oculis omnium bona exempla; *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, dicit nobis Sanctus Paulus ad Phil. 4. v. 5. Veſtra modeſtia in actionibus, veſtra compoſitio in inceſſu & moribus, veſtra circumſpectio in collocutionibus, veſtra prudentia in vivendo debet eſſe notoria omnibus, *nota ſit omnibus*. Ubi igitur nunc ſunt hic declarati miniſtri diaboli, illi imperiti & ignorantes, qui audent condemnare fraudis, vel hypocriſis, quòd ille, vel illa, devitet converſationem diſſolutam, fugiat profanitatem indecentem, ſequatur Chriſtianam modeſtiam, adimpleat Præcepta DEI, & ad amuſſim ſequatur illam, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, obligationem? Et tamen & illa non ſufficit ſola, repetit nobis inculcare Sanctus Paulus. Currendum vobis eſt quaſi certatim, quaſi cum æmulatione non ſolùm in amore unius ad alterum, ſed etiam in bonis operibus, procurando ut nullus vobis præcurrat, & nullus vos vincat: *Conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum*, ad Hebr. 10. v. 24. Debemus nos ad invicem conſiderare; & cur hoc? Non ob murmurationem, non ob novalia, non ob zizania: *In provocationem charitatis*; quatenus illud, quod in alio videmus, nos provocet ad amorem, ad charitatem: *& bonorum operum*, & ad imitationem quaſi certatim bonorum operum. Video illum, quòd frequentet Sacramenta; cur igitur ego illa non frequento, cùm æquè meæ obligationis ac conditionis ſit. Video illum, qui multò majoris capitalis eſt, veſtitum modeſtum portare; cur ergo etiam ego ſimili modo me non veſtio? Video, quòd alius

abs-

abſque tantis divitiis, det Eleemoſynam; quare ego etiam illam non poſſim dare? Oh quæ provocatio tam proficua exemplorum! Ubi igitur nunc ſunt illæ animæ diabolicæ, quæ ſolummodo pro murmuratione perverſis oculis circumſpiciunt, an hic vel ille ad Eccleſiam veniat, an concionibus adſit, an ſæpiùs confiteatur, & communicet. Et videtur talibus ſtultis magnam ſapientiam eſſe dicere; ſimilia debere fieri in abſcondito, ut nullus ea videat. Et qualesnam ſunt iſti homines tam zeloſi, qui taliter loquuntur? Quinam ſunt ſimiles Doctores tam ſapientes, qui taliter reſolvunt? Solent eſſe certi quidam Juvenes vaniculi, ignorantes, qui perditâ verecundiâ in mundo, vivunt ex deceptione. Et perdito erga DEUM reſpectu profitentur pompam maximæ & omnium maximè publicæ diſſolutionis. Hi ſunt illi tam boni zelatores. Nunc audiant talia ora ſerpentium ipſummet JESUM Chriſtum apud Sanctum Matth. cap. 5. v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Debet ſplendere lux veſtræ virtutis coram hominibus taliter ut videant, bene attendite, *ut videant*, veſtra bona opera. Ut illa videant? Ità eſt. Ille eſt odor JESU Chriſti; iſta eſt fragrantia cæli, quæ tot & tantos duxit ad gloriam: *Curremus in odorem unguentorum*; Cant. 1. v. 3. In Hiſtoriis Eccleſiaſticis paſſim invenimus innumerabiles Gentiles dereliquiſſe ſuam cæcitatem, amplexos fuiſſe noſtram Fidem Sanctam, ſolummodò motos exinde, eò quòd viderint charitatem, humilitatem, modeſtiam, & ſancta exempla Chriſtianorum. Pachomii, illius Admirandi Eremitæ, Patris multorum millium Monachorum, iſta fuit converſio. Dum eſſet Gentilis & Miles Licinii, inimici Fidei, intravit in Thebe; vidit modeſtiam, prudentiam, æqualitatem, & bonum ordinem in operationibus Chriſtianorum, charitatem, quâ illis ſerviebant, quantumvis perſecutoribus; & hoc ſuffecit, quòd ab illo tempore converſus, evolaverit ad tam ſtupendam Sanctitatem. Quis dedit Eccleſiæ Auguſtinum, iſtud prodigium Sapientiæ, iſtud portentum Sanctitatis? Ille ipſemet hoc fatetur: Audivit à Simpliciano converſionem Victorini, hominis ſapientiſſimi, & immediatè exarſit cor ad illius exemplum; *Ubi de Victorino iſta narravit, exarſi ad imitandum.* Legit poſtmodum vitam Magni Antonii, & volavit ad imitationem illius.

Sed

VI. Sed quid ego adduco exempla dum deesset tempus pro mille similibus. Quot nunc etiam, & quidem hic, solummodo ex visu & contemplatione modestiæ alterius sunt animati ad illam imitandam? Quot ex visu operis boni, confusi quòd illud non imitarentur, ò ipsò illud in actum redegerunt? Quot visò aliquo bonò exemplò amplexati sunt in veritate & seriò virtutem? Ah odor Christi! Et quantum potes! De pastis cumino columbis, dicit Sanctus Basilius Epist. 175. quòd odore illo olfacto, quotquot in aëre eisdem appropinquant, attractæ ab illo odore eas sequantur, & impleant quàm citissimè columbarium. Oh quantò melius implevit columbarium DEI odor bonorum exemplorum! In vita Admirabilis Patris Ludovici Granatensis, Viri ob sua utilissima scripta celeberrimi, referente Rho. l. 7. c. 5. §. 22. narratur, quòd certa quadam nocte euntes duo juvenes ad expletionem suæ turpitudinis, & in viam suæ perditionis, transiverint penes fenestram Patris Ludovici illo tempore; quò ille flagellabat suum corpus rigidissimâ disciplinâ, qui ad rumorem ictuum subsistentes, & attoniti redeuntes ad suam conscientiam, & considerantes quantò melius illi mererentur hanc ipsam pœnitentiam, intermiserunt immediatè suum turpissimum intentum, domum quilibet eorum se conferens: & sequenti manè bene observantes fenestram, venerunt ad conventum, quæsiverunt quis incoleret illam cellam; & intrantes, cum plurimis lacrymis confessi sunt Patri Ludovico Granatensi, & imposterùm vixerunt accuratissimam & legibus Christianis conformem vitam. Tantum potest unicum sanctum exemplum.

VII. Illud attamen verum est, quòd debeamus distinguere inter duo genera bonorum operum. Aliqua quæ sunt extra-ordinaria, singularia, & non communia personæ, statui, occupationi. Et ista sunt illa, quæ suadent Scripturæ, & Sancti Patres, ut fiant, quantum possibile est occultè, in abscondito, ut nemo illa videat. Hoc ità debet fieri, vel ad evitandam apud illos, qui vel illa vident, vel illa etiam faciunt, vanam gloriam. Hoc est illud, quod nobis inculcat, præveniendo nos Vita Nostra Christus JESUS apud Sanctum Matthæum cap. 6. v. 1. *Attendite, nè justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Estote attenti, nè faciatis opera vestra bona coram hominibus, ut ea illi videant. Facite illa publicè,

blicè, videant illa; ſed vos illa nolite facere ex intentione, & fine, ut illa videant ad veſtrum applauſum. Videant illa in exemplum; *Ut videant opera veſtra bona*; Sed nolite, ut vos contemplentur, & admirentur propter laudem: *Ut videamini ab eis.* Videant illa omnes, quandoquidem in hoc conſiſtit profectus veſter, & aliorum, *Ut videant*: Sed non quærite, *ut videamini*, id eſt: veſtram vanam gloriam; hoc enim maximum veſtrum damnum erit; *Ut videamini.* Clariſſimè iſtos duos textus, explicavit Sanctus Gregorius hom. 11. in Evangelia: *Sic autem ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto; ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ ſoli DEO placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.* Attamen dantur etiam alia opera bona, quæ ſunt communia, quæ ſunt obligatoria, ut illa faciant notoriè omnes illi, qui ſe Chriſtianos profitentur, & hoc nomine gloriantur; & ſiquidem alii illa omittunt facere, hoc ideò fit, quia vivunt more Barbarorum. Hæc itaque non ſolùm non ſunt occultanda, ſed ſunt publicè facienda, ut illa omnes videant. Venire ad Eccleſiam, audire concionem, dare ordinariam Eleemoſynam, confiteri, & ad Sacram Communionem frequenter accedere, veſtitum portare modeſtum, loqui circumſpectè, aſſiſtere actionibus publicis Religionis, & pietatis; quis non videt, quòd hæc ſit debita norma vivendi in Chriſtianiſmo? Et hoc debet eſſe Balſamum, quod omnibus ſpargat ſuum bonum odorem, & ſuam fragrantiam; quod hac de cauſâ nobis ponitur ſimul cum Oleo in Sacramento Confirmationis, ut non ſolùm interiùs ſimus, ſed etiam ut gloriemur exteriùs, & appareamus Chriſtiani: *Quaſi balſamum aromatizans odorem dedi*; Eccleſ. 24. v. 20.

VIII. Hoc mediante odore, iſtâ mediante fragrantiâ, vincemus & confundemus diabolum. Sub arboribus Balſami, refert Pauſanias, ſolent ſe abſcondere viperæ, ſed cum effectu prodigioſo; nempe ex toto deperdunt ità ſuum venenum, ut nulli damnum aliquod inferant, etiamſi quempiam mordeant. Ad amuſſim iſte eſt effectus maximè admirabilis Sacri Balſami Confirmationis, tollere venenum ſerpenti infernali, proſternere vires diabolicas ad conſpectum armorum invincibilium. Sanctus Martyr Prudentius Cat. Hiſt. tit. 3. de Conf. Ex 1. refert ùt teſtis oculatus, quòd, cum ille ſacrilegus

Apoſtata Julianus offerret ſacrificia ſuis Idolis, ut illi reſponderent, neſcio ad qualia dubia, Diaboli; maledictus miniſter, poſteaquam lacerâſſet victimas, explorans illorum viſcera, nihil omnino potuerit deprehendere, & expromere ex eorum ſceleratis auguriis, uſquedum impatiens, abjiciendo inſtrumenta ad terram; ô Imperator, dixiſſet, elongati ſunt ab hinc Dii noſtri: nihil reſpondent, & abſque dubio cauſa hujus eſt, quòd inveniatur hic aliquis è præſentibus unctus Balſamo Chriſtianorum. Tunc Julianus abjiciens cum maximo furore coronam: quis eſt, quis eſt ille, vociferavit quis eſt adeò audax, ut taliter audeat inferre bellum Diis noſtris? Compareat in mea præſentia. Et ecce ſtrenuus acceſſit miles ex Imperatoris cuſtodia; Ego ſum, ad cujus præſentiam totus tremit infernus, quia ſum Chriſtianus, & unctus ſacro chriſmate. Obmutuit confuſus Imperator, & quidem in tantum, ut ſinè prolatione nè quidem unius verbuli, ad Palatium redierit; & quotquot ibi aderant, elevaverunt vocem, confitentes JESUM Chriſtum pro vero DEO. Hoc ipſum refert Lactantius accidiſſe ſemper; atque adeò, dum aliquis Chriſtianorum comparebat in præſentia Idolorum, in continenti obmutuiſſe confuſos dæmones. Et cum tantum poſſit iſtud Balſamum Sanctiſſimum contra inimicos tam perverſos, utamur illius armis ad liberandum nos ab illorum aſtutiis.

IX. Refert Thomas Cantipratanus lib. 12. apum, c. 57. ſe audiviſſe à Venerabili Bonifacio Epiſcopo Lauſanenſi hunc caſum. Erat in certo loco ſui Epiſcopatûs Bubulcus, qui habebat curam vaccarum omnium illorum incolarum, & erat totaliter cœcus. Cœcus? & poterat cuſtodire armenta? Et hoc vos miramini? Expellebat ille omni die pecora ex ſuis ſtabulis, & non accidit, quòd illi aliquando vel unicum defuiſſet; quia immediatè advertebat defectum alicujus, quærebat illud, & reducebat: ducebat pecus abſque aliqua permiſſione alicujus vel minimi damni in ſeminibus, quia ſi aliquod declinabat vel deviabat, illud immediatè reducebat: ſciebat diſtinguere in campis ubi erant meliora paſcua, & illuc ſua armenta ducebat. Nunquid hoc eſt prodigium? & majora adhuc expectate; quod ſi ab illo petebant, ut educeret de grege talem vaccam, talis coloris, ibat abſque errore, funem illam alligabat, & non aliam; & de grege ſubitò adducebat. Cœcus, & judicabat de coloribus? Hæc res

res videtur esse diabolica. Ità est; res diaboli erat. Pervenit ad illum locum Episcopus Bonifacius, audivit prodigium, & stupefactus vocavit cœcum, quæsivit ex eo, an esset Christianus, respondit ille: quòd ità, & se esse baptizatum. Interrogavit ulteriùs, an pariter esset confirmatus? Dixit quod non; & Episcopus curans adferri Sacrum Chrisma, illum confirmavit; & immediatè evasit alius, perdendo omnem notitiam præteriti, & non poterat ultrà facere illud, quòd priùs faciebat; totum enim illud erat astutia diaboli, in quo tamen ille nullam culpam habuit. Perdidit ergò visum diaboli; felix amissio!

Oh utinam similem visum omnes perderemus, ut non attenderemus, nec consideraremus in tantum respectus viles, qui nobis nocent, ut solummodo videremus bonum Animæ propriæ, & Proximorum, ad tali modo acquirendum meliorem visum DEI in gloria. X.

INSTRUCTIO III.

De Forma, & Ceremoniis Confirmationis, & Obligatione, quam nobis adfert ne nos pudeat JESU Christi.

NOn datur scutum insignium gentilitiorum, quin priùs pro insignibus tractum fuerit scutum: illud ipsum quô in pugna manus armantur ad defensionem, est postmodum campus, in quo imprimuntur insignia gloriæ. Scuta insigniorum vocabant illud, quòd in memoriam reducebat Antecessorum facta maximè heroica, quandoquidem illud ipsum scutum, quô excepti fuêre ictus, illud pariter erat, quo æternabantur nomen, & gloria inde relata. Scutum, quod se antea opposuit vulneribus, fuit, ut cuspides armorum sculperent in ejus campo plenitudinem ejus honorum. Ista sunt illa scuta, quæ gloriando de se sæpius stultè, ostentat pro suis insignibus mundi Nobilitas. Sed quænam sunt insignia Nobilium cæli omnium Christianorum, dico quænam sunt illorum insignia? gladius, & scutum, in perpetuo usu ad illorum defensionem: gladius, qui remanebit æternaliter impressus in scuto, & insculptus pro scuto glorioso illorum nominis; Crucem dico: ista I.

eſt gladius, & iſta eſt pariter inſigne Chriſtiani, impreſſum in ſcuto ex chalybe, volo dicere in charactere, quem æternaliter indelebilem nobis imprimit in anima Sanctum Confirmationis Sacramentum; eſt ſcutum, quod dum nobis datur ab iſto Sacramento, & confertur pro noſtra defenſione, in illo debemus oſtentare Crucem pro noſtro honore. Mulieres Lacedæmonienſes, refert Sanctus Baſilius orat. 4. quando pervenit filius ad ætatem juvenilem, illum amandabant ad bellum, manus ejus propria Mater armabat manu maternâ ſcutô, poſtmodum illi ſuam faciebat exhortationem. Et quid cogitatis, quid illi dixerit? Quid diceret Mater filio ad tanta ab illa recedente pericula? Fili, diceret illi, fili meorum viſcerum, attende tuæ vitæ, mea enim ex tua dependet, nè te periculis ingeras, fuge & vita quantum potes pericula, & ſi tibi contingat caſus te in anguſtiis inveniri, fuge; ut ad minus ego te rurſus videam. Iſta, & ſimilia verba diceret dando ultimos illi amplexus. Nihil minus: imò ad ſeveritatem vultu compoſito illa mulier Græca, ubi manus ſcutô Juvenis armavit, Eja fili, ait, duo verba dico: *Aut cum hoc, aut in hoc:* plura tibi non dico. Vade. Et quid illi volebat dicere? Ego hoc dicam. Erat maxima infamia fugere, vel ſcutum ex manu abjicere; erat idem ac ſe victum fateri; erat autem è contrario moris, ut, qui pugnando moriebantur, portarentur ad ſepulchrum tranſverſi; in eodem ipſo ſcuto, quod illi ſerviebat pro feretro: *Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes*, cecinit Poëta. Nunc itaque intelligitis illa duo verba: audi me fili mi, dicebat Græca Matrona digitô ſcutum monſtrans, aut cum hoc, aut in hoc tibi ad me redeundum eſt, vel cum hoc ut victor, vel in hoc ùt mortuus redi, vel cum iſto brachia armatus ad tuum honorem, vel in iſto tranſverſus ad ſepulturam: *Aut cum hoc*, *aut in hoc*, & niſi alterutrum tibi contigerit, cave ſub meos redeas oculos.

II. Oh quantò majori cum energia dicit nobis omnibus hoc ipſum noſtra Mater Eccleſia conferens pro certamine Spirituali ſcutum, imprimendo nobis, in anima ſacrum characterem, quem imprimit Sacramentum Confirmationis, diſtinctum ab illo, quem nobis impreſſit in Baptiſmo; Nam, ſi illud nobis reliquit inſigne melioris vitæ, hoc inſculpit ſignum armorum pro glorioſiſſimo certamine, ſignum diſtinctivum tam firmum, inſigne tam ineffabile, ut nunquam poſſit

deleri ex anima; idcirco non possumus reiterare hoc Sacramentum. Eja igitur Christiani, *aut cum hoc, aut in hoc.* Aut *cum hoc* scuto ad pugnandum heroicè, vel *in hoc*, ut vobis serviat pro feretro funestissimo. Aut *cum hoc* ad consequendas victorias, quæ erunt in æternum gloriosæ; aut *in hoc* pati opprobrium, quod erit cum æterna infamia. Aut *cum hoc* in cælum, aut *in hoc* in infernum; *Aut cum hoc, aut in hoc.* Non datur medium; aut æternum dishonorem *in hoc*, aut *cum hoc* æternam gloriam. Agite igitur, si hoc est Thorax pretiosus, insigne, & signum distinctivum nostræ dignitatis Equestris, Nobilitatis militum Christi, quomodo nos non debemus æstimare, & magni facere cum hoc signo? Nunc hoc nobis dicet forma hujus Sacramenti.

Præparatâ igitur materiâ remotâ, quæ prout jam dixi, est Sacrum Chrisma, & præsente Patrino (qui unicus tantum debet esse) hic contrahit cognationem Spiritualem, tenendo in hoc Sacramento illum, qui confirmatur eodem modo, quô jam dixi in Baptismo, contrahit, dico, istam cognationem cum Confirmato, & cum Patre, & Matre ejusdem. Ungit interim Episcopus confirmandum in fronte Sacro Chrismate in modum Crucis, dicens ista verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Exprimitur hic primariò, dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 72. a. 4. suprema ratio, & causa, unde in anima procedunt effectus tam admirabiles, quæ est Sanctissima Trinitas, unicum principium, & fons omnium nostrorum bonorum. Ideo eandem invocat: *In nomine Patris*, &c. Exprimitur secundò effectus prodigiosus, quem causat in anima istud Sacramentum, qui est augmentare gratiam perceptam in Baptismo, dare illi suam plenitudinem, corroborare illius vires, ut in ejus virtute confirmatus se teneat constantem in spiritualibus certaminibus. Hoc dicunt, & hoc faciunt ista verba (quandoquidem, prout jam dixi, in verbis formæ Sacramentorum, dicere est facere; illud quod in auribus sonat, facit Echo in Anima) hoc itaque dicunt, & hoc faciunt ista verba: *Confirmo te chrismate salutis.* Non est autem hoc taliter intelligendum sicut illud, quòd Theologi dicunt de aliquibus Sanctis, de quibus affirmant illos ex specialissimo privilegio fuisse confirmatos in gratia; ut de Beatissima Virgine, & III.

Apoſtolis; Illi enim volunt dicere, quòd hi ità fuerint præventi auxiliis à DEO tam efficacibus, ut non potuerint ultrà perdere gratiam. Quod enim quemadmodum fuit privilegium ſingulariſſimum; ità de gratia in confirmatione collata minimè procedit; ſed confirmat nos iſtud Sacramentum, ſi illud percipimus in gratia, & ſi illi non ponimus impedimentum culpæ mortalis, conferendo nobis augmentum gratiæ ſanctificantis; & ultrà pariter gratiam Sacramentalem propriam hujus Sacramenti, quæ ſunt auxilia, quæ nobis per illud præparat DEUS in occaſionibus profitendi noſtram Fidem, ut magni æſtimemus nos eſſe Chriſtianos, ac in & de cruce gloriemur. Hoc eſt itaque pro tertio id, quod nobis exprimit forma, dicit Angelicus Doctor; imponere nobis cruce in fronte ſignum, & diſtinctionem noſtræ glorioſæ militiæ: *Signo te ſignô crucis.*

IV. Crucem in fronte? Ità eſt. Utrumque eſt de eſſentia hujus Sacramenti: ut chriſmate formetur crux, & ut hoc fiat in fronte. Sed cur hoc erit? Dicit hoc nobis Sacrum Concilium Florentinum: *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, nè Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem ejus.* Idipſum docet nos Sanctus Auguſtinus, & hoc ipſum Sanctus Thomas 3. P. q. 72. art. 9. *Ideo in fronte, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat.* Eſt frons ſedes & locus verecundiæ, per frontem manifeſtat verecundia ſuos colores; ibi igitur debet eſſe locus ubi figatur Crux, ut neminem pudeat apparere & videri Chriſtianum. Non ſufficit eſſe Chriſtianum in corde: *Corde creditur ad juſtitiam*, ad Rom. 10. v. 10. hoc enim remanet in abſcondito; nec ſufficit eſſe talem, ac fidem etiam ore confiteri: *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ibid. Os enim etiam poſſet expectare uſquedum interrogaretur. Utrumque hoc non ſufficit; ſed dantur etiam occaſiones, in quibus quilibet debet eſſe, & monſtrare ſe Chriſtianum in fronte, in publico, notoriè; ità, ut illô ſolùm conſideratô dici poſſit: Iſte eſt Chriſtianus! nec hoc ullô modô tegere poſſit. *Uſque adeò de Cruce non erubeſco*, dicit Sanctus Auguſtinus in Pſalmum 141. *ut non in occulto loco habeam crucem, ſed in fronte portem.* Eſſe Chriſtianum apertâ facie, eſt idem, ac propter iſtud nomen glorioſum, nec tormenta, nec injurias, nec maximas quaſcunque perſecutiones timere. Hac de cauſa immediatè

Epi-

Episcopus dat Confirmato unam alapam, *ut meminerit*, dicit Catechismus Romanus, *se tanquam fortem Athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda.* Ut suæ memoriæ imprimat, quòd, si alapa habetur in mundo pro maxima injuria, illa ipsa alapa tolerata pro Christo, sit summus honor.

Sed omnia ista, dicetis mihi in quem finem? Jam finitæ sunt V. persecutiones Ecclesiæ, jam non adsunt illi tam perversi Tyranni, inimici nostræ Fidei, qui tot milliones Martyrum Cælo dederunt. Vivimus infinitè felices nos, etiam liberi à maledictis Hæreticis, qui in tantum turbârunt alia Regna. Sumus in pace tali modo, ut in omni nostra vita nunquam nobis offerat se occasio pugnandi vel certandi contra inimicos nostræ Fidei, unô verbô profitemur nos ubique publica professione esse Christianos. Ad quid igitur sunt ista arma Confirmationis, istæ vires, istæ præventiones, cum simus in tanta pace? In tanta pace? Quinimò nunquam habuit perversiores inimicos Christianissimus. Inimicos? Persecutores, & quidem pejores Neronibus, & Diocletianis. Et pejores Hæreticis? Ità est; Et inter nos? Inter nos ipsos. Quales isti erunt? Audite priùs exclamantem Sanctum Bernardum Serm. ad PP. in Concil. Rhemens. *Charitas refrigescit, & meritò nunc clamat Ecclesia; ecce amaritudo in pace amarissima.* Ità frigefacta invenitur charitas, ità conglaciatus fervor, ut rationabilissimè exclamet Ecclesia: Ecce tibi hic, quod in ista, quæ videtur pax, sit mea amaritudo amarissima. Amarissima? Ità est; explicat hoc ipsemet Sanctus: in illis persecutionibus Tyrannorum, dicit Ecclesia, fuit mea amaritudo *solummodo amara*, quia erat amara persecutio; sed in illa factum fuit lucrum multorum millionum animarum Martyrum. Postmodum in persecutionibus hæreticorum fuit amaritudo mea *amarior*, quia præter amaritudinem persecutionis, perdebantur deceptæ aliquæ animæ; sed modò, dum finitæ sunt istæ persecutiones, in ista pace est mea *amaritudo amarissima*; quia jam non Tyranni, non Hæretici, sed ipsimet Christiani, persequentes virtutes aliorum Christianorum, risu, dictis, cachinnis, eos destruunt; Et quod exinde sequitur quàm sæpissime, est, quod persecutos pudeat virtutis, illam intermittant, & sic pereant; & quòd persecutores fomentando vitia, illos sequantur, & sic damnentur.

Oh

VI. Oh quot itaque dantur tales perſecutores inter Chriſtianos! Tota iſta Civitas nihil aliud hodie eſt, quàm habitaculum perſequentium virtutes, & perſecutorum ob virtutem. Qui timet DEUM eſt deſpectus, eſt ſpretus, eſt irriſus, eſt ſubſannatus ab illo, qui vivendo ùt aliqua beſtia, non ſcit, ſecundùm ſuam normam vivendi, an ſit Chriſtianus. *Timens DEUM deſpicitur ab eo, qui infamì graditur via*, dicit Spiritus Sanctus apud Salomonem Prov. 14. v. 2. Impii, qui nec de DEO cogitant, nec Eccleſiæ recordantur, nec Sacramentorum, abominantur illos, qui per rectam viam incedunt: *Abominantur impii eos, qui in recta ſunt via*, repetit Spiritus Sanctus Prov. 20. v. 27. Et quàm multi tales hic habentur? Oh DEUS! Mariti impii cum Uxoribus piis; cognati cum cognatis; extranei cum extraneis. Oh inſipide! Oh hypocrita! Ad quid toties confiteri? Ad quid toties frequentare Eccleſiam? Miſeræ & pauperculæ animæ! Quid exinde ſequitur? Hoc: quòd non paucas pudeat Chriſti JESU; & quòd in hoc diabolus habeat ſuam meſſem: *Plerique*, dicit Sanctus Auguſtinus, *tantum valent irriſionibus ſuis, ut infirmos de Chriſti nomine erubeſcere faciant.* Cùm igitur detur talis perſecutio pejor illâ Tyrannorum, & Hæreticorum, hac de cauſa nobis ponitur, Animæ nobiles, Animæ generoſæ, hac de cauſa nobis ponitur in Confirmatione Crux in fronte; ut non erubeſcamus comparere in publico Chriſtiani in noſtris operibus: ut ſpernamus dicteria inſulſa; quandoquidem ibi in Confirmatione videmus alapam eſſe honori. Hæc omnino erit confeſſio glorioſiſſima noſtræ Fidei, pro qua ibi nobis dantur vires, dicit Sanctus Cyprianus de Laud. Martyr. *Tunc omne Fidei robur expenditur, cùm in ſermones vulgi, atque in opprobrium veneris, cúmque contra illas populares inſanias religioſa mente firmaveris te.*

VII. Beatus ille Henricus Suſo, ſtella illa ſplendidiſſima cæli Dominicani, meditabatur vice quadam illa verba Jobi cap. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; & ecce tibi raptus extra ſuos ſenſus, vidit Angelum, qui ſe mentis ejus oculis objecit, & qui illi porrigebat ſcutum, lanceam, caſſidem, & alia arma. Quid ſibi hoc vult? Interrogavit; hucuſque fuiſti miles gregarius, miles inter pedites, dixit illi Angelus, & jam vult Dominus, ut ſis miles equeſtris, & hac de cauſa tibi porrigo iſta arma. Ego volo dicere: quòd

quòd quantumvis bellaveris hucusque contra teipsum disciplinis, ciliciis, jejuniis, & pœnitentiis; attamen contra te nullus pugnavit. Nunc autem armabunt se contra te linguæ, quæ ejaculabuntur contra tuum honorem ictus vivacissimè te tangentes verbis, irrisionibus, & murmurationibus. Hucusque tu ipsemet tuus fuisti inimicus; modò autem se contra te armabunt omnes. Vide, an possideas & habeas robur & valorem. Acceptavit immediatè omnia. Et die sequenti ex interiori impulsu accessit ad certam fenestram, quæ prospiciebat ad clausuram sui Conventûs, & vidit certum canem, qui cum aliquo veteri flocco inter dentes habito currebat per omnem partem, & modo illum projiciebat, modò reassumebat, modò illum lacerabat, modò conculcabat. Stabat ille canem considerans; Henrice, clamavit illi Angelus, iste tu es; ità te debent tractare, & sic te portabunt in ore tam tui, quàm & extranei. Descendit immediatè, arripuit illum floccum pro signo, & distinctivo suæ crucis, posuit illum supra suum cor; & immediatè inceperunt contra illum pugnam malæ linguæ, quas illæ suâ constantiâ patientissimè pertulit; itaque factum est, ut illi aliorum loquelæ fabricaverint gloriosissimas coronas æternum duraturas.

VIII. O Animas infinitè fortunatas, quæ taliter in despectum malarum linguarum non erubescunt de Christo JESU! Ista est, Animæ, vestra pugna, & ista debet esse vestra corona. Rideant impii, murmurent, obloquantur; aderit dies in quo ex errore educti in inferno exclament, sed absque profectu: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, sed jam illos videmus inter filios DEI: *ecce quomodo computati sunt inter filios DEI*; Sap. 5. v. 4. Sustinete & durate coram omnibus viriliter, & cum Davide dicite Psal. 21. v. 23. *In medio Ecclesiæ laudabo te*; *in medio multorum laudabo eum*, Psal. 108. v. 30. in conspectu omnium ero ex parte Christi JESU. Quòd si DEUS vos laudat, quid importat, quòd istæ maledictæ linguæ vos mordeant? Si DEUS vobis applaudit, quid importat, quòd mali videamini impiis? Si DEUS vobis benedicit, quid importat, quòd illi maledicant? *Maledicent illi, & tu benedices*, Psal. 108. v. 28. Vidisti Regem? interrogavit suorum Legatorum quemdam Dux Geldriæ, loquens de Sancto Ludovico Rege Galliæ, ùt videre est in Spec. Exemp. V. Deridere Ex. 1. Vidi illum, respondit Legatus,

gatus admodum contemptibiliter, irridendo ejus virtutes, vidi inquebat illum insipidum, illum ineptum, & infelicem Regem cum suo inclinato capite, & suo collo incurvo. Intorsit ille interim suum, repræsentando & imitando illum, & in veritate taliter remansit per totam suam vitam, & nunquam ultrà potuit elevare caput. Irridete justos, in promptu tenet DEUS præparatas castigationes: *Parata sunt derisoribus judicia*, Prov. 19. v. 29. In vita Sancti Projecti, refertur Spec. Exem. V. abstinentia Ex. 10. quòd, sedens cum aliis ad mensam, Ipse, & tres ejus socii jejunaverint, & idcirco omiserint comedere cibos de carnibus. Inceperunt alii facere jocum, proferre dicteria stulta, prout solet fieri, contra illos, qui jejunabant. Sanctus Projectus illis respondit dicendo: quòd potiùs hoc laudare, quàm irridere oporteret. Sed illis prosequentibus effusiori risu contumelias & irrisiones, ecce tibi repentè corruit supra omnes tectum, & occisis derisoribus, solummodo remanserunt vivi Sanctus, & illi tres, quos irrisui habebant. Sed quænam fuit major & gravior irrisio? Oh DEUS! *Maledicent illi, & tu benedices.* Loquantur malæ linguæ te esse stolidum, inutilem, ineptum; *Et tu benedices*, DEUS dicet, te esse illum, qui optimè rem tangis. Dicant, quòd malè tuam transigas vitam, quòd tuos perdas optimos annos; quòd Mundo non fruaris, & sic ei inutilis sis; *Et tu benedices*, DEUS dicet, te meliùs scire lucrari optimam vitam, & annos æternos. Dicant te esse mente captum, stultum, molestum, nauseabundum omnibus: *Et tu benedices*, DEUS dicet te exhilarare Angelos, te acquirere optimam sapientiam, eò quòd scias quærere gloriam.

DE
Sacro Sacramento Pœnitentiæ.

INSTRUCTIO I.

De Distinctione, quæ datur inter Pœnitentiam ùt Virtutem, & Pœnitentiam ùt Sacramentum; & animantur Peccatores ad eam amplectendã.

1. FElix introitus ad portas Cæli patentes, ad limina fortunata gloriæ, felix principium ad illud, quod, imponendo finem omnibus

bus noſtris malis, nos ducit ad æternitatem bonorum immenſorum; ad illud, quod, comprehendendo unico dolore omnes virtutes, præparat in Beatitudine infinita gaudia! Iſta eſt Pœnitentia, Porta Cæli, quam illa nobis reddit apertam; Introitus gloriæ, quem illa nobis offert tam facilem; Principium omnis noſtræ æternæ felicitatis. Iſta eſt Pœnitentia, quæ quidem ex ethymologia nominis in auditu pœnam ſonat, per ſuam Echo tamen in anima reſonat gloriam. Aggrediamur in novo anno noſtrarum Chriſtianarum Doctrinarum Sanctum Sacramentum Pœnitentiæ. Utinam fiat, ut per portas, quas nobis aperit ad Cælum, lucremur Beatitudinem; ſiquidem tantùm importat ſcire bene confiteri, quantùm importat ſcire animam ſalvare. Gentiles Romani ad dandum principium novo anno celebrabant ſuum comentitium DEUM Janum, qui erat Idolum cum duplici facie, una quâ à tergo reſpiciebat præterita; altera, quâ anteriùs proſpiciebat futura. Solem ità repræſentabant, acſi eſſet Janitor Cæli; ideo etiam quòd aperiret ipſis ſuas portas in oriente, occluderet in occidente; eundem dicebant: *Geminum, quaſi utriuſque januæ cæleſtis potentem, qui exoriens aperiat, occidens claudat*: Natal. Comment. Oh quàm multò melior Janus nobis aperit annum Pœnitentia, dum nobis aperit Cælum; hac de cauſa iſta Virtus prodigioſa habet duas facies, unam, quâ conſiderat præteritum ad deflendas culpas; alteram, quâ proſpicit futura ad commendandas virtutes. Ad hunc finem habet in manibus illas claves admirabiles, quas poſuit Vita noſtra Chriſtus JESUS in manibus ſuorum Miniſtrorum pro libero dando tranſitu ad cælum, ad reddendam patentem gloriam.

Eja igitur Dilectiſſimi mei, ad cælum, ad cælum, ad domum II.
DEI, ad habitationem Angelorum, ad Palatium Beatorum vos invito: *Venite aſcendamus ad montem Domini, ad domum DEI Jacob*: Iſai. 2. v. 3. Ad cælum vos invito, ad Paradiſum vos voco, ad Gloriam vos deſidero manu ducere, quando vobis volo explicare commodiſſimè, exactiſſimè, minutiſſimè, & cum omni claritate illud, quod ſolummodo pro illo, qui peccavit, eſt via ad gloriam, illud quod ſolummodo eſt porta pro intromittendis peccatoribus ad cælum, ſupremum, admirabile, dulciſſimum Sacramentum Pœnitentiæ. Dulciſſimum illud appellavi, utique, quia ibi eſt fons perenis,

nis, ubi ſpargit DEUS gurgitibus immenſis dulcedinem omnium ſuorum beneficiorum ad lavanda illius aquis noſtra peccata: *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatorum.* Zach. 13. v. 1. Ibi eſt thronus benignitatis, aſylum clementiæ, tribunal omnis gratiæ: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, ad Hebr. 4. v. 16. Ibi eſt mare rubrum, ubi in Sanguine Chriſti JESU ſubmerguntur, & ſuffocantur cum noſtris peccatis, omnes dracones infernales, qui nos oppugnant; *Proiiciet in profundum maris omnia peccata veſtra*; Mich. 7. v. 19. Ibi (Pœnitentia) ùt mater facit prodire omnes miſericordias DEI, & relinquit animam ità puram, ut ſubmerſam in ſuis abyſſis; *O Pœnitentia Mater miſericordiæ, Virtutum Magiſtra*, exclamat Sanctus Chryſoſtomus Serm. de Pœnit. Ibi (in Pœnitentia) aſcendimus ex ſervitute ad Regnum, à compedibus & catenis ad coronam. *O felix lacryma*, dicit Sanctus Auguſtinus, ſive author de vera, & falſa Pœnitentia apud Auguſt. *Tua eſt potentia, tuum eſt regnum.* Ibi à Pœnitentia protecti, non habemus unde timeamus aſpectum Judicis ſeveriſſimi, & terribiliſſimi, nec accuſationes perverſiſſimorum inimicorum. *Tu ſola aſpectum Judicis non vereris, inimicis accuſantibus ſilentium imponis.* Ibi ipſimet DEO manus ligamus, & vincit Pœnitentia illum, qui eſt invincibilis, & ligat illum & innodat, qui eſt omnipotens; *Vincis invincibilem, & ligas Omnipotentem.* Ibi tandem omnia bona compendiantur, omnes felicitates adunantur, omnes fortunæ accumulantur: *In hac omne bonum invenitur*, repetit Sanctus Auguſtinus, *per hanc omne bonum conſervatur.* Venite itaque videre opera maxima DEI, & prodigia maxima, quæ fecit ſuper terram: *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*; Pſal. 45. v. 9. Videte, inquam, non jam ſiſtere ſolem, & retinere cælos, non maria dividere, quia hæc adhuc exigua ſunt; non ipſa formare aſtra, non ipſa creare luminaria, non occupare ſe circa ipſas ſphæras, quandoquidem & hæc omnia adhuc nihil ſunt. Venite videre qualiter in unico momento Anima per Pœnitentiam prodeat ex peccato ad gratiam, prodeat, dico, ex abyſſo infinita infelicitatum ad pelagus immenſum felicitatum; ex caverna obſcura & fœtidiſſima viperarum, & ceraſtarum, ad ſolium excelſum puriſſimi ſplendoris, in quo illi famulantur lætantes Angeli, Venite, & videte.

Re-

Relinquite igitur foris pro illis, qui volunt vivere cæci, & damnari ùt ignorantes, relinquite dico, timores humanos, pavores ridiculo, mendaces apprehenſiones, quibus diabolus adlaborat procurare vobis horrorem erga Sacramentum Pœnitentiæ; ad impediendos vos per illum horrorem à veſtra æterna fortuna; nolite expaveſcere ùt infantes, qui timentes ſubtile velum, quod matrem cooperit, fugiunt ab ipſa ſua propria matre. Venite mecum, ecce ego volo monſtrare vobis ſuavitatem, quæ celatur in Pœnitentia, quæ vos tantùm deterret; volo monſtrare vobis felicitatem examinis conſcientiæ, quod permultos affligit, motiva pœnitudinis, quæ tam difficilis apprehenditur, media pro propoſito, quod ità arduum videtur, modum faciendi facilè confeſſionem, contra quam tot offendicula opponuntur, & finaliter tandem ſuavitatem ſatisfactionis, quæ tam gravis concipitur. Eja ſequimini me, commodè enim incedam, & vos progrediemini ſenſim videntes, qualiter hæc regio DEI non inhabitetur à Gigantibus horribilibus, ſed à Spiritibus amabiliſſimis: videbitis qualiter in ore illius, qui videtur eſſe Leo tam terribilis, inveniatur favus dulciſſimi mellis, & quod illius, qui timebantur ùt carnifices, dentes offerant dulcedines ſuaviſſimas. Volo dicere, quòd ad aperturam oris in confeſſione, experturi ſitis, qualiter ab ipſomet dolore Pœnitentiæ naſcatur voluptas ſpiritui, gaudium animæ, quale nunquam experti ſunt omnes amatores mundi in ſuis oblectationibus, nec in ſuis conviviis & commeſſationibus. III.

Ità hoc expertus eſt pro ſua fortuna inſignis Doctor & Cathedraticus Bononiæ dictus Moneta, uti narrant Chronica clariſſimæ Religionis Sancti Dominici, p. 1. l. 1. cap. 37. Prædicabat in illa Civitate cum ſolicito zelo, & fervore Apoſtolico Pater Reginaldus, perſuadendo & attrahendo multos ad Pœnitentiam, & habebat innumerabilem populi concurſum, ſolummodo Doctor Moneta non tantùm ſtatuerat firmum propoſitum nunquam illum audiendi, ſed quærebat etiam perſuadere quotquot poterat, nè illum audirent. Et hæc omnia faciebat ex timore, nè & ipſemet ad agendam pœnitentiam flecteretur, quam ſummè refugiebat, eò quòd illi nimis horribilis videretur. Ipſi tamen Diſcipuli ejus tantùm ei Reginaldum laudabant, ut inde perſuaſus promiſerit, ſe velle eundem unica ſaltem vice audire. Contigit hoc in Feſto Sancti Stephani Proto-Mar- IV.

tyris, quo die ubi manè aderat, ex una parte nolens deesse suis promissis, & ex altera recusans audire Prædicatorem, ivit trahendo moram, & ponendo impedimenta tali modò, ut pervenerit ad finem Concionis; & quia erat plena Ecclesia multitudine gentis, non potuit à porta ulteriùs progredi; ibi stans remansit, quando Prædicator clamabat cum Sancto Stephano loquens de Pœnitentia: *Ecce video cælos apertos*; Modò, dicebat, modò stant cæli aperti pro omnibus præsentibus. Illum, qui nunc cum Pœnitentia velit intrare in cælum, planè nihil disturbat. Adéstne hic quispiam, qui volet intrare in cælum? Ah videat, qui non volet, nè DEUS illud eidem claudat cum vita. Tantum poterant in corde illius Doctoris ista verba: *Cælum apertum, & ego non debeo intrare*? ut eò ipsò momentò sint permutati in suavitatem omnes illi difficiles horrores Pœnitentiæ: accessit Patrem Reginaldum, cui confessus cum teneris lacrymis suas culpas; reliquit mundum, & habitum assumpsit Ordinis Sancti Dominici. Oh qualiter scit DEUS exprimere oleum ex silicibus durissimis?

V. Porrò: Pœnitere idem est, ac pœnam tenere: *Pœnitentia quasi pœna tenentia*, dixit Sanctus Augustinus. Itaque istud nomen: Pœnitentia per angustum pœnæ sinum duo complexa gratiæ maria significat. Ferme: sicut illic in angusto sinu ad Gibraltar sociantur & uniuntur ad invicem duo distincta maria, Mediterraneum nempe, & Oceanus, ità tamen, ut, quantumvis uniantur utriusque maris aquæ, hoc non obstante remaneant nihilominus maria diversa; ità in pœnitentia duo gratiæ maria in unum coëunt. Etenim nomen istud *Pœnitentia* modò significat certam specialem virtutem supernaturalem, & infusam animæ; & cum hac integrum mare Mediterraneum cælestium bonorum; modò iterum significat Sacramentum Pœnitentiæ; & cum hoc totum Oceanum misericordiæ, & gratiæ, taliter, ut inter se Virtus & Sacramentum adhuc omninò distincta sint, quamvis in nostra jam Sanctissima Lege Gratiæ Vita nostra Christus JESUS hæc duo tam arctè uniêrit & coadunaverit, ut nec virtus Pœnitentiæ possit juvare nos ad emergendum ex cœno culparum, nisi se uniat cum Sacramento Pœnitentiæ, saltèm per desiderium; & propositum confitendi; nec Sacramentum Pœnitentiæ futurum sit validum sinè Virtute Pœnitentiæ, quæ est pars ejus essentialis. Virtus

tus Pœnitentiæ fuit in principio mundi refugium ſolum peccatorum, quô poterant redire ad DEUM, & ſe liberare à culpa: Dicant hoc in Scripturis Divinis tot & tam fortunati Pœnitentes, Adamus, David, Manaſſes. Sed Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſola tabula, quæ nobis peccatoribus remanet, ex quo ortum eſt Divinum lumen Legis Gratiæ. Virtutem Pœnitentiæ dictabat ſuô modô Lex Naturalis, ab eo ſtatim tempore à quo eſſe homines cœperunt; quandoquidem ipſamet natura nos docet dolere de malo, quod fecimus; Sed Sacramentum Pœnitentiæ nos docuit, illud nobis inſtituit, & præſcripſit JESUS Chriſtus, quando, antequam aſcendiſſet ad Cælum cap. 20. apud Sanctum Joannem v. 22. inſufflando ſuum Divinum Spiritum ſupra ſuos Diſcipulos, dixit illis iſta verba: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Per quod conceſſit poteſtatem illam admirabilem clavium cæleſtium illis, & omnibus eorum Succeſſoribus in Sacerdotio: Sed Virtus Pœnitentiæ poteſt ſtare tota abſcondita in corde, in internis actibus Animæ, in occultiſſimis cogitationibus; Attamen Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe ſinè externis, & ſenſibilibus ſignis Pœnitentis, qui confeſſionem peragit, & Miniſtri, qui illum abſolvit. Ecce igitur patet, quomodo diſtinguantur inter ſe Pœnitentia Virtus, & Pœnitentia Sacramentum.

VI. Nunc ergo eſt videnda unio prodigioſa horum duorum marium. Virtus Pœnitentiæ, explicant, vel definiunt Doctores, eſt illa: per quam deteſtatur homo & abominatur peccata commiſſa, eò quòd ſint offenſa DEI, & promittit cum emendatione vitæ, ſatisfactionem. Oh quæ Virtus, quæ omnium virtutum adunat perfectiones! De Pandora fingebant Gentiles, quòd Deorum quilibet optimam quamque eidem è ſuis dotibus contulerit. Palladem ei dediſſe ſuam ſapientiam, Venerem ſuam pulchritudinem, Apollinem ſuam muſicam, & ſic de cæteris; unde effectum eſt in illa quoddam aggregatum totius elegantiæ & venuſtatis. Meliùs, & cum veritate dicebat Abbas Paſtor, omnes virtutes coiviſſe, & ſe univiſſe in domo unius ſolius; & hac de cauſa vanum eſſe illas in alia quærere parte. Et in cujus domo? In domo Pœnitentiæ; Ibi omnes invenientur, dicebat. Et quàm bene! Charitas præſtat, & ſuppeditat

tat Pœnitentiæ aurum perfectiſſimum ſui amoris, quô ipſa dolet offenſum DEUM, quem amat. A Religione habet Pœnitentia obſequium humile, quô ſe ipſam proſternit ad recognoſcendum ſuum Supremum Dominum. A Prudentia habet bilances fidelis ponderis, quibus ſpernendo temporalia, æſtimat æterna. A temperantia habet habenas, quibus ſubjicit, & reprimit diſordinatos appetitus. Habet à Verecundia elegantem ruborem. Habet àPatientia tolerantiam humilem; habet à juſtitia rectitudinem, quâ procurat reſtituere DEO, quantum poteſt, per ſatisfactionem, obedientiam debitam, & reſpectum, quem illi denegavitper culpam. Hoc deſiderat, hoc procurat, quando prodeundo ab interno ad externum, facit in ſatisfactionem opera pœnalia jejuniorum, mortificationum, aſperitatum; quæ idcirco omnia iſta vocantur etiam Pœnitentia. Et ſi quælibet virtus gerit bellum ſolummodo contra vitium ſibi oppoſitum; ſola Pœnitentia indicit bellum omnibus vitiis. Et finaliter tenet fœdus cum gratia ad expellendas in exilium ex Anima omnes culpas. Et cùm Pœnitentia ſit unica ſolùm virtus, habet omnium virtutum emolumenta, pretium, & perfectiones.

VII. Hanc itaque excellentem Virtutem præelegit Chriſtus Dominus ad fundandum ſupra illam admirabile Sacramentum, quòd idcirco vocamus Sacramentum Pœnitentiæ. Et præter hunc dolorem culparum, & propoſitum emendationis, diſpoſuit ſua Majeſtas, ut adjungeremus confeſſionem omnium peccatorum: & iſta eſt omnino materia hujus Sacramenti, ſupra quam cadente poſtmodum formâ, quam pronuntiat ejus legitimus Miniſter, qui eſt Sacerdos: *Ego te abſolvo:* fit Sacramentum perfectum, & Anima reſtituitur gratiæ; & DEUS, ſublatâ ſuâ iracundiâ, admittit eam denuo in ſuam amicitiam. Et jam hic videtis, qualiter nec Sacramentum poſſit ſtare ſinè interiori virtute Pœnitentiæ, cujus eſt ille dolor de culpis: quandoquidem hic eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti; ità ut ſicut non poteſt eſſe Baptiſmus ſinè aqua; ſic nec Pœnitentia poſſit juvare ſinè iſto Sacramento, vel percepto, ſi hoc fieri poſſit; vel in voto, & deſiderio: quia illi alligavit ſuam efficaciam ſuus Divinus Magiſter & Inſtitutor. Eſt itaque Sacramentum Pœnitentiæ: *Confeſſio doloroſa de peccatis, cum abſolutione Sacerdotis.*

Nunc

Nunc autem mihi dicetis: Si Virtus Pœnitentiæ per se solam fuit semper primitus ità efficax, ut per eam maximi peccatores restituti fuerint & recepti in gratiam DEI, & redierint in ejus amicitiam; Si, inquam, ad hoc, ante sola sufficiebat; quare Vita nostra Christus JESUS voluit in illa instituere istud Sacramentum, adjungendo illi confessionem externam peccatorum, & perceptionem absolutionis à Sacerdote? Respondeo: Primò, quia valor, quem habuit antiquitus Pœnitentia, semper dependebat à prævisis meritis Christi JESU. Venit hic in mundum, acquisivit illa suo sanguine, & sua morte. Et postmodum volens, ut illa nobis applicaremus; ùt absolutus Dominus in hunc finem instituit Pœnitentiæ Sacramentum. Indè bene intelligamus & perpendamus, quòd exire ex potestate diaboli, quòd restituere nos ex culpa in gratiam, solummodo fieri possit in virtute infinitorum meritorum ejus. Secundò, quia ad liberationem à peccato gravi in virtute Pœnitentiæ, erat necessarius actus perfectissimus veræ Contritionis, & amor DEI super omnia; & quandoquidem istum actum non omnes, nec omnibus vicibus assequuntur, ad facilitandum nobis magis nostrum remedium, instituit Sacramentum Pœnitentiæ; in quo supplentibus nostros defectus infinitis meritis ejus, sufficit nobis solus actus minùs perfectus, actus, dico, Atritionis, prout postea visuri sumus. Pro tertiò: quia cum sit Virtus Pœnitentiæ ex toto interna in corde, abscondita in Anima, remanebat timor, anxietas, diffidentia, an fuerit vera, an fuerit talis qualis esse debebat. Ad tollendos itaque istos timores tam anxios: O amorem infinitum! disposuit nostra Vita Christus JESUS, in hoc Sacramento illis admirabilibus verbis Sacerdotis: *Ego te absolvo:* ut haberemus majorem certitudinem nostri inexplicabilis remedii. Oh qualia verba hæc! in quibus tota DEI infinita Potentia circumscripta, nobis aperit cælum, dat nobis libertatem ad gloriam, nos introducit ad Thronum ipsiusmet Divinitatis. Quid esset videre in illo angusto carcere, in quo tenebat Herodes vinculatum meum glorioſum Petrum, ad solam vocem unius Angeli decidere à Petro catenas, aperiri carcerem, & remanere liberum? Quid esset videre, per solam hanc vocem, sinè omni alio adminiculo, aperiri portas ferreas, & remanere ad cujuslibet liberum exitum patentes carceres? Attamen non adæ-

VIII.

quat totum hoc prodigium illud, quod faciunt duo verba Sacerdotis: *Ego te absolvo:* quando per illa nos extrahit è pessimis ligaturis, & carcere culpæ. Quid esset videre, si duobus solis verbis resuscitarem ego nunc omnes mortuos, qui hic sunt sepulti? Et tamen non attingeret istud miraculum resurrectionem magis prodigiosam, quam causant ista verba: *Ego te absolvo*; Per illa etenim, nos, qui habebamus stigma damnationis, in unico momento consequimur fortunatissimam libertatem. Taliter nobis effecit suavem Pœnitentiam noster Divinus Redemptor. Non fuit onus, sed inexplicabile beneficium illud, quod nobis fecit, quando voluit, ut Pœnitentia in tantum nobis alleviaretur in Sacramento, per confessionem nostrarum culparum. Demonstrabo hoc melius in isto infausto successu.

XI. Refert Sanctus Antoninus Florentinus, quòd posteaquam certa mulier amisisset in optimo flore suæ ætatis Maritum, suam viduitatem transegerit in modestia, clausura, & recollectione circa hónorem suum, in frequentatione Sacramentorum, & virtutibus pro sua æterna salute. Ità sibi soli vivebat, sed quantò magis celata aliorum oculis, tantò magis respecta à communi omnium veneratione fuit. Post intervallum tamen tendente diabolo suos laqueos, lapsa est in peccatum inhonestatis cum certo viro, ac dæmone exasperante postmodum interiores pugnas, ut ei tolleret unicum remedium confessionis, eandem ad illam mendacem rupem difficultatis: verecundiam allisit. Quid dicet meus Confessarius? dicebat, si ego vado pro nunc ad illius pedes cum hac culpa? O Sancte DEUS! Quæ deceptio tam lacrymabilis, quæ tot animas detinet in inferno! Ex una parte confiteri peccatum, videbatur propriæ ejus verecundiæ impossibile; Ex altera, omittere frequentare, sicut hucusque fecerat, Sacramenta, ominabatur quòd causaret apud omnes admirationem. Igitur statuit agere per totam suam vitam continuam pœnitentiam in ordine ad delendam illam culpam, ad experiendum, an non fortè consequeretur remissionem illius sinè confessione. Quæ deceptio tam enormis! Incepit itaque toto vitæ suæ tempore asperitates, jejunia, pœnitentias, ut fuerit stupor omnium incolarum. Er dum hæc omnia nimis exigua illi videbantur, concluſit secum intrare, sicut & fecit, Monasterium Monialium, quod ibi florebat magnâ

magnâ auſteritate, & obſervantiâ. In illo à principio ſtatim erat in omnibus actibus exterioribus virtutum prima, in pœnitentiis admiratio omnium, ità ut omnes ſorores longè ſuperaret. Sed cum his omnibus reticebat ſemper in frequentatis Confeſſionibus illam culpam. Elapſis aliquot annis, vitâ excedit Abbatiſſa illius Monaſterii, omnes illæ Moniales illam eligunt pro ſua Præpoſita, ut præiret in regimine illa, quæ, ut omnibus videbatur, omnes ſuperaret, & excelleret in virtute. Adauxit tunc majori conatu ſuas auſteritates, & DEUS illas ei retribuebat per frequentes impulſus cordis, quatenus ſuam confiteretur culpam. Omnia iſta in vanum; uſquedum per infirmitatem illam ultimò viſitâſſet, in qua etiam mortua eſt. Percepit Sacramenta, meliùs dixero, percepit ultimum ſignaculum ſuæ æternæ damnationis. Mortua eſt in oculis hominum, cum tanta forma ſanctitatis, ut ſorores ſperaverint videre in ejus corpore grandia miracula. Verum totum hoc factum eſt tam contrarium, ut ſequenti nocte, faciens orationem certa Monialis, amica defunctæ, viderit repente ante ſe certam mulierem circumdatam flammis, & miſerabiles dantem garritus. Exterrefactâ illa eſt, & iſta clamavit; Nè timeas: ſcias me eſſe Abbatiſſam, quam heri ſepeliviſtis. Abbatiſſam? reſpondit illa ſtupens; Ità eſt, reſpondit, & ſcias, quòd dum eſſem Vidua in ſæculo, commiſerim peccatum impudicitiæ, quòd ex verecundia ſemper reticui in confeſſione; Confiſa ſum, omnibus illis pœnitentiis, quas vidiſti, conſequi remiſſionem; ſed omnes fuerunt perditæ, & inanes, & ego ſum jam ſinè omni remedio damnata; & edendo ululatum terrificum diſparuit. Hic non attendite ad rigorem hujus juſtitiæ, ſed deprædicate potiùs, quæ in iſto eſt Sacramento, Divinam Miſericordiam. Tota vita aſperitatum, jejuniorum, & pœnitentiarum, nihil profuit huic Animæ ad effugiendum infernum. Et per hoc Sacramentum ſolis quatuor verbis, quibus ſuam confeſſa fuiſſet culpam, acquiſiviſſet gloriam. Quatuor verba (quale facilius remedium?) etiam poſteaquam iſta infelix non feciſſet tantas pœnitentias, contuliſſent illi cælum. Quis ſe non demergat in iſtud mare miſericordiæ, in quo tam facilè nobis repoſuit Redemptor noſter gratiam, per quam pervenitur ad gloriam.

INSTRUCTIO II.

De Neceſſitate, & Facilitate Sacramenti Pœnitentiæ.

I. GRatitudo videntur, & ſunt neceſſitas, arcti amplexus, quibus naufragus affixus, & innixus tabulæ, quam in maximo infortunio indulſit ei ſua infelicitas, in medio maris furentis luctatur brachiis alternis cum aquis, cum infelicitate, & cum morte. Perdita navi, perdita ſecuritate, perditis rebus omnibus, nihil ei remanet inter immenſa pericula, quæ illum oppugnant, præter unicam tabulam: inter innumerabiles mortes, quæ eum circumdant, periclitatur vita, & inter furioſos ventos, & criſpatas undas, quæ contra illum conjurant, exigua affulget ſpei ſcintillula, quâ in illa tabula adlaborat anxietatibus plenus, pertingere ad ripam. Quàm arctè illam complectitur, utpote in qua unicè conſiſtit ſalvatio propriæ vitæ. Quàm ſolicitè illam firmam retinet, utpote quæ eundem liberat de tam formidabili profundo. Quàm fortiter illam ſtringit, utpote in qua ſola conſiſtit tota ejus libertas! Fortunata tabula, quæ ſola ſufficit contra integrum mare periculorum. Sed infortunatum naufragum, ſi hæc ei elabatur, & manus ejus effugiat. Idcirco commovendo brachia ſinè ceſſatione, illam ſequitur vim ſibi inferendo, ſinè requie illam comitatur, natando ſemper anxius, ipsô momentô quo illi deeſt illam quærit, & inter timores, angores, & formidines, modò illam deperdit, modò rurſus recuperat, uſquedum tali modo illum reducat ad deſideratam oram; ubi in genua provolutus, plenus jubilô, oſculatur arenam, & volet ut eſſet capax rationis illa tabula, ad ſemper conſervandam amicitiam cum illa, quæ fuit liberatrix ejus vitæ. Oh DEUS! quòd ſi expletur cor timore etiam per ſolam recordationem periculi illius; quòd ſi repletur tota anima jubilô, & lætitiâ per ſolam illius libertatis conſiderationem, ulterius non loquar, Dilectiſſimi mei, de iſto naufragio materiali aquarum, in quo forſitan eſſet minimum perdere vitam cum qua finirentur omnia infortunia; Sed de multò horribiliori abyſſo loquar, in qua quilibet peccatorum perditâ viâ mandatorum naufragium patitur nunquam, nè morte quidem, terminandorum æternorum infortuniorum. Loquar de naufragio pecca-

peccati, per quod cadimus totaliter in nigrum disgratiarum mare, inde si volumus effugere, & nos salvare, unica solummodo nobis remanet tabula. Unica tabula? Ista est Sacramentum Pœnitentiæ. Ità illud vocat Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum sess. 6. de Justif. cap. 14. cum Sancto Hieronymo, Sancto Paciano, & aliis; ut meritò à Sanctis Patribus: *Secunda post naufragium tabula nuncupetur*; explicando nobis totaliter hoc remedium prodigiosum, per indispensabilem necessitatem istius Sacramenti.

II. Prodivimus ergo ô Christiani in viam æternitatis in Nave fortunata Sancti Baptismi optimè instructa omnibus præventionibus cæli, exornata omnibus splendoribus gloriæ! Et in illa securi, absque omni defectu, poteramus appellere, pleni divitiarum gratiæ ad portum felicem gloriæ. Sed ecce tibi, in non longa distantia, exurgentibus ventis tentationum, inversis & convulsis undis appetituum, sinentes nos transferri sinè attentione, & respectu ad acum magneticâm gratiæ, perditô guberniô rationis, impegimus ad funestissimum scopulum peccati mortalis. Et eô ipsô momentô, Oh DEUS! deperdita sunt omnia. Oh quæ perditio! ad quam deplorandam nunquam sufficient etiam sanguineæ lacrymæ. Perdidimus eô ipsô punctô rhombum certum pro cælo: perdidimus divitias inexplicabiles gratiæ; perdidimus favorabilem ventum donorum Sancti Spiritûs: perdidimus amabilem securitatem restauratæ innocentiæ; perdidimus Paradisum, perdidimus DEUM. Et destructâ nave, perditâ dico gratiâ Baptismi, quæ nos securos portabat, invenitur anima nuda in medio maris infortuniorum. Et in tam stupendo periculo, & in tam lacrymabili statu, quid illi remanet? sola & unica tabula Pœnitentiæ. Felix tabula, ad quam amplexandam, multúmne cunctabimini? absit; omnes nostras diligentias, omnes nostras solicitudines, debemus applicare ad nunquam te ex manibus nostris perdendam; siquidem in te sola quiescit nostra vita; in te sola nobis remanet liberata nostra salus.

III. Certum est (relinquamus jam nunc allegorias) certum est, quòd si quispiam foret tam infinitè fortunatus, ut per totam suam vitam se conservaret, sinè omni culpa mortali, in gratia, quam in Baptismo percepit, talis non egeret Sacramento Pœnitentiæ. Sed noster amabilissimus Redemptor, abundans pietate, dives in misericor-

dia, bene cognoſcens hoc noſtrum vile lutum, & quòd non eſſet in illo aſſecuratio permanentiæ, etiam ante lapſum prius anticipavit nobis remedium, prius etiam ante infirmitatem nobis præparavit medicinam. Et non contentus, quòd nobis vitam dederit in Baptiſmo, videns nobis illam poſſe auferri à mortalibus gravium noxarum morbis, ad nos ſanandos præparavit in Sacramento Pœnitentiæ pretioſiſſimum pharmacum. Ità hoc nobis dicit Catechiſmus: *Quid eſt Sacramentum Pœnitentiæ? Spiritualis medicina peccati commiſſi poſt Baptiſmum.* Sicut ergo ſinè Baptiſmo nullus poteſt ſalvari; ità pariter nullus poterit ſalvari ſinè Pœnitentia, qui lapſus eſt in culpam mortalem poſt perceptum Baptiſmum. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; dicit nobis Vita noſtra Chriſtus JESUS apud Sanctum Lucam cap. 13. v. 5. Ità ſummè neceſſarium eſt iſtud Sacramentum amabile. Sed ob hoc ipſum nobis illud reddidit facile noſter amoroſiſſimus Redemptor, ut tali modo quantum Divina Juſtitia à nobis exigit pro ſolutione in Pœnitentia, tantum Divina Miſericordia nobis alleviet, & leniat in Pœnitentia condonationem.

IV. Homo loquitur ea ipſa reſpiratione, quâ vivit. Ità illi conjunxit in unum Divina Providentia reſpirationem cum voce, vitam cum loquela; prævidendo forſitan, quòd ſicut ſinè reſpiratione non poteſt vitam corpus habere; ità quandoque ſinè loquela non poſſet habere vitam anima: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, dicit noſter ſacer textus Gen. 2. v. 7. Inſpiravit DEUS in illam mortuam ſtatuam de limo, quæ brevi debebat eſſe Adamus, ſuô Divinô inflatu reſpirationem, & incœpit vivere homo; *Et factus eſt homo in animam viventem*; & incepit loqui Anima; legit Chaldæus: *Et factus eſt homo in animam loquentem.* Ità, ut quemadmodum corpus vivit per illud, quod ſpirat; ità Anima debeat vivere per illud, quod loquitur. Et ubi? In Sacramento Sanctiſſimo Pœnitentiæ. Hic eſt, ubi ſolummodo per loquelam habet ſuam Anima vitam, ſuam reſpirationem, ſuum remedium, tantundem neceſſarium, quàm facile. Ità neceſſarium, prout eſt neceſſarium reſpirare ad vivendum; & ità facile, ſicut eſt omnibus facile loqui. Hoc eſt veriſſimum. Omnes hoc ſciunt; attamen bonum eſt repetere illud mille vicibus, cum hoc ſit ſummi momenti. Illud tamen certum eſt, quòd, dum non adeſt Confeſſarius, vel non occurrat tam promptè (ut

(ùt in morbo repentino apoplexiæ) vel dum quis non poteſt confiteri, ſufficiat tunc actus Contritionis pro recuperanda gratia DEI, & ſalute. In hoc nullum eſt dubium. Sed actus contritionis involvit in ſe deſiderium, & propoſitum confitendi. Ideo docet nos Eccleſia, ſemper neceſſarium eſſe, ùt medium unicum ad ſalutem peccatori, Sacramentum Pœnitentiæ, vel perceptum, ſi id fieri poſſit, vel deſideratum cum contritione vera. Contigit in Hungaria grandis pugna cum Turcis, refert Bonfinius l. 3. Hung. Decad. 3. anno 1415. & remanſerunt in campo grandes acervi cadaverum; & jam duobus annis elapſis, tranſeuntes illic certi quidam Viatores, audiverunt prodire è profundo ex compoſitis oſſibus iſtas voces: JESUS! MARIA! JESUS! MARIA! Stiterunt illi non ſinè horrore, accedunt, quærunt, & inveniunt, eſſe ſeparatum caput illud, quod illas repetebat voces. Steterunt attoniti. Et tunc caput, quid expaveſcitis? dixit illis, Sum Chriſtianus, & Cliens devotus Mariæ Sanctiſſimæ Matris DEI; duo anni ſunt à quo occiſus hic fui in pugna ſinè confeſſione; & nè damner, Maria Sanctiſſima recompenſando mihi meam devotionem, conſervavit mihi vitam uſquedum confitear. Adducite mihi quàm citiſſimè Confeſſarium. Ità fecerunt, & ubi adfuit Confeſſarius; confeſſus eſt ſuas culpas, percepit abſolutionem, & immediatè remanſit illud caput ità mutum, ut mortuum. Oh, celebrate infinitis laudibus pietatem admirabilem Mariæ Sanctiſſimæ, Matris peccatorum pientiſſimæ. Attamen recordamini indiſpenſabilis neceſſitatis, quòd ex locutione in confeſſione habeat Anima totam ſuam vitam, & totum ſuum remedium.

V. Ex locutione? Oh quàm facile remedium pro malo tam infinitè nocivo? Quàm ſuave medium ad liberandum ſe ex ſtatu infeliciſſimo! Si ad aliquem reum, quem per hanc viam ducunt Miniſtri Juſtitiæ, ad ſonum feralem tubæ ad patibulum, prodirem ego ex aliquo angulo, & illi dicerem: Homo, viſne ut tibi condonent vitam? Nunc ecce hic, hoc ipsô momentô tibi illam condonabunt, liberum te abire ſinent, ſolummodo ſub unica conditione. O Pater, diceret mihi, ſit illa qualiſcunque velit, dic mihi illam, immediatè eidem ſubſcribam. Illa non eſt alia, niſi ut hic in ſecreto vel mihi, vel alteri fatearis & aperias omnia tua delicta, omnia tua peccata, quæcunque tuâ totâ vitâ perpetrâſti. Hoc & non plus? Ec-

ce non in ſecreto, ſed palam illa fatebor, dicam illa ridendo. Et quæ comparatio eſt hujus patibuli cum infamia æterna, ad quam nos perducit peccatum, ad quam jam properamus cincti infernalibus miniſtris? Ille qui compedibus onuſtus in aliquo fœtido, obſcuro, & infelici carcere, conſtrictus vinculis non ſperat iſthinc prodire, quàm ad mortem, quid non faceret? Quid non ſufferret, ut ſe liberum videre poſſet? Miſerabiles & pauperculi captivi, qui pro nunc ſtant gemendo in horribilibus cavernis Turcarum; quos labores, quas defatigationes non ſuſtinerent læti, & hilares, ut exire poſſent in libertatem? Oh DEUS! De Wenceslao IV. dicto Pigro, Rege Bohemiæ, referunt, quòd, dum eſſet captivus, ſemel fugerit nudus in certa navicula, ac ipſemet remigaverit ſuis Regiis manibus, ùt vilis quidam remex; & jam ſecunda vice ſe de alta præcipitaverit turri. Sed & hoc parum eſt: de Hegeſiſtrato Elæo, refert Herodotus, quòd, ubi eum Spartani tenuiſſent captivum per unum pedem grandi catena incatenatum, & nullum alium inveniſſet modum ſe liberandi, ſibi abſecuerit ille ipſemet cum incredibili dolore pedem, & relinquendo ibi pedem reciſum, properavit ſinè pede ad libertatem. Adhuc plus: quid facerent Animæ Purgatorii, quatenus ſe viderent liberas ab illis pœnis! Oh quanta poſſem referre exempla! Quid facerent illæ, quæ ſunt in inferno, ſi poſſent exire ex illo æterno tetro carcere? Oh quas poſſem narrare experientias! Videretur illis parùm, ſi illinc exire poſſent, pati collectim omnia, quotquot tormenta, infirmitates, & dolores, tolerati ſunt, ex quo ortus eſt mundus. Et tamen non exigitur tantum à nobis, ut nos liberare poſſimus à peccato, quod pejus eſt, quàm omnes carceres, injuriæ, cavernæ, quod pejus eſt quàm Purgatorium, & quàm ipſemet infernus. Non exigitur à nobis tantum: ſinè ſumptibus, ſinè periculis, ſinè laboribus, ſinè tormentis, ſinè neceſſitate peragrandi terras, aut trajiciendi maria, ſolummodo petitur locutio in Confeſſione. Et cum quo? hic panditur & manifeſtatur nobis alio gradu infinita Divina Miſericordia. Nimirum.

VI. Cum alio homine fragili ſicut tu, ut ei tua peccata dicas, & forſitan magis fragili, quàm tu ſis, magis, quàm tu, miſerabili, & forſitan majore peccatore quàm tu; qui ſcit, & cognoſcit ſicut tu ipſemet, quales ſint miſeriæ humanæ, & quòd, ſicut tu, ille pari-

ter neceſſe habeat condonationem. Oh DEUS! ſi deberemus confiteri peccata noſtra alicui Angelo, poſſet nos retinere ejus puritas, ejus ſanctitas, aliena à noſtris miſeriis; ſed alteri homini, qui forſitan in ſemetipſo expertus eſt majores culpas, vel audivit ab aliis millenis vicibus; quid poteſt eſſe, quod nos retrahat? Quare putatis, dicit Magnum Lumen Eccleſiæ Sanctus Auguſtinus, quare putatis, Dominum dediſſe claves jurisdictionis abſolvendi, & ligandi Sancto Petro cum ſpecialitate? Nónne dabat eam ipſam jurisdictionem etiam aliis Apoſtolis, & in illis omnibus ſucceſſoribus eorum in Sacerdotio? Ità eſt. Quare ergo cum iſta ſpecialitate dat iſtas claves Petro? Oh quæ reſponſio Doctoris Magni Serm. 1. Fer. 4. poſt Domin. Palm. *Quò duriorem ſententiam proprii caſus intuitu temperaret:* Scitisne quare? quia Petrus lapſus eſt, habebat in recentiſſima memoria ſuam propriam culpam, ut cum illa temperaret, & commiſceret ſuam benignitatem audiendo culpas aliorum. Deinde: Bene potuiſſet Dominus, quandoquidem committebat iſtam admirabilem poteſtatem hominibus, committere illam uni ſoli, e. g. Romano Pontifici & Capiti Eccleſiæ; quamobrem neceſſarium fuiſſet adire Romam pro abſolutione culparum? cùm pro bono tam imponderabili etiam ſat parum eſſet illuc ſe conferre in genibus; verumtamen pro facilitando nobis remedio reliquit hanc poteſtatem tot, quotquot ſunt Sacerdotes legitimè approbati, ut tantò magis ad manum haberemus abſolutionem; ut, ſi nos ab hoc, vel illo retinet verecundia, vel aliud dimovet impedimentum, habeamus extra, & præter hunc tot alios, ex quibus pro noſtro poſſimus ſeligere guſtu. Oh ſi hoc reſpicerent Patresfamilias, Matres, quæ ſtultè volunt obligare filiam, vel etiam ancillam, ut confiteatur tali Confeſſario, & non alteri! Ah ſi ſcirent irremediabilia damna, quæ exinde ſecuta ſunt in Animabus! Hoc, quod Chriſtus JESUS reliquit liberum, vis tu ſtulta Mater reſtringere? & propter iſtam tuam ſtultam duritiam hæc Virguncula tacet ex verecundia culpas, quas minimè coram alio taceret Confeſſario, oh DEUS! Intelligant me pariter illæ, quæ ex laudatiſſima conſuetudine habent ſtabilem Confeſſarium, quòd ſi quandoque, vel ob verecundiam, vel ob aliud motivum qualecunque, confiteantur alteri Confeſſario, quod non ſolùm hoc ità poſſint facere, ſed &, quòd ſi confeſſio bene peracta fuit, non ha-

beant opus dicere ſuo proprio Confeſſario illud, quod confeſſæ ſint; ſiquidem in hoc nulla ſimilis habetur obligatio, cùm nobis id ipſum Vita noſtra Chriſtus JESUS reliquerit omnimode liberum.

VII. Jam ego hoc adverto, dicit mihi quiſpiam; ſed cùm ſint tot vices, quibus cado in culpas; & cùm ſit tanta mea fragilitas: Dum confiteor, redeo ad lapſum: redeo ad confeſſionem; & redeo ad lapſum, in nullo proficio; ad quid igitur volo confiteri? Oh quæ fraus, quæ deceptio, quæ tentatio, oh quis error! Hac ipſa de cauſa noluit Chriſtus, ut hoc Sacramentum perciperemus unica ſolummodo vice, ſicut Baptiſmum, Sed toties, quoties neceſſarium habuerimus: *Peccâſti? pœnitere*, dicit Sanctus Chryſoſtomus Hom. 2. in Pſal. 50. *millies peccâſti? millies pœnitere.* Peccâſti ſemel? confitere ſemel; peccâſti mille vicibus? mille vicibus repete tuam confeſſionem. Facit te una fragilitas cadere omni die? confitere itaque, ſi potes; omni die, dicit Magnus Auguſtinus: *Quoniam quotidiana eſt offenſa, oportet, ut quotidiana ſit remiſſio.* O bonitatem infinitam! Potuiſſet ſua Majeſtas determinare nobis, & reſtringere iſtum favorem ad certos anni dies, ad certum tantùm tempus; nihilominus pro majori facilitate reliquit hoc nobis pro omnibus diebus, pro omnibus horis, pro omnibus inſtantibus: *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die converſus fuerit ab impietate ſua*, Ezech. cap. 33. v. 12. Et quantumcunque peccata repetantur, non quatuor, non centum, non mille vicibus, ſed ſi contingeret hoc fieri multorum millionum vicibus, ſemper, ſemper nobis reliquit in iſto Sacramento portas pro remiſſione apertas: *Non ſemel*, dicit Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 2. de Pœnit. *non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.* O abyſſum immenſam miſericordiæ! O pelagus pietatis ſinè fundo! Unica ſola vice, unica dico, ſi nobis reliquiſſet hoc Sacramentum; ut ſolummodo intra triginta, vel quadraginta annos illud perciperemus, & quod ſolùm iſta vice noſtra nobis peccata condonaret, & in ſuam admitteret gratiam, nos reciperet in numerum filiorum DEI, & quòd poſtmodum, ſi recideremus in peccata, & fieremus ingrati, ultrà nos non admitteret, etiam illa ſola unica vice fuiſſet beneficium inexplicabile, immenſum & ſummum. Jam quid erit tot vicibus omnibus horis,

ris, & omnibus temporibus? Quid facerent diaboli, ut unica vice, non ſæpius, illis concederetur facere Pœnitentiam? Jam hoc faſſi ſunt, quòd omnia tormenta Martyrum, omnes pœnitentias Anachoretarum, omnes dolores mundi collectim ſumptos, pati vellent, non per unam horam, ſed per multa millia annorum; & non lucrabimur nos tot vicibus illud, quod unica ſola vice taliter hoc comparare vellet diabolus?

VIII. Conſueverat certus quidam Vir ſæpiùs confiteri; ſed videns ſe relabi in præteritas culpas victus fraude diaboli, propoſuit ſibi, hoc ipſum omittere, & ſtatuit rariſſimè Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum frequentare, ac ſuas culpas confiteri, ut easdem, dicebat ille, omnes ſimul confiteri poſſet. Deſtitit igitur à pia quam habuit, conſuetudine ſua; & poſt aliquot dies obviàm illi factus proprius Confeſſarius, ex illo quærebat quomodo ſe haberet? Quod ſanitatem attinet, bene, Pater, reſpondit: ſed de illo, quod concernit Animam, hoc vobis dicam in Quadrageſima, ſiquidem ſtatui, nè repetere cogar omni die easdem ipſas culpas, illas ſimul omnes poſtmodum confiteri. Bene ſe res habet, repoſuit ſapiens Confeſſarius; ſed faciendа eſt vobis pro me, & pro vobis quædam experientia facillima. Quænam illa eſt? attendite. Sumite duas ollas teſtaceas; & utramque implete recenti luto, & quaſi liquido; unam ità impletam deponite in angulo, ut ibi in quiete maneat, nec illam ultrà tangatis; alteram verò curate, ut omni die invertatur, ex illa lutum ejiciatur, illam lavent, & poſtmodum iterum eam impleant ſimili luto, & ſequenti die peragant rurſus idipſum, quod præterita die fecerunt. Abiit, fecit hoc taliter omni die, & poſt elapſum ſufficiens temporis ſpatium, obviat rurſus ſuo Confeſſario eúmque interrogat: Ad quem finem eſt illud, quod ego nunc feci taliter omni die, ùt mihi, Pater, dixiſti? Dicite mihi nunc, ſubjunxit Confeſſarius: Nunquid dimittit olla cum magna facilitate lutum? Ità eſt, immediatè. Nunquid immediatè fit munda? Etiam. Abite nunc, & ejicite lutum ex illa altera olla, quam jam tot diebus ſervatis repoſitam, & curate eam lavari. Pater, reponit alter, hoc non erit tam facilè, quia jam eſt lutum induratum, eſt ità adhærens oliæ, ut totum videatur eſſe unum fruſtum, & idcircò conſtabit res multo labore, & forſitan, ut poſſit extrahi lutum, rum-

petur olla. Tunc Confeſſarius, rumpetur olla? Quomodo igitur vos vultis relinquere lutum culparum, quod poſſetis modò levi admodum brachio extrahere, & tam facilè lavare, quod poſtmodum ob dilationem forſitan non poterit excuti, aut olla omnino rumpetur? Homo ſæpiùs cadis? hac de cauſa debes ſæpius confiteri; certè non verecundaris advocare Medicum, ſi iterum atque iterum in priſtinam infirmitatem reincidas; Chriſtus JESUS eſt optimus Medicus, dicit Sanctus Auguſtinus: *Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum: & qualis hic eſſet Medicus, qui iterum malum neſciret curare; cùm Medicorum ſit centies infirmum viſitare, centies curare?*

IX. Jam percipio omnia iſta, dicet mihi tandem aliquis magnus peccator; ſed hoc eſt pro culpis ordinariis, quotidianis, ac levibus; mea autem peccata ſunt graviſſima, ſunt turpiſſima, ſunt innumerabilia. Sint illa qualiacunque velint. Interrogo: eruntne aliquando tanta, & tota illorum malitia ſimul ſumpta, eritne aliquando tanta, quanta eſt bonitas DEI? Hoc non poteſt eſſe, non poteſt eſſe; quia illa eſt bonitas omnino infinita; iſta eſt malitia, quæ ad inſtar creaturarum nunquam, nunquam poterit pervenire ad hoc ut eſſet infinita. Audite igitur nunc Sanctum Auguſtinum lib. de Pœnit. c. 5. *Ille ſolus diffidat, qui tantum peccare poteſt, quantum DEUS bonus eſt.* Uni ſoli admittam ego, dicit Auguſtinus, ut diffidat, ut ſpem deperdat, ut omnino deſperet. Uni ſoli? & cui? Nunc hoc dico: qui tantum peccâſſet, ut ejus peccata poſſent adæquare immenſitatem bonitatis DEI. Datúrne hic talis aliquis inter vos? Hoc non poteſt eſſe. Et ſi hoc impoſſibile eſt, quis poterit dari, qui diffidat? quis poteſt ſpem perdere? Ipſe etiam diabolus, dicit ipſiſſimus Auguſtinus, in Pſal. 50. & omnis malitia omnium peccatorum quotquot commiſſa ſunt in mundo, ſimul unita, adhuc eſt minor, quàm DEI miſericordia? *Ipſe diabolus, & omnis malitia minor eſt, quàm DEI miſericordia.* Minor? & quantò minor? dicit hoc jam, magis vulgariter, Sanctus Joannes Chryſoſtomus: Scitisne quantò? ſic ſunt omnes iſtæ culpæ reſpectu miſericordiæ DEI, ſicut quædam tela araneæ rapta à ventis, ſicut unica ſcintilla, quæ cadit in medium totius maris. Eja peccatores, animosè & cum ſumma fiducia accedamus ad Sacramentum Pœnitentiæ; nam in illo,

lo, ſint culpæ qualeſcunque velint, ſint graves, enormes, innumerabiles, pro omnibus præparata eſt remiſſio: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt --- vita vivet, & non morietur.* Promiſſio eſt admirabilis, quam nobis facit ipſemet DEUS per Ezechielem c. 18. v. 21. & 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Ità eſt. Sed ſi fuit tota vita mea peccaminoſa; per triginta, aut quadraginta annos vixi totaliter DEI oblitus, conculcando ejus Præcepta; quomodo nunc poſſum ad illum recurrere? Sit tempus qualecunque velit, uſque ad ultimum punctum vitæ habes apertas portas Pœnitentiæ; in ultimo inſtanti, ſi ex corde doles, & te convertis, ſperare ſalutem & potes & debes: *Pœnitentiam DEI benignitas non aſpernatur*, dicit tibi S. Cyprianus de Cœn. Domini. Nunquam, nunquam ſpernit benignitas DEI Pœnitentiam; & ſi contritio vera eſt, nec gravitas culparum, nec brevitas temporis, nec ultimum momentum horæ illam impedit à conſecutione remiſſionis: *Nec ſerum eſt, quod verum eſt; nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas, ſi contritio vera fuerit, excludit à venia.* Propono vobis ob oculos hoc, quod dixi, per hunc prodigioſum ſucceſſum.

Refert illud Magnum Speculum Exemplorum V. Confeſſ. Exem. 20. Duo Gemini venerunt ad ſtudia Pariſios, & quantumvis in forma corporis ſimillimi erant, ex eo quòd eos complexus fuerit idem uterus, tamen ob diſtantiam ſuorum Parentum, erant ùt plurimum diſſimillimi in moribus. Unus optimè ſe applicuit virtutibus, ſervitio DEI & ſtudio; ſed è contra alter, permittens ſe trahi à ſceleſtiſſimis ſocietatibus, ſcopulis feralibus juventutis, conſueverat frequentare magis domos luſorias, quàm ſcholas, magis popinas, quàm porticus, & per talem doctrinam illaqueans ſe quaſi annulis catenæ vitiis, vixit ſe volutando in tam turpibus lapſibus, ut jam horror fuerit omnibus quotquot illum videbant. Non ceſſabat alter frater iterare illi bona conſilia; ſed ille ex his omnibus jocum faciebat, & pejor effici cœpit omni die, prorſus conſilii expers per aliquot annos; & videns perditionem illius bonus ejus frater, deprecabatur DEUM, quatenus eum caſtigaret, nè æternæ damnationi fratris animam traderet. Exaudivit illum ſua Divina Majeſtas, & X.

quando ille juvenis erat maximè perdirus, tunc dejecit illum per gravissimam infirmitatem in lectum, ità ut intra paucos dies ad extrema devenerit; Ubi clarissimè exorbitantiæ,& errores cernuntur. Ità jacebat inter suos dolores certa nocte, & ecce tibi videt intrare ad cameram quemdam Venerabilem Senem formosissimi aspectûs; sed tam severè illum intuebatur, ut cum interrogaretur ab illo; Noscisne me tu? Ille tremens, non, Domine; responderit: quis ergo es tu? Sum Cæli Dominus, & Patronus Mundi; Ego tibi dedi tuum esse, vitam, & quidquid habes; conservavi te cum tantis beneficiis, & his omnibus tu mihi correspondisti tot & tantis culpis; & ideò tibi dico, quod sis filius æternæ mortis. Dixit & disparuit. Qualis remanserit ille miserculus? In profundissimis tenebris tristitiæ. Ità transegit illam noctem, & diem proximè sequentem plenus angustiis. Nocte sequenti vidit intrare ad cameram Juvenem elegantissimum, qui, quantumvis ex vulneribus manuum, & pedum, & lateris, quibus resplendebat, bene cognoscceretur, attamen illum non cognovit infirmus. Nescio Domine quis sis tu, dixit illi; quamquam bene videam, te esse simillimum illi, qui hesterna hic fuerat nocte. Sum illius Filius, respondit, & tuus Redemptor; propter te factus sum Homo, & me tuis subjeci miseriis; pro te sustinui maxima tormenta, sparsi meum sanguinem, & dedi meam vitam; & tu mihi pro his omnibus reddidisti tot & tantas culpas. Ecce nunc ego tibi dico, quòd sis filius mortis æternæ; & iste sanguis, subjunxit, projiciendo illum infirmo in faciem, erit ex nunc in tuam æternam damnationem, & his dictis disparuit. Considerate & perpendite, si potestis, qualis remanserit infelix. Attamen in talibus extremis instabat, illum exhortando, ipsius pius frater, quatenus se ad mortem disponeret; & ille referendo illud, quod evenerat, jam de suo desperabat remedio; sed frater illum confortavit tam efficacibus rationibus, proponendo & exponendo eidem vim & virtutem Pœnitentiæ, tam diu, donec tandem illum ad bonam viam reduxisset. Adduxit Confessarium, & ille cum imbre lacrymarum confessus est suas culpas intermixtas gemitibus, & singultibus; percepit absolutionem, & postmodum Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, sicque expectabat jam pavidus mortem. Sequenti nocte illi apparuit alius Juvenis, æqualis elegantiæ, & pulchritudinis, qui

qui portabat in humero columbam candidiorem nive. Ego ſum, dixit illi, Spiritus Sanctus, æqualis poteſtatis, & potentiæ cum Patre & Filio, & unus cum illis. Scias, quòd ratione tuæ Pœnitentiæ tibi remiſerim & condonaverim tua peccata. Expergefactus eſt ille quaſi ex lethargo profundo: & quomodo hoc poteſt eſſe, dixit illi, cùm mihi talia & talia acciderint, & mecum facta ſint; & omnia illi retulit. Ad quæ reſpondit Spiritus Sanctus: fortiſſima habet brachia Pœnitentia, hæc eſt illa, quæ illum vincit, qui eſt invincibilis, & mutat illum, qui immutabilis; & ut hoc videas, intrà tres dies intrabis nobiſcum in gloriam. Ità evenit. Impendens ille fortunatiſſimus infirmus illos tres dies in laudibus Divinis, hoc terminô elapsô, evolavit ad fruitionem DEI ſempiternam.

O Potentiam admirabilem Pœnitentiæ! Lucremur nobis illam in tempore: quandoquidem tanta pietas, ſi illam ſpernamus, & vilipendamus; efficiet tanto fortiorem rigorem juſtitiæ. Jungamus confidentiam amori, ad accedendum quantocyus ad hoc Tribunal Gratiæ, quod nos aſſecurat de Throno Gloriæ. XI.

INSTRUCTIO III.

De amabiliſſimis, & admirabilibus Effectibus, quos operatur in anima Sacramentum Pœnitentiæ.

NAſcitur dies clarior, amabilior, & multò hilarior, quando diſſipatis, & deſtructis nigris nubibus, quæ formantes obſcuram noctem vibrabant fulmina, prodit rurſus ſol, exterminando illas umbras; & in continenti fruimur luce puriore, panditur nobis cælum ſerenius, videmus ſolem pulchriorem, & reſpirant corda ſuperato timore. Occaſione hujus, maturè perpendi: quare DEUS dixerit per Iſaiam cap. 44. v. 22. ad aliquem verè Pœnitentem; *Delevi ùt nubem iniquitates tuas.* Delevi peccata tua ſicut deleo de cælo nubes. Quare ùt nubes? itâne ex toto deſtruuntur, conſumuntur, oblivioni traduntur iniquitates hominis verè pœnitentis? Ità eſt; tali etenim modo deſtruit DEUS in Sacramento Pœnitentiæ culpas. Non dicit, quòd illa L.

illa deſtruat, quòd illa conſumat; ſed quòd illa deleat ſicut nubes: quia illa delet taliter, ut non relinquat obliteraturam. Delere enim nubem eſt idem, ac non relinquere in cælo maculam; Et ſic deletâ ex anima per Pœnitentiam culpâ, non remanet in anima ejusdem obliteratura. Quinimo adhuc plus ſub hoc continetur. Delet in hoc Sacramento in Anima culpas, ſicut delet ex cælo nubes; quia non ſiſtens in conſumptione & deſtructione illius nigrarum macularum, illas delet reducendo nobis ſplendorem ſolis. Iſte ſplendor eſt pro anima, gratia; delet illas reducendo nobis ſudum ac ſerenum cælum, hoc eſt: relinquendo nobis patentem hæreditatem gloriæ: delet illas, reſtituendo nobis diem; iſta ſunt lumina, antea acquiſita ex operatis meritis; quandoquidem iſti ſunt effectus admirabiles Sacramenti Pœnitentiæ. *Quale bonum nobis communicat?* interrogat Catechiſmus: *Gratiam, per quam nobis condonantur & remittuntur peccata præterita, & præſervamur ab illis, quæ poſſunt evenire.* Oh quæ connexio beneficiorum, & quæ unio; quam nunquam humana imaginatio poteſt comprehendere! Non eſt DEUS contentus delere ſolummodo in confeſſione noſtras culpas, ſed illas delet, ùt delet nubes, reſtituendo nobis ſolem, reſtaurando nobis diem, reddendo nobis cælum: *Delevi ùt nubem iniquitates tuas.* Explicabo hos admirabiles effectus, eundo per illorum gradus.

II. Quid eſt hoc: delere in Anima peccatum mortale? Quid eſt hoc liberare nos, & abſolvere à culpa? Non datur lingua, quæ hoc ſufficienter edicere queat. Neceſſarium priùs foret formare totalem conceptum: Peccatum quàm ſit malum infinitum, quale damnum (Eheu! æternum) nobis inferat, ut poſſet quis intelligere, quid ſit liberare Animam à peccato etiam unico tantum? Neceſſarium foret videre priùs totam fœditatem horribilem diaboli, poſtea: quam tota, ut dicit Sanctus Thomas, alia non ſit, quàm peccatum mortale; & exinde poſtmodum æſtimare, quale beneficium ſit mundare Animam ab unico ſolo peccato. Itaque quale erit mundare illam in confeſſione, non ab unico ſolo, ſed ab innumerabilibus, fœdiſſimis, horribiliſſimis, uſque dum efficiatur pura ùt nix? *Si fuerint peccata veſtra ùt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Iſai. c. 1. v. 18. Oh DEUS! & ſi hoc videremus oculis, ſicut illud debemus conſide-

rare

rare Fide, hoc ſolum ſufficeret nobis pro retribuenda æterna gratitudine. Ità propter diſſolutiſſimam ſuam vivendi normam, verecundiâ non minùs quàm contritione, & lacrymis plenus, venit quidam ad confeſſionale, refert Cæſarius, & quamvis deſideraverit omnia ſua peccata confiteri; tamen, quando illa incæpit proferre, impeditus fuit in tantum à verecundiâ, ut nec unicum potuerit proferre verbum. Ità ille hoc ipſum manifeſtavit Confeſſario. Exhortatus eſt iſte Pœnitentem quantùm poterat; ſed incaſsùm. Tandem hoc illi remedium ſuggeſſit, eumque eò uſque inflexit, ut omnia ſua peccata deſcriberet in charta, & hanc ſibi conſignaret. Fecit ille hoc, & illi præſenti perlegit ea Confeſſarius, & his omnibus perlectis ſubjunxit pœnitens, quòd ſe de omnibus accuſet. Abſolvit illum Confeſſarius, & reddendo illi chartam, finitâ confeſſione, vidit nec unicam ultrà literam in ea eſſe, vidit totam albam illam, quæ priùs tota conſcripta fuerat. Ità monſtravit cælum per hoc prodigium, qualiter deleat confeſſio in Anima culpas, efficiendo illam ùt nivem: *Quaſi nix dealbabuntur.*

O beneficium imponderabile! Attamen adjungite modò illud, quod huic correſpondet, & eſt, quòd deleantur ex libris æternis DEI noſtra debita & obligationes, quæ ibi contra nos erant inſcriptæ ſtylo ferreo in tabulis adamantinis: *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino:* Jer. c. 17. v. 1. & caſſentur onera, quæ ibi taliter inſcripta erant, ut illa poſt iſtam vitam per æternas amaritudines caſſata non fuiſſent: *Scribis contra me amaritudines*; Job. 13. v. 26. Et in Sacramento Confeſſionis idem eſt confiteri in quolibet peccato mortali debitum, quod eſt infinitum, ac relinquere deletas iſtas obligationes ex rationario DEI codice, dum remittitur pœna æterna, quæ illis pro ſolutione correſpondebat, & commutatur ſolùm in pœnam temporalem. Oh quæ ſupputatio rationum tam fortunata! Ità evenit cuidam Aſſaſino, Furi famoſo, refert Sanctus Climacus ſcal. cæl. gr. 4. qui poſt graviſſima delicta commiſſa pœnitens confitebatur; & dum ille ad pedes Sacerdotis diceret lacrymans peccata ſua, vidit quidam Monachus, quod ibi ad latus illius ſtaret quædam formidabilis umbra tenens ingentis magnitudinis chartam membraneam, quam totam habebat ſcriptam; auſcultabat illa peccata, & ſicut audiebat, inſpiciebat ſuum proceſ- III.

ſum, & caſſabat denuo quæ audierat, uſquedum ſubductis omnibus obligationibus, ità omnia & ſingula peccata reliquiſſet caſſata. Iſte eſt igitur primus effectus Confeſſionis, mundare Animam à peccato, & conferre illi remiſſionem pœnæ æternæ, ad quam perferendam obligata erat. Et nunquid in hoc finitur?

IV. Oh ponderate nunc: Si cuidam Viro Nobili, & Potenti, ſi Principi alicui, ſervus ſuus occideret turpiter filium Primogenitum Familiæ ſuæ, hæredem Coronæ ſuæ; & hic homicida, deprehenſus, arreſtatus, convictus, ſtaret in poteſtate dolentis, & triſtis Parentis ad recipiendam pœnam, quam ſuum delictum meretur; quid expectaret poſitus in obſcuro carcere? Quomodo præſtolaretur omni inſtanti non ſolùm mortem, ſed priuſquam hæc adveniret, tormenta, inter terribiliora, terribiliſſima? Et quid? ſi ſummas inter anguſtias deprehenſus, atque ad omnem peſſuli motum crudeliſſimæ ſententiam mortis expectans, tali modo ex improviſo videret intrantem offenſum Parentem, qui vultu amabili ſuâ propriâ manu illi diſſolveret catenas, amorosè amplecteretur, & non ſolùm condonaret offenſam, ſed & eundem è carcere educeret, in filium adoptaret, & conſtitueret hæredem ſuæ Familiæ, ſui Majoratûs, & ſui Throni? O gratiam incomprehenſibilem, & à ſæculo inauditam! Condonare tali vitam, & ſolummodo in perpetuo eum carcere relinquere multum eſſet: extrahere illum è carcere & ad perpetuas triremes condemnare, & hoc pro maximo habendum beneficio foret; At verò perducere ſimilem ad Palatium, reſpicere & habere ut filium, hæredémque inſtituere, gratia foret, humanos omnino ſenſus tranſcendens. Non capit hoc tota noſtra admiratio. Ità eſt quoad exiguitatem & anguſtiam humanorum pectorum. Sed in corde infinito DEI hæc res ſe aliter habet. Hoc eſt illud, quod ſua Majeſtas facit cum peccatore, qui in Sacramento Pœnitentiæ confitetur ſuas culpas infinitè terribiliores illis, quas ſuperiùs depinxi; & non ſolùm illi condonat, non ſolùm illum ſolvit ex compedibus, non ſolùm illum liberat ab æterna remigatione infernali, ſed, conferendo illi ſuam gratiam, conſtituit eundem ſuum filium, ſuum hæredem, & Dominum ſui æterni Palatii.

V. Oh DEUS! Videte illum Prodigum Evangelicum, qui quando convictus, contra ſeipſum proferebat ſententiam duriſſimam, tunc exper-

expertus eſt à ſuo Patre (DEO) maximum honorem. Quando vix ſperabat, quòd illum ſuus Pater admitteret, non jam in filium, ſed ne quidem in ſervum, ac etiam multum illi videbatur habere nomen famuli, & mercenarii: *Sicut unum de mercenariis*, tunc illum Pater ſuus comiter ſuſcepit intra ſua brachia, repoſuit ſupra pectus ſuum, & dedit illi multò ſplendidius veſtimentum, quàm antea unquam habuerat: *Afferte ſtolam primam.* Ecce hoc eſt illud, quod evenit cum quolibet peccatore pœnitente in Sacramento Pœnitentiæ, ubi illi reſtituitur veſtis gratiæ, redit in priſtinam amicitiam, ac admittitur in filium ille, qui nec quidem aſpirabat ad conditionem ſervi. Oh utinam hoc bene ponderaremus! Cum Eduinus, poſtmodùm Rex Angliæ, ùt refert Surius 10. Octobr. tom. 5. in Vita Sancti Paulini Eborac. Epiſcopi, perſequente illum Edelfrido, qui ante eum regnavit, per diverſa occultus loca, & regna, multò annorum tempore profugus, vagaretur, tandem venit ad Regem Redualdum, obſecrans, ut vitam ſuam, à tanti Perſecutoris inſidiis tutando ſervaret. Qui libenter eum ſuſcipiens, promiſit ſe, quæ petebat, eſſe facturum. At poſtquam Edelfridus in hac eum Provincia apparuiſſe, & apud Regem illius familiariter cum ſociis habitare cognovit, miſit Nuncios, qui Redualdo pecuniam multam pro nece ejus offerrent: neque aliquid profecit. Miſit ſecundò, miſit tertiò, & copioſiora argenti dona offerens, & bellum illi, ſi contemneretur, indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, ceſſit deprecanti, & ſive occidere Eduinum, ſeu ſe Legatis extradere promiſit. Quod ubi fideliſſimus quidam amicus illius animadvertit, intravit cubiculum, quo dormire diſponebat (erat autem prima hora noctis) & evocatum foras, quid erga eum Rex agere promiſiſſet, edocuit, inſuper & adjecit: ſi ergo vis, hac ipſa hora educam te de hac Provincia, & in ea loca te introducam, ubi nunquam te vel Redualdus, vel Edelfridus invenire valeant. Qui ait: Gratias quidem ago benevolentiæ tuæ; attamen hoc facere non poſſum, quod ſuggeris, cùm pactum, cum tanto Rege initum, primus irritum facere nolim, utpote nullo modo offenſus. Abeunte igitur amico, remanſit Eduinus ſolus foris, mœſtúſque reſidens ante Palatium, multis cœpit cogitationibus affici, & ùt in arctiſſimo carcere anguſtiari. Cúmque diu tacitis mentis angoribus coarcta-

retur, vidit ſubitò intempeſtæ noctis ſilentio, appropinquantem ſibi hominem, vultûs habitúsque incogniti. Quem videns ut ignotum & inopinatum, non parum expavit. At ille accedens, ſalutavit eum, & interrogavit, quare illâ horâ, cæteris quieſcentibus, & altô ſopore preſſis, ſolus ipſe mœſtus in lapide pervigil ſederet? At ille viciſſim ſciſcitabatur, quid ad eum pertineret, utrùm ipſe intus, an foris noctem tranſigeret? Qui reſpondens, ait: Nè me æſtimes tuæ mœſtitiæ, & inſomniorum, & forinſecæ ac ſolitariæ ſeſſionis cauſam neſcire. Scio enim certiſſimè, quis ſis, & quare mœreas; & quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velles ei, qui his te mœroribus abſolvat, & Redualdo ſuadeat, ut nec ipſe tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hoſtibus perimendum tradat? Qui, cùm ſe omnia, quæ poſſet, huic tali pro mercede beneficii daturum eſſe reſponderet, adjecit: Quòd ſi etiam Regem te futurum, extinctis hoſtibus, in veritate promittat, ità, ut non ſolùm omnes Progenitores tuos, ſed & omnes, qui ante te Reges in gente Anglorum fuerant, poteſtate tranſcendas? At Eduinus conſtantior interrogando factus, non dubitabat promittere, quin ei, qui tanta ſibi beneficia donaret, dignis ipſe gratiarum actionibus reſponderet. Tum ille tertiò: Si autem, inquit, is qui tibi tanta, taliáque dona veraciter adventura prædixerit, etiam conſilium tibi tuæ ſalutis ac vitæ melius atque utilius, quàm aliquis de tuis Progenitoribus, aut Cognatis unquam audivit, oſtendere poterit; num ei obtemperare, & monita ejus ſalutaria ſuſcipere conſentis? Nec diſtulit Eduinus, quin continuô polliceretur, ſe in omnibus ſecuturum doctrinam illius, qui ſe tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad Regni apicem proveheret. Quô acceptô reſponsô, confeſtim is, qui loquebatur cum eo, impoſuit dexteram ſuam capitî ejus, dicens: Cùm ergò tibi ſignum hoc advenerit, memento hujus temporis, & loquelæ noſtræ, & ea quæ promittis, tunc adimplere nè differas; & his dictis repentè diſparuit. Ille Rex factus, præbuit aſſenſum Evangelizanti Sancto Paulino, & abrenunciata Idololatria, Fidem Chriſti amplexus eſt. Et quid nos facturi eſſemus, non pro exitu ex aliqua anguſtia, & anxietate, aut carcere temporali, ſed ex inferno? Non pro conſequenda aliqua corona terreſtri

reſtri, ſed illa æternæ gloriæ? Ecce iſta nobis datur in Confeſſione cum gratia.

Nihilominus tamen, acſi etiam hæc omnia parùm forent; cum gratia redeunt Animæ virtutes infuſæ, redeunt dona ſupernaturalia. Oh exceſſum amoris incomprehenſibilem! Qui hæc videt, cogitur cum Iſaia confiteri cap. 55. v. 7. quòd DEUS, *Multus eſt ad ignoſcendum:* qui cùm ſit unus, quem læſerunt noſtræ culpæ, acſi eſſet multus, ità nobis illa condonat; id eſt: quòd acſi non eſſet ille ipſemet injuriâ affectus per noſtras culpas, ità non ſolum nobis illas condonet, ſed etiam cumulet pœnitentes beneficiis: *Multus eſt ad ignoſcendum.* Conſuetudinis erat antiquitus Romæ, quòd, ſi aliquam virginem veſtalem deprehendebant in delicto impuro, non tantùm illam vivam ſepelirent, ſed una cum illa tumularent omnia pretioſa ejus veſtimenta, gemmas omnes, & uniones, & omnia ejus ornamenta; talis erat rigor apud illos Juſtitiæ, ſed hic ex oppoſito, quanta eſt pietas Divinæ Miſericordiæ, quæ non ſolùm dat in Sacramento Pœnitentiæ vitam gratiæ peccatori pœnitenti; *Mortuus erat, & revixit*, Luc. 15. v. 24. non ſolùm illi dat veſtimenta Filii; ſed pariter etiam pretioſa ornamenta virtutum: *Date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus.* VI.

O Sacramentum admirabile quouſque extollis, & elevas Animam pœnitentem? quouſque in altum evehis miſerabilem peccatorem? & tamen adhuc majora reſtant, adhuc dicenda ſunt nobis plura. Promiſerat Octavianus Auguſtus Imperator per publicum præconem, ſe velle dare decem millia ſcutorum illi, qui ſibi adduceret infamem illum Aſſaſinum, dictum Crocota. Videbat ſe iſte unà cum ſua vita venditum, omnes timebat, à nullo ſecurus erat; & quid fecit? Quærit bonam occaſionem, confert ſe ad Imperatorem, projicit ſe ad pedes ejus: Et hic, ait: hic adduco tibi, ô Imperator, Crocotam, illum Capitaneum latronum, da mihi pretium & mercedem promiſſam. Ex hoc ad pietatem commotus Octavianus, non ſolùm illi vitam condonavit, ſed dedit illi pariter illa decem millia ſcutorum: remanſit liber, remanſit ſecurus, & fuit factus dives. Sapiens hæc fuit confeſſio. Infinities tamen eſt melior noſtra, in qua, ultra condonationem vitæ, & reſtitutionem gratiæ, conſequimur etiam, quòd redeant animæ omnia illa merita, quæ per peccatum VII.

tum perdiderat. Oh utinam hoc bene ponderaremus! Dum ſumus in gratia omnia opera bona, quæ amore DEI facimus, etiam leviſſima, etiam minutiſſima, omnia ſunt opera viva, & meritoria vitæ æternæ. Ponite nunc ſanctum Jobum Eremitam per quadraginta annos in Eremo viventem in continuis jejuniis, aſperitatibus, pœnitentiis; quanta fuerint ejus merita? Sed poſtmodùm lapſus in unicum ſolum peccatum mortale; Oh DEUS! perdidit immediatè omnia illa ſua merita, omnia; oh quæ perditio! *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, Ezech. c. 18. v. 24. Tali modo igitur omnia merita acquiſita noſtrorum bonorum operum, omnia illa perdimus, eò ipſo puncto quo cadimus in unicum tantùm peccatum mortale, omnia remanent, ùt loquuntur Theologi, mortificata, quæ ad nihil nobis ſerviunt, quæ nihil nobis proſunt. Oh quæ amiſſio! Quotquot Miſſas ego legi, vel audivi. quotquot jejunia, & pœnitentias feci, quotquot preces recitavi, quotquot eleemoſynas diſtribui, omnia, omnia perdidi, quàm diu perſevero in peccato mortali? Ità eſt: Omnia. Quid itaque faciam pro reſtaurando iſto capitali, quod tantum continet valorem? Pro iſta recuperanda mea ſubſtantia dilapidata, pro iſto meo theſauro perdito reinveniendo quid faciam? Scitisne quid? Acceſſu opus eſt prout decet, & fieri debet, ad Sacramentum Pœnitentiæ: ibi reſurgunt merita, redit totum illud capitale, quod confiſcatum fuerat. Omnia illa bona opera redeunt, & ſecundò ditant animam. Oh quæ divitiæ amabiliſſimæ recuperatæ poſt naufragium, æſtimabiliſſimæ reinventæ poſt amiſſionem! *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*, dicit nobis DEUS per Prophetam Joëlem cap. 2. v. 25. Et ità hoc explicant cum Sancto Hieronymo Sancti Patres, & hoc ità intelligunt cum Sancto Thoma Theologi.

VIII. Jam quale capitale erit iſtud, Dilectiſſime mi, quod de novo lucraris, & acquiris in confeſſione? Accinge te ad conſiderandum: ſi haberes ſimul unitam omnem pecuniam quantam tua tota habuiſti vita, & illam expendiſti, perdidiſti, conſumpſiſti, quanta iſta foret? Oh quàm avide illam adhuc poſſidere deſiderares! Erige igitur & anima te fortiùs ad multò melius capitale; nam eò momentò, quò tu confeſſionem tuam bene peragis, eò ipsò momentò habes ſimul

mul unita merita omnium bonorum operum quotquot tua tota feciſti vita; miſſarum, jejuniorum, orationum, eleemoſynarum; unô verbô, omnium. Oh qualis cumulus tam fortunatus! Cur non, ô Anima, ſæpe frequentas, iſtud amabiliſſimum Sacramentum, quod te ità mundat, ità te liberat, quod taliter te ditat? Apud veteres quondam diſponebat lex ſerv. effectus de oblig. & act. *Servus effectus*, quod ille qui ob ſuum crimen damnatus fuit ad metalla diſperſis damnati bonis, etiamſi interdum rediret ad libertatem, capitale nunquam reciperet. Oh quàm multô benignior eſt noſter DEUS. Non ſolùm nobis reddit libertatem per Pœnitentiam, ſed etiam nobis reſtituit omnes divitias noſtrorum meritorum: *Innovabis dies noſtros ſicut à principio*: Thren. 5. v. 21. Rufus ſenator Romanus, peſſimè affectus Julio Cæſari, peſſimè contra eundem locutus fuerat in publico. Inde timebat quàm maximè gravem iram Cæſaris; & dixit illi quidam ſuorum fidorum ſervorum, ut tantùm Cæſarem accederet, ſe illi ad pedes projiceret, & pro condonatione rogaret. Ità fecit; & Cæſar, qui benigniſſimus erat, immediatè eidem libentiſſimè condonavit. Sed Rufus repoſuit: Vix aliquis erit, ô Cæſar, qui credat meum Te mihi crimen condonâſſe, & te in tuam gratiam me recepiſſe, niſi mihi aliquem grandem præſtes favorem. Ità ajebat Cæſar: hunc tibi faciam; pete. Petiit ille quantitatem incredibilem pecuniarum. Dedit hanc illi Cæſar; & gratiosè eidem dixit: Ego efficiam, nè meus impoſterum inimicus ſis, poſtquam non ſolùm tuum tibi delictum remiſi, ſed ipſa condonatio meâ mihi pecuniâ conſtitit. Actus generoſus. Sed quid hoc eſt reſpectu illius, quod facit noſter Redemptor in Sacramento Pœnitentiæ, in quo non tantùm reſtituit Animæ omnia ejus merita præterita; ſed ultrà hoc illi dat novam gratiam hujus Sacramenti; unde deducunt graves Theologi Pœnitentem remanere poſt hoc Sacramentum ditiorem in Anima, quàm fuerit prius antequam peccâſſet. Sicut olim factum eſt Hebræis, qui exierunt ex Ægypto ditiores, quàm fuerint, cùm in Ægyptum intrâſſent; *Eduxit eos cum argento & auro*: Pſal. 104. v. 37. Et cùm has divitias ità ad manus habeamus, quis erit inter nos, qui illas non lucretur? Quis non quæret cum ſolicitudine in hoc Sacramento munditiem, pulchritudinem, divitias maximas Animæ, & inæſtimabiliſſimam hæreditatem gloriæ?

In

IX. In vitis Patrum refertur, lib. 1. n. 16. quòd cuidam Sancto Episcopo denuntiatum fuerit duas mulieres tam turpem vitam ducere, ut scandalo sint, & offendiculo toti Reipublicæ. Afflixit se Sanctus iste Prælatus quisquis fuerit, non exiguè ob hanc notitiam, & confugit ad DEUM per orationem pro petenda illuminatione ad adhibendum remedium. Et nolens esse nimis præceps in punitione delicti, sinè prævia quàm optima informatione de certitudine (charitas enim benigna est) exspectavit, quousque plenam de veritate rei notitiam acquisiisset. Habuit Sanctus iste Antistes inter alia dona gratis data, hoc etiam, quòd in porrectione Sacræ Communionis suo populo, cognoverit ex facicbus statum Animarum. Aliquos ex suis videbat nigros ùt carbones, & fœdissimos; alios albos & pulcherrimos. Alios in perceptione Sacræ Particulæ videbat ardere in suis funestis flammis; alios videbat repletos pulcherrimo splendore. Expectavit ergo ad pari modo cognoscendum statum illarum accusatarum duarum personarum. Advenit dies communionis, attendit specialissimè Episcopus, & videbat, illas duas advenientes ambas vestitas vestibus tam candidis, ùt est nix, vultus habentes tam affabilis pulchritudinis, oculos tam puri splendoris, & totum corpus lucis tam excelsæ, ut his consideratis omnibus remanserit Sanctus Episcopus non minùs hilaris quàm attonitus. Conferebat hoc, quod vidit cum illo, quod de his duabus mulieribus alii illi dixerunt; & hærenti illi in his cogitationibus, apparuit Angelus. Opportuno, & commodissimo tempore me de grandi dubio extrahes, & ex meis me juvabis cogitationibus, dixit Episcopus ad Angelum: Nónne verum est illud, quod mihi de istis relatum fuit? Ità est, verum hoc erat, respondit Angelus. Episcopus verò: Quomodo igitur nunc illas video tam diversas? Ad quod Angelus: Quia contritæ, repossuit, confessæ sunt tam bene suas culpas, ùt DEUS jam illas teneat repositas in numero suorum Sanctorum: *Per confessionem in Divinum numerum relatæ.* Remansit stupens Prælatus, nec satis super hoc mirari potuit; Et tunc Angelus: nè obstupescas, tu miraris ùt homo, DEUS autem operatur ùt DEUS, qui tradidit suum proprium Filium usque ad mortem in remedium peccatorum. Dixit & disparuit.

Animæ

Animæ perditæ, Animæ inferno appropinquantes, hic habetis in hoc Sacramento pro veſtris maculis puritatem, pro veſtris fæditatibus pulchritudinem, pro veſtra morte, vitam, & locò veſtrarum infinitarum miſeriarum, & infortuniorum, in unica bona confeſſione præparata immenſa gaudia gloriæ. X.

INSTRUCTIO IV.

De Partibus Confeſſionis, & de Damnis malarum Confeſſionum in communi.

INterrogatio, quæ ſe noſtris præſentat oculis, eſt illa, quam ego vellem hodie relinquere, quàm maximè impreſſam cordibus, ut, dummodo lucraretur & acquireret ejus admiratio profectum, non perveniret ad hoc, ut eſſet iſta interrogatio pro aliquibus ex meis Auditoribus terribiliſſima. Interrogavit quondam certus damnatus Archi-Epiſcopum Pariſienſem, Guilielmum, ùt ſcribit Cantipr. l. 1. Apum. c. 10. Anne adhuc exiſteret Mundus? remanſerintne adhuc vivi homines ſuper terram? exſténtne adhuc homines incolentes Civitates? Hoc interrogavit? & quare? Quia, ajebat, tot ac tanti decidère in infernum, à quo ego ibi ſum, ut judicaverim neminem ultrà in Mundo remanſiſſe. Exiſtítne adhuc Mundus? Nunc ego non formo talem interrogationem; ſed iſtam. Datúrne Sacramentum Pœnitentiæ? Datúrne Confeſſio in Eccleſia? Quomodo ergo ſunt tot Chriſtiani, qui damnantur? Remedium tam facile, tam univerſale, tam potens, & in ſe tam ſecurum! Quare ergo tot ex Chriſtianis illud non lucrantur? Deéſtne omnibus? Non: quandoquidem pauciſſimi ſunt illorum, qui ſinè confeſſione decedunt. Si igitur plurimi confitentur, quomodo ſunt tam pauci illorum, qui ſalvantur? Cùm adſit confeſſio, quomodo poſſunt dari Chriſtiani qui damnentur? Admiratio eſt hæc ipſiusmet DEI per Jeremiam Prophetam cap. 8. v. 22. *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut Medicus non eſt ibi?* Nunquid reſina non eſt in Galaad? Nónne eſt, explicat Sanctus Hieronymus, nónne eſt Sacramentum Pœnitentiæ in Eccleſia? Nónne ſunt ibi Medici? Nónne ſunt ibi Sacerdo- I.

tes? *Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* ibid. Quomodo ergo remanent irremediabiles plagæ Animæ, incurabilia vulnera conſcientiarum? Medicina pro iſtis (confeſſio) tam efficax, tam prompta, tam facilis, Sacerdotes tot ac tanti: quomodo ergo tot Chriſtiani damnantur?

II. Iterum interrogatio alia habetur Ezech. 33. quâ rurſus ipſemet DEUS per Ezechielem nos invitat ad arripiendum pœnitentiæ remedium, & in illa ipſamet nos vult ſublevare ab onere peccatorum. Diffidens ob ſua graviſſima peccata dubitabat de illorum condonatione ille populus: *Iniquitates noſtræ ſuper nos ſunt: quomodo ergo vivere poterimus?* Ezech. cap. 33. v. 10. Cùm ſint tot, cùm ſint tam gravia noſtra peccata, quomodo poterimus vivere? Quomodo inventuri ſumus condonationem? Vade, dicit DEUS, & dic illis nomine meo: *Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus DEUS; nolo mortem impii, ſed ut convertatur à via ſua, & vivat: convertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël?* ibid. v. 11. *Et quare moriemini Domus Iſraël?* Et ità faciendo non damnabimini. Ponderate modicum iſtud: *Quare*, quod ſanè vim quàm maximam continet. Si ego, qui ſum veſter Judex, in Sacramento Pœnitentiæ ex toto ſto pro veſtra parte, ac etiam recuſo proferre contra vos ſententiam damnationis: ſi ego, qui ſum offenſus, vos invito in hoc Sacramento promittendo non ſolùm condonationem, ſed etiam præmium: ſi ego, qui deberem me vindicare de meis injuriis, ſum in confeſſione ille, qui vos defendo; *Quare moriemini Domus Iſraël?* Quare, dum habetis hoc Sacramentum, invenitur qui damnatur? Dicetis mihi, veſtras culpas eſſe graviſſimas; Dico ego: Omnes illas complectitur iſtud remedium. Dicetis, eſſe innumerabiles; Dico ego: Pro omnibus ſufficit iſta medicina: *Quare moriemini?* Quare ergo, cum adſit confeſſio, invenitur quilpiam qui vadit ad infernum? Dicetis: ſæpiſſimè eſſe reiteratos veſtros lapſus; Dico ego: etiam in confeſſione pro vobis teneo præparatam pro omnibus vicibus, quotquot illæ eſſent, condonationem. Dicetis: majorem partem vitæ, vel planè totam, vos tranſegiſſe in mei offenſis. Dico ego: Omnibus inſtantibus & momentis uſque ad ultimum vitæ teneo pro vobis in confeſſione apertas meæ benignitatis portas: *Quare moriemini?* Quare ergo, qui uti poteſtis confeſſione,

ne, damnamini? ô Chriſtiani! Dicetis mihi, quòd jam veſtra peccata inveniantur ſcripta in libris mortis; & vos ſuper quolibet eorum interrogandi, ac ſtrictiſſimam de omnibus & ſingulis rationem reddituri ſitis. Hoc verum eſt; ſed & ſcitote: Omnia per confeſſionem deleri poſſe. Dicetis: vos jam perdidiſſe gratiam, & cum illa meam amicitiam. Ità eſt; ſed & ſcitote: eandem in confeſſione renovari, & reſtaurari, & vos per illam in meum denuo amorem redire. Dicetis: vos ratione veſtri peccati amiſiſſe omnia veſtra merita acquiſita. Hoc vobis non nego; ſed & ſcitote, vos omnia in confeſſione recuperare; & quidem cum augmento. *Quare moriemini? Quare moriemini?* Jam cùm omnia iſta habeamus vi confeſſionis, quare, quare damnantur tot Chriſtiani? Nunquid iſtæ ſunt veritates Catholicæ? De hoc nullum eſt dubium: Definitæ à Sacris Conciliis, & ſtabilitæ ab omnibus Sanctis Patribus, & Doctoribus? Nónne confitentur omnes Chriſtiani, vel omnes, vel ſaltem potior pars? Igitur, ſi ſunt plures illi, qui confitentur, quare ſunt ergo pauciores illi, qui ſalvantur? Oh quæ interrogatio! oh quale fulmen, quod replendo ſuâ luce intellectum admiratione, ſuô tonitru implet horrore Animam. Plures qui confitentur, & pauciores qui ſalvantur? Quid eſt hoc?

III. Refert Pliñius l. 12. c. 25. quòd, dum Romæ Balſamum ob inſignem ſuam virtutem medicinalem, ac præſtantes, quos operabatur, effectus in non minori pretio, quàm æſtimatione habebatur, illud ab aliquibus cœperit adulterari, ac tam aſtutè corrumpi, ut quia utrumque idem eſſe videbatur, verum à falſo & adulterino non-nisi difficulter diſcerni potuerit. Inde, non cauſante utroque eundem in ſanitate effectum, emerſerunt damna plurima. Tandem obſervatum eſt: genuinum, præterea, quòd vulnera curaret, nullas in faſciis maculas relinquere; corruptum verò non ſolùm non facere effectum bonum in partibus læſis, ſed & faſcias omnes, ac linteola maculata relinquere: *Summa probatio eſt, ut in veſte maculam non faciat.* Ità eſt: Præclarum iſtud Balſamum confeſſionis, admirabilis iſta medicina, in qua totum & unicum noſtrum remedium conſiſtit, adulteratur à noſtra malitia taliter, ut, pro eo quòd ſalutem conferat, peſſimas in anima maculas relinquat. Multæ etenim non ſunt confeſſiones, quæ tales eſſe videntur. Multæ etenim, quæ appa-

rent confessiones veræ, sunt sacrilegia. Itaque quæcunque hucusque de confessione dixi, præparavit nobis DEUS ex ineffabili sua misericordia, tanquam medium saluberrimum, vi cujus ex deterrima peccatorum nostrorum mephiti facillimè prorepere possumus; atque adeò hæc omnia tenent se ex parte ipsiusmet DEI. Nunc nobis videre restat, quid sua Majestas requirat, ac velit, ùt nos ex parte nostra faciamus, quatenùs sic istud nobis Sacramentum fructuosè usurpemus. Hic cardo rei vertitur; hic stat punctum. Oh quale punctum, in quo nostra consistit salus. Ex parte sua DEUS non solum cedit suis maximis injuriis, suis horribilissimis offensis, sed etiam in hoc Sacramento ad illas condonandas oppignorat totum suum sanguinem, sua merita, sua tormenta, & suam mortem. Non solùm nos assecurat de condonatione, sed etiam de gratia: & non solùm illam nobis offert, sed tam facilem acquisitu facit. Omnia ista DEUS ex parte sua facit.

IV. Nunc jam ergo, quid est illud, quod petit, ut nos faciamus ex parte nostra ad lucrandam medicinam tam prodigiosam hujus Sacramenti? Istud est ad amussim illud, quod jam nunc interrogat Catechismus; *Quas partes habet? Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem.* Et nihil ultrà, ad correspondendum beneficiis tam infinitis? Nihil ultrà, ad acquirenda bona tam immensa? Nihil ultrà? Totúmne hoc est, quod Pœnitens tenetur præstare? Totum. Offendimus DEUM, vel corde, cogitationibus; vel verbis, vel operibus; in hoc ergo consistet nostra vera Pœnitentia: Primùm in detestatione & dolore de peccatis, seu in Contritione, seu sit illa perfecta, quæ est illa, quam vocamus Contritionem; seu etiam sit imperfecta, quæ est illa, quam vocamus Attritionem; & hæc est de necessitate; Et hanc si vera est, concomitatur firmum propositum fugiendi imposterum peccata, & vivendi cum emendatione. Sed hoc solum non sufficit; uniendailli postmodùm Confessio est, manifestando, vel labiis, vel si id fieri non possit, signis, Confessario omnia nostra peccata mortalia; ad quod præsupponitur, si tempus adsit, diligens examen conscientiæ, per quod nos bene examinare, & reflectere, ac conscientias nostras discutere debemus. Istæ igitur (Contritio & Confessio) sunt duæ partes tam essentiales hujus Sacramenti, ut illis, vel alterutra illarum, qualicunque ex par-

parte deficiente, nec Sacramentum validum futurum, nec condonanda culpa, nec nobis danda gratia sit. Si deest dolor de peccatis, non sufficit Confessio. si falsificatur Confessio, tacendo per malitiam peccatum mortale, non sufficit dolor; si non adest propositum, neutrum prodest; & si non adest examen, ubi fieri poterat, nec, quod illud suppleat, omnia sunt perdita. Oh DEUS! Sicut exactissimè ordinata, ac ad punctum regulata esse Musica debet, dicit nobis David, sic debet ad amussim directa esse nostra Confessio: *Confitemini Domino in Cithara, in Psalterio decem chordarum psallite illi.* Psal. 32. v. 2. Non loquitur solummodo, dicit Hugo, de confessione laudis, sed pariter etiam de confessione nostrorum peccatorum: *Confessio laudis, & confessio peccatorum.* In cithara, si vel unica sola chorda dissonet, tota perditur harmonia, etiamsi reliquæ chordæ optimè concordent: nunquid hoc verum est? Talis igitur debet esse confessio: *Confitemini Domino in Cithara:* quòd si vel unica culpa mortalis taceatur ex malitia, vel non adsit dolor, vel propositum desit, omnia vana & inania sunt. Prius duo instrumenta nominat David, quæ debent simul sonare eodem tempore: *Cithara & Psalterium decem chordarum.* Nónne vidisti & audivisti eodem tempore ludi Psalterium & Citharam? quàm accuratè consonant sibi invicem! quàm exactam servant concordantiam & consonantiam! In hoc consistit eorum suavitas. Sed si ad sonum Psalterii, Cithara daret alium dissonum sonum, omnia nihil, nisi confusio forent; Nunquid sic est? Sit itaque confessio ad instar Citharæ, sequendo & conformando se per diligentem conscientiæ discussionem, ac etiam firmum emendationis propositum cum psalterio decem chordarum, decem videlicet Præceptorum. Istæ sunt ergo duæ partes omnino essentiales ad hoc Sacramentum, Contritio nimirum, & Confessio.

V. Pariter Satisfactio ejus pars est; sed non sicut istæ duæ, de quibus locutus fui; quia datur casus, in quibus sinè satisfactione potest consistere Sacramentum. Est idcirco Satisfactio pars necessaria ad totalem Sacramenti perfectionem, attamen pars tantùm integralis, non verò essentialis; eô modô, quô manus sunt partes hominis. Et quanquam ùt constat, hæ partes vel maximè necessariæ sint, tamen potest esse homo sinè manibus. Qualiter verò nos obliget Satisfactio, dicam postmodùm. Sed sinè Contritione, & sinè Confessione

ne non poteſt conſiſtere iſtud Sacramentum; minùs quàm poſſit conſiſtere homo ſinè capite, aut ſinè corde. Sed oh DEUS! quot ex hominibus ſinè capite, & quot ſinè corde accedunt ad hoc Sacramentum, & idcirco ſinè vita, ſinè Anima, & ſinè ſalvatione. Nunc ergo, Dilectiſſimi mei, cùm totum noſtrum remedium, quandoquidem nullum aliud ad manus habemus, cùm tota noſtra ſalus conſiſtat in hoc examine conſcientiæ, in iſto dolore de peccatis, in hoc propoſito emendationis, & in iſta confeſſione integra, pergam, explicando quodlibet punctum per ſuas partes, ut habentes tam facile remedium, ſtudeamus aſſecurare negotium hoc unicè, & ſummè neceſſarium, in quo nobis tantum poſitum eſt, quantum in ipſa Anima. Ego volo vobis commodè repetere & proponere tantùm illud, quod in tot libris devotis circumfertur claris terminis; namquò ſæpius repetuntur veritates, in quibus agitur de Anima, eo hoc utilius erit.

VI. Mens & opinio eſt magnorum Virorum, innumerabiles Animas damnari non tantùm ideò, quia malè vivunt, ſed etiam, & potiſſimum ideo: quia non bene confitentur. Innumerabiles Animæ ſunt in inferno non tantum ob ſua peccata, ſed & quidem potiſſimum ratione malarum confeſſionum: & ratio manifeſta eſt; quia pro peccatis, fuerint illa qualitercunque gravia, habebant absque dubio in bona, & ſincera confeſſione remedium; Eſt hoc de Fide. Sed pro malis confeſſionibus, dum in illis confidebant, absque repetitione illarum nunquam facta, qualénam remedium remanet? Nullum. Jam alibi dixi cum Plinio l. 25. c. 13. quòd cicuta (venenum mortale) habeat pro remedio, ſi poſt illam bibatur vinum; ſed ſi ſimul cum vino bibitur cicuta, absque omni remedio occidit. Si confeſſio, quæ eſt ſolùm remedium peccati, ſuperaddat confeſſioni venenum ſacrilegii, & huic ſacrilegio aliud ſacrilegium accumulet, oh DEUS, quàm malum inſanabile! quid remedii? Illa ecſtatica Virgo Sancta Thereſia ſolebat dicere ſacrilegas confeſſiones, quaſi ſolas eſſe, quæ infernum replent; & ſcribens cuidam Concionatori, hortatur illum taliter: Pater, prædica ſæpius contra confeſſiones malè factas, quia diabolus non habet alium meliorem laqueum, quô capiat tot animas, quot capit iſtô unicô. Cor meum palpitat audiens hanc ſententiam hujus tam ſapientis, & ità illuminatæ Virginis. Illud

lud certum eſt, Venatorem tendere retia, parare laqueos, & pedicas ad oras fontium, rivorum, vel locorum aquoſorum, ubi aviculæ convolant ad bibendum; Ibi illis præparat mortem, & ibi aucupatur copioſiſſimè. Videt diabolus omnes nos peccatores debere accurrere ad hunc unicum fontem confeſſionis, in quo ſolummodo eſt noſtrum remedium, & idcirco ibi ſtruit & parat ſuos laqueos, ac capit etiam plurimas animas. Unde ponderans graviſſimum iſtud damnum, quod animæ patiuntur, Concilium II. Lateranenſe, jubet Concionatores, & Sacerdotes, ut inſtruant & erudiant populum de Confeſſionibus malè peractis, quæ tantos ducunt ad infernum: *Inter cætera mala*, dicit in Canone vigeſimo ſecundo, *inter cætera mala, unum eſt, quod Sanctam maximè perturbat Eccleſiam, falſa ſcilicet pœnitentia. Unde Confratres noſtros admonemus, nè falſis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum detrahi patiantur.* Et certè, quod pejus eſt, videmus omni die per experientiam cum quanto fundamento hoc timere debeamus. Quot ſunt illorum, qui cogitant, quod noſtrum confiteri nihil ultrà ſit, quàm ille actus exterior incurvare genua ad pedes Sacerdotis, dicere ſua peccata, & præterea nihil? Quàm multi peragunt confeſſionem ſolummodo pro cæremonia ſinè examine, ſinè dolore de peccatis, ſinè propoſito emendationis? Quàm multi tacendo, celando vel tegendo verbis ambiguis, ſeipſos decipiunt, quando cogitant decipere Confeſſarium? Quàm multi tandem ob timorem cenſurarum Eccleſiæ omni anno, cum maxima feſtinatione, & nonniſi ſummariè confitentur? Jam ſi hoc de Fide eſt, quòd peccatori non remaneat ad ſalutem alia tabula, præter bonam confeſſionem: ſi illæ quas fecerunt in viginti, vel triginta annis fuerunt forſitan omnes nullæ, & ſacrilegæ; ſi in hoc ſolummodo conſiſtit noſtra fiducia; & in hora mortis ad exitum ex hac vita, Anima invenit, quòd nec quidem unicam bonam confeſſionem peregerit: quàm inexplicabilem ſentiet horrorem. Tribus vicibus liberavit ſe Samſon ex manibus Philiſtinorum, quem, ad blanditias perfidæ meretricis, ligaverunt, modò fortibus funibus, modò nervis robuſtis, & cùm evigilâſſet, illa rumpebat, ac ſi fuiſſent tela araneæ. Ultima demum vice, reciſis jam crinibus ligatus, excitatur ad clamorem ſuorum inimicorum, & quam plurimùm ſuis confiſus viribus; *Egrediar ſicut ante feci*; Judic.

dic. c. 16. v. 20. in animo cogitavit, ſed invenit, quòd deficientibus crinibus etiam fortitudo defecerit; ſicque remanſit abſque omni remedio in manibus ſuorum inimicorum. Et ſi ad tanta monita dormimus in peccatis, confidentes nos ea confeſſuros; ſi in fine vitæ invenimus omnes noſtras confeſſiones nullas, eò quod ſint malè factæ, quæ fiducia nobis remanebit? Oh quæ infelicitas! Et tamen hoc ità contingere ſolet; ùt ex ſequenti eventu diſcere poſſumus.

VII. Mortuus eſt filio cuidam Pater, ùt legitur in Spec. Exempl. V. confeſſ. Exem. 28. pro quo ille omni die ſpeciales fundebat preces, & has non intermiſit per ſpatium triginta duorum annorum. Ad finem horum apparuit illi defunctus Pater, cinctus flammis, conquerendo, quòd ipſum non juverit, ut poſſet abſolvi à ſuis tormentis. Reſpondit filius: Omni die pro te feci orationem. Ad quod Pater: Veriſſimum eſt hoc; ſed nihil mihi profuerunt omnes iſtæ tuæ preces. Ergo es tu damnatus, repoſuit filius. Non ſum; ſed tu toto hoc tempore vixiſti in peccato mortali, & ideo nullius meriti & profectûs fuerunt omnes tuæ oblationes. Non; repoſuit filius. Omni enim anno confeſſus fui. Ille item: Hoc ſe ità habet: ſed nunquam te in gratiam DEI recollocâſti, quia confeſſiones peregiſti ſinè dolore; ſolummodo ex more & conſuetudine, & etiam ex neceſſitate, nam ideo expectâſti confiteri Septimanâ Sanctâ. Hoc dicto diſparuit. Perpendite: triginta duobus annis confeſſiones malè peregit, & tamen cogitabat ſe in optimo ſtatu vivere ſecurum. Quot hic ſunt de talibus, tam enormiter decepti in puncto, in quo noſtra conſiſtit ſinè alio remedio, ſalvatio. Quot, qui ſolummodo forſitan confeſſi ſunt in exteriori cæremonia, ſinè dolore, ſinè propoſito, & poſiti in proxima mortis occaſione autumant ſe quamplurimum ſecuros quoad ſuas confeſſiones, & ità moriuntur, & ità ſinè remedio damnantur. Jam ſi hoc ſic evenit, ego non miror, quòd quantumvis adſit Sacramentum Pœnitentiæ, tamen ſint tot Chriſtiani, qui damnentur. Venerabili Servo DEI Patri Joanni de Teſſeda, Ordinis Sancti Franciſci, ùt legitur in vita Sancti Petri de Alcant. l. 2. c. 28. DEUS revelavit, quòd maximus numerus Chriſtianorum damnetur, & dixit illi pariter cauſam; quæ ſunt, nimirum malè peractæ confeſſiones.

Ob

Oh quàm timeo, nè repetat DEUS in nobis eam ipſam querelam, quam de ſuo populo facit per Jeremiam Prophetam cap. 8. v. 6. *Attendi, & auſcultavi: nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci?* Ego conſidero corda; *Attendi:* & ubi eſt pœnitudo? ubi eſt dolor? Ubi eſt propoſitum emendationis? *Auſcultavi* confeſſiones: *Auſcultavi:* & ubi eſt puritas, ſinceritas, integritas ſinè vitiis, & mendis, ſinè excuſationibus? Non eſt, qui abhorreſcat ſincerè, & veraciter ſua peccata; qui illa examinet, illa ponderet, illa plangat, & defleat. Non invenitur, qui pœnitens & dolens ſeipſum interroget: *Quid feci?* Quid egi? Quid commiſi? Et tamen, ſi hoc non facimus, perditi ſumus. VIII.

In Vita Miraculoſæ Virginis Sanctæ Agnetis de Monte Politiano hoc narratur apud Bollandum Tom. 2. cap. 4. die 20. Aprilis. Erat in Caſtro Proceni Caſtrenſis quidam, Sanctæ Virginis familiaris, ac Monaſterii Benefactor: qui cùm ſe ſuis orationibus ſæpiùs commendâſſet; nè periret is, pro quo tam acceptæ preces Domino fundebantur: ibi oranti talis fuit de eo viſio demonſtrata. Videbat enim Ancilla Chriſti, in quodam loco Inferni vacuo, dæmones parare horribiles pœnas, ignem accendere, ollas ſuperponere, & inſtrumenta ad tormenta inferenda colligere: quæ cùm à Domino peteret, pro quo tam horrenda ſupplicia pararentur; reſponſum eſt ei, quòd pro illo Caſtrenſi, pro quo ipſa Dominum toties precabatur. Ad quam reſponſionem illa, tota igne charitatis accenſa, & compaſſionis, cauſam tam diri ſupplicii inquiſivit, ut poſſet, antequam moreretur, per ſufficientem correctionem illum à tantis liberare periculis. Cui rurſum reſponſum fuit, quòd idcirco pœnas tam immanes mereretur, quia triginta annis continuis nunquam fuerat per veram Confeſſionem à peccatorum nexibus abſolutus. Quod illa audiens, diligenterque notans, poſtquam ad ſe rediit; ſtatim dictum Caſtrenſem per feſtinum advocavit nuntium. Qui cùm ſinè mora veniſſet, cauſamque tantæ feſtinationis quæritâſſet; illa, ſermone charitatis pleno, prædictam ei viſionem enarravit, ac dulcibus verbis ad Confeſſionem inducens, advocato Presbytero ſtatim cum purè, & humiliter confiteri fecit. Poſt quam Confeſſionem idem Vir poſt breve tempus infirmitate correptus, ad extrema perductus eſt. Cujus Animam Sancta Virgo, in ſuo Monaſterio poſita, vidit de corpore IX.

egredientem, ab æternis incendiis, ſibi priùs oſtenſis, ſuis meritis, ac virtute Confeſſionis ſalvatam: quod cum Sororibus nuntiâſſet, illis de infirmitate ſcientibus, ſed de morte penitùs ignorantibus, poſt modicum adfuit Nuntius, qui dixit, illâ horâ, quâ Sancta Virgo dixerat, ipſum omnino vitam finiviſſe.

X. Ah quot ex iis, qui me nunc hic audiunt, jam præparabuntur cum omni feſtinatione, loca in inferno ob malas Confeſſiones, quas hucuſque peregerunt, aut etiamnum peragunt? Ah cæcæ Animæ aperite oculos! ut per unicam bonam confeſſionem reliquas omnes emendetis, vos ex inferno liberetis, & lucremini æternam gloriam.

INSTRUCTIO V.

De Neceſſitate, Examinis Conſcientiæ, & cum quanta diligentia ſit faciendum.

1. MAgnum medendi principium eſt, cognoſcere occultum damnum. Incipit Medicina ex notitia infirmitatis, dum vult prodire cum lucro felici ſanitatis; nam exploratô, & cognitô malô, medium certamen ſupereſt ad vincendum. Etiam inter Gentes dantur, qui, neſcio an in confuſionem, vel conſolationem Chriſtianorum dicam, contra maximum animæ malum medicinam certiſſimam quaſi digitô demonſtrant. Loquitur Seneca (Epiſt. 28. loqui putes ipſum S. Paulum) *Initium ſalutis notitia peccati, qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult; deprehendas t oportet, antequam emendes.* Eja igitur; erige contra teipſum intrà cor tuum tribunal: *Ideo, quantum potes, teipſum argue.* Indaga, examina, quære intra teipſum tuos errores, tuas culpas, & tua delicta: *Inquire in te*; & faciendo primùm officium Accuſatoris, fac poſtmodum etiam illud Judicis; *Accuſatoris primùm partibus fungere, deinde Judicis. Aliquando te offende*: diſcute teipſum cum temetipſo. Et hoc eſt initium ſalutis? Ità eſt. Ecce hoc ipſum eſt Examen Conſcientiæ, quale nobis eſt per omnia neceſſarium pro lucranda in Sacramento Pœnitentiæ gratia. Per ſimile examen diligens,

gens, attentum, ſolicitum, debet incipere cognitio peccatorum; Noſtrum remedium: *Initium ſalutis notitia peccati.*

II. Accidit quandoque, quòd abſorptus in ſua venatione venator ex uno ad alterum montem ſe conferat, & quando ità attentiſſimus ad feram, & intentiſſimus ad prædam eſt, videt ſe in duplicata nocte, tempeſtatis nimirum, & tenebrarum; jam itaque impeditus ab umbris, dubius de viis, neſcius itineris, timidus de præcipitio, perplexus jam in ſuo greſſu, ambiguus in pavoribus, tandem ad inimicum lumen fulminis, advertit inter tenebras deſtructa rudera alicujus antiqui ædificii, & immediatè, ſervientibus illi manibus pro oculis, ſumma cum induſtria rigidos ſentes removet, obvios arborum ramos excutit, denſiſſimáque dumeta penetrat, ut ad collapſam molem pertingere, in ea deliteſcere, ſéque infortunato hoc tecto tegere poſſit, quod vel ipſa vetuſtatis, aut ruinæ forma formidabile reddere deberet. Ibi non plumas petit; ſed inconſideratè admodum duram, ſaxeámque culcitram, etiam pro deliciis admittit, & duris lapidibus libenter, & ſuaviter indormiens, ex laſſitudine protendit corpus, dat cordi requiem, dormit incurius, atque, quin ſe vel verteret, integram noctem dulciſſimè tranſigit, ne quidem de aliquo periculo ſomnians. Tandem illuceſcente die, ac ſplendore ſolis ejus oculos aperiente, videt ſe circumdatum, Eheu! hìc à tortuoſis viperis, ibi à venenatis ſcorpionibus, illic à ſeveriſſimis Leonibus, atque aliis id genus, animantibus pluribus. Ex una parte videt evigilantem furioſam tigrem, circumſpicit, & videt ex altera erigere ſeſe feriſſimum draconem; ac eo ipſo momento, qui taliter incurius dormierat, conſternatur plenus horrore, currit, fugit, & magis propter ſeipſum, quàm propter ſpelæum cor illi palpitat præ timore, hæret reſpiratio præ horrore. Nunc ô homo! dicerem ego illi, tot horas in tranquillo ſomno tranſegiſti, & modò tantam feſtinationem adhibes ad fugam, quis te fecit incurium adeò, & negligentem in tanto periculo? Ignorantia periculi. Quis te nunc facit tremere in periculo? Cognitio periculi. Propter quid trepidas? propter illud, ait, quod video. Ergóne animadverſio, & viſio conflârunt modò totum, ac omne iſtud venenum? Non, reponit, ſed procuraverunt advertentiam; Atque ideo gratiæ ſint luci, quæ mihi dedit viſum, ut tremore concutiar, & mihi præſtitit animadver-

ſionem, ut timeam. Talis eſt conditio peccatoris, ità res cum peccatore ſe habet. Non dixi hoc, quod contingit illic in montanis Mauritaniæ, non; ſed illud, quod evenit peccatori, qui oberrans in nocte ſuorum peccatorum dormit, & requieſcit incurius in ſpelunca viperarum, in cubili draconum. Cujus propria Conſcientia, cujus propria Anima: *Habitatio dæmoniorum eſt:* Et in hac caverna horribili dormit ſummè incurius, uſquedum tandem aliquando intret lumen Divini auxilii, ac ipſe aperiat per diligens examen interius ſuæ animæ oculos, ſua damna videat, perpendit quanta ſint ſua pericula; & attonitus, & conſternatus currit immediatè quærere cum dolore in confeſſione medelam: *Tunc*, dicit Sanctus Gregorius Magnus, *tunc culpas plangimus, cùm penſare cœperimus; ſed tunc ſubtiliùs penſamus, cùm ſolicitiùs plangimus*; hucuſque Magnus iſte Sanctus Doctor.

III. Eſt igitur examen conſcientiæ primus gradus, requirens primariò magnam diligentiam, quam debemus adhibere, & omnimodè neceſſarius pro Sacramento Pœnitentiæ. Debet anima in ſeipſam deſcendere, & ſeipſam conſiderare: debet ab ultima confeſſione bene facta percurrere ſuum ſtatum, ſuas occupationes, ſua exercitia, & notare in memoria omnia peccata mortalia, quæ ab illo uſque tempore commiſit, vel cogitatione, vel verbo, vel opere: *Vide vias tuas; ſcito quid feceris*, Jer. 2. v. 23. reduc tibi in memoriam tuas vias, recogita tuos actus, perpende tuas actiones. Non ſufficit igitur confiteri in genere, & prout dici ſolet obiter, & in confuſo: Accuſo me, quòd ſim magnus peccator, quòd ſint multæ, & graviſſimæ meæ culpæ. Non ſufficit hoc, quandoquidem DEUS illas quàm optimè, & quidem numeratas in Divina Sacramenta retineat, cum omnibus circumſtantiis aggravantibus, & ſpeciem mutantibus. Illic Job dicit c. 14. v. 16. quòd DEUS omnes ſuos greſſus numeraverit: *Tu quidem greſſus meos dinumerâſti:* & quòd ejus peccata habeat aſſervata, prout in aliquo ſacculo aſſervantur pecuniæ: *Signâſti quaſi in ſacculo delicta mea*, Job. c. 14. v. 17. Quaſi in ſacculo? Ità eſt. Notate; quis eſt, qui injiciat in ſacculum pecuniam non numeratam? Imò multò plus: in ſacculum, mille ſcuti capientem, non ſolum intrat numerus determinatus: *Signâſti*; ſed ibi inveniuntur omnis generis pecuniæ, floreni, medii floreni, imperia-

periales; Et omnes istæ pecuniæ, dum numerantur, cognoscuntur, & ab invicem distinguuntur. Ità pariter dicit Job, non solùm numerum meorum peccatorum, sed etiam sicut in pecuniis pondus, & qualitates, ità habet DEUS asservatas etiam circumstantias aggravantes, & species mutantes peccatorum meorum.

Jam sic ergo in confessione tenemus necessariò confiteri non so- IV.
lùm numerum peccatorum, sed etiam illas circumstantias, unde variantur species nostra peccata: inde sequitur, dicit Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum, nos debere priùs ante confessionem prævidere illam per diligens examen conscientiæ, ità ex toto necessarium, ut si istud examen intermittatur, vel ex culpabili negligentia, vel ex malitia, vel, quod est magis ordinarium, ex ignorantia crassa, & affectata; volo dicere, ob ignorantiam illius, quod omnis Christianus tenetur scire sub peccato mortali, ob ignorantiam Doctrinæ Christianæ, ob ignorantiam, & insciam Præceptorum, confessio taliter facta sinè examine est nulla, est sacrilega; & locò remissionis peccatorum, quod in illa obtineri debuisset, accrescit illi novum sacrilegium. Oh DEUS! post unum annum integrum, in peccatis transactum, & post totalem oblivionem DEI, venire ad confessionem non præmisso examine sinè omni reflexione supra peccata, qualis pœnitentia? Est sacrilegium, & causa damnationis iis omnibus, qui taliter indispositi ad confessionale accedunt. Et illi, qui forte taliter confessi sunt, sciant, quòd si salvari velint, debeant reiterare, & repetere omnes confessiones factas sinè prævio examine, quia omnes sunt ejusdem conditionis, ac si voluntariè voluissent tacere peccata. Bene ego scio, Confessarium debere adjuvare Pœnitentem, prout erit major, vel minor ejus capacitas; sed hoc intelligitur ubi ex sua parte Pœnitens fecerit suam diligentiam, & studuerit memoriæ imprimere sua peccata; At verò venire solummodo cum confidentia in hoc; *Interroga me Pater*; quomodo respondebitis ex improviso ad interrogationem de illo, quod feciſtis, vel cogitâstis ante octo, vel decem menses, vel planè integrum annum? *ferè impossibile est*; dicit noster Eximius Suarez in 3. p. d. 72. S. 10. Confessarius nec scit vestras inclinationes, nec vestros mores, nec quo modo, nec in quibus occasionibus vivatis, jam quomodo vultis, ut ille sciat, & tangat innumerabilia abscondita,

& latibula, quæ occultat cor humanum? In aliquo cænaculo, in aliquo promptuario penitus obſcuro, pleno omnimodis diverſis rugis, vaſis coquinariis; domeſticus, quique, qui ibi habitat, & ibi permanet die, & nocte, etiamſi in tenebris illuc intret, incedit, de conſuetudine, & abſque eo, quòd impingat, eò, quòd jam ſciat, ubi quælibet res locata ſit, licèt cum aliquo labore, illam arripit. Quodſi autem intret ità in obſcuro aliquis, qui illuc nunquam intraverat, nec unquam quidquam viderat; poteritne ex ſignis, quæ illi dantur, quamlibet rem palpando extrahere. Neutiquam: ſic pariter nec Confeſſarius poterit augurari, & conjectare latentes in conſcientiis veſtris culpas. Et ſanè, de quibus inparticulari interrogare, aut conjecturam facere debeat, cum hæ tam variæ eſſe poſſint? Ite in aliquam officinam ſic in tenebris, interrogate: hiccine eſt illa aliáve res? Oh DEUS! Nunquam finis eſſet, ſi deberent quæri, & extrahi taliter cœco modo res, quæ ibi eſſe poſſunt. Jam ergo cùm in aliqua conſcientia perdita poſſint eſſe tanta, támque diverſa genera peccatorum, quomodo vos vultis, ut Confeſſarius interroget de quolibet, útque vos ei reſpondeatis ex improviſo? Iſtæ ſunt duæ difficultates, & quaſi duo impoſſibilia: Et Pœnitens, & Confeſſarius in labyrintho hærent, in tenebris, & obſcuro ambulant, alter alterum juvare non poteſt. Qui lapſus, quæ offendicula! Et in hoc repoſitum eſt negotium, in quo agitur de Anima. O cœcitatem incredibilem! utinam illam non experiremur omni ſeptimana Sanctâ. Bene ſcio, quòd Confeſſarius, dum vos narratis veſtra peccata, poſſit, & debeat vos adjuvare, interrogando de numero, quem omittitis, vel facilitando modum ex quo ille poſſit cognoſcere talem numerum, qui vobis videtur impoſſibilis, & Confeſſarius habet modos facillimos illum intelligendi. Bene ſcio, illum poſſe per examen, & interrogationes ſupplere circumſtantias, ſpeciem mutantes, & quas vos non dicitis; poſſe illum vobis magis declarare iſtud, quod vos in confuſo dicitis, vel ex hoc aſſumere occaſionem eruendi id, quod vobis convenientiùs eſſe poſſit. Bene ſcio: poſſe Confeſſarium vobiſcum Decalogum percurrere, delegit illius præcepti vobiſcum examen inſtituere; Sed ſi vos nihil recogitaviſtis, ſi nullum examen feciſtis, quid reſpondebitis? Et quid reſpondebitis

debitis DEO, quando vobis formaturus eſt in ſuo Tribunali quæſtionem de omnibus iſtis ſacrilegiis?

Ego jam de hac re cogitavi, & me examinavi, dicit alius, ſed nihil invenio; nihil habeo, quod confitear. Et quantùm temporis eſt, quòd non fis confeſſus? Integer annus. Et in uno anno non invenis quidquam in tua anima, quod poſſes confiteri? O miraculum virtutis! Meliùs dixero: Oh portentum brutalitatis! Oh monſtrum damnationis! Iſte eſt ſtatus infortunatiſſimus, in quem labi poteſt Anima, ut illam tali modo propria excœcet malitia: *Excæcavit illos malitia eorum:* Sap. 2. v. 21. Ut nec videat, nec agnoſcat ſua enormia peccata. Ego fateor, quòd ad tale reſponſum, quod ſæpius quàm quater jam audivi, tota mea tremat anima; videor enim mihi ad meos pedes quemdam damnatum videre. Poſt octo menſes, vel poſt integrum annum vitæ libertinæ, & licentioſæ, in qua genio indultum fuit, tranſactæ in converſationibus, & occaſionibus abſque omni fræno, abſque aliqua mortificatione, abſque ſcintillula amoris DEI, & forſitan etiam abſque minima memoria de altera vita, & de futura æternitate: poſt hæc omnia, inquam, dicere: *Non habeo, quod confitear?* Oh DEUS! Quid dicam? Quid ſentiam? Refert Seneca de una ex ſuis ancillis, Arpaſte dicta, illam cœcam fuiſſe, & cœcitatem ſuam ignorâſſe. Ideo conquerebatur domum eſſe obſcuram, quòd non aperirent feneſtras, quòd non accenderent candelas, rejiciebat à ſe, & recuſabat omnem ductorem, & non erat poſſibile illi perſuadere, nec illa poterat credere ſe eſſe cœcam. Hoc, quod illic cauſabat riſum, in multis peccatoribus eſt vel maximè deflendum; ſunt cœci, & hoc non agnoſcunt. Audite: ille qui ex luce intrat repente in aliquod cœnaculum obſcurum, eo ipſo puncto, quò intrat, nihil videt, experitur ſe eſſe quaſi cœcum, nihil ex omnibus diſtinguit: ubi verò pauliſper ibi remanſit, incipit jam diſtinguere picturas, jam videt omnem ſuppellectilem, & jam diſcernit omnes perſonas: ità res fieri ſolet. Ecce hoc ipſiſſimum vobis accidit in conſcientia, quam ità obſcuram habetis, ſicut aliquod ſpelæum Dæmoniorum. Ubi in illam ex improviſo intraveritis, nihil videbitis: ſed ſubſiſtite modicum, circumſpicite ſedulò, & videbitis deprehenſuros vos eſſe, in tali converſatione commiſi iſtud peccatum; in tali, & tali parte, in tali angulo obſcuro, in quo eram V.

per-

perpetravi hoc, vel illud ſcelus. Et ſic vel illa omnia, vel illorum partem maximam detegetis. Sed ſi veſtrum examen nonniſi præpropera aut feſtina admodùm inſpectio, & conſideratio veſtræ conſcientiæ fuit, ſi peccata veſtra nonniſi curſim, & perfunctoriè, ac ſine attentione inveſtigatis, dico denuo, quod talis confeſſio, facta cum tali examine, fuerit ſacrilega, & quòd non ſolùm teneamini vos rurſus examinare, & confiteri omnia illa peccata, quæ ibi tunc in confeſſionali ſubjeciſtis, ſed etiam teneamini confiteri hanc ipſiſſimam confeſſionem taliter factam. Oh quæ negligentia tam lacrymabilis, quæ, eheu! innumerabiles Animas inferno alligat. Atque ideo, quia nimirum ſtatum conſcientiæ noſtræ nonniſi obiter attendimus, quia ſupra peccata noſtra nos ſeriò non reflectimus, quia magnum illorum numerum, enormem illorum gravitatem, tantum leviter conſideramus, nec miſerabilem conſcientiarum noſtrarum conditionem ritè diſcutimus, ideo, inquam, confeſſiones fiunt tantum in ſpeciem, ſimulatè in conſuetudine, ſinè dolore, ſinè propoſito, & hæc cauſa eſt, quòd Animæ locò emendationis pejorantur in hoc Sacramento: *Non eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci?* Non eſt, qui agat pœnitentiam, lamentatur Dominus per Jeremiam Prophetam cap. 8. v. 6. non eſt, qui doleat de peccatis ſuis ponderando ſecum: *Quid feci?* Quid eſt illud, quod feci? Quod commiſi? Et non cognita turpitudine peccatorum, eò quòd nec inſpiciantur, nec ponderentur, quid ſequitur? Fieri nos omni die pejores, & tandem fieri peſſimos: *Hoc nos peſſimos facit*, dixit Seneca epiſt. 83. nullo habito lumine fidei, *hoc nos peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit.*

VI. Cùm ergo deficiente omnino examine, confeſſio ſit ſacrilega, talis pariter eſt quando examen eſt tam leve, tam exiguum, tam præproperum. quale itaq; debet eſſe iſtud examen? Debet eſſe diligens, ſedulum, præmeditatum: tribus vicibus hoc nobis repetit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. prima vice: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri; etiamſi occultiſſima illa ſint -- poſt diligentem*, dicit, *diſcuſſionem*, debet ergo examen eſſe diligens; repetit ſecunda vice: *Poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explora-*

verit

ploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit. Et per hoc monstrat quàm debeat esse solicita diligentia scrutando omnes sinus conscientiæ, explorando omnes latebras, sinè omni conniventia; *Sinus omnes, & latebras;* repetit tertia vice; Can. 7. Sess. eadem: *Singula peccata, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habebatur,* atque hic demonstrat attentionem præmeditatam, qua unum peccatum post alterum recogitare debemus, & præmeditari. Oh DEUS, quæ cura hujus Concilii! Inde postmodùm conveniunt omnes Doctores, Navarr: in cap. Fratres de pœn. Dis. 5. à n. 66. Castropal. Laym. Suarez &c. Diligentiam hanc in examine debere esse tantam, quanta illa foret, quam adhiberemus in negotio magni momenti, in quo vobis multum esset positum. Dum filiam vultis nuptui dare, quales dispositiones non præmittitis? Quas interrogationes? Quas informationes? Quos discursus? Circa commodanda decem vel viginti millia florenorum, quæ priùs fiunt diligentiæ? An pluris sit assecuratio? An adsint debita priora? An non adsit deceptio? Pro lucrando aliquo magno majoratu, quæ antiquitates non evolvuntur? quæ descendentiæ, quæ arbores, & rami familiæ, quæ jura? Ecce autem majoratus, census, filia, omnia hæc unita, oh quantâ utilitate, & emolumento superantur ab hoc negotio examinis conscientiæ. In hoc agitur, ut vestra Anima fiat sponsa JESU Christi; agitur, ut reponatis censum gloriæ in proventum æternum: agitur ut lucremini majoratum DEI. Oh quàm bene collocata cura, oh quàm bene impensa diligentia.

Ego hac de causa jam video susque déque conturbatas non pau- VII.
cas animas timoratas, quibus jam videtur, quòd non fuissent bene confessæ, & quòd non adhibuerint requisitam diligentiam in examine, & idcircò semper sunt anxiæ, nunquam credunt sibi satisfieri, reddentes suis vanis timoribus odiosum, & grave istud amabilissimum Sacramentum. Intelligant igitur me scrupulosi. Certum est primò, hanc diligentiam debere esse circa peccata mortalia, quæ sunt illa, quæ confitendi obligationem habemus. Hinc, qui per gratiam DEI, non invenit in Anima sua peccatum mortale, etiamsi nullum aliud faciat examen, hoc sufficit. Certum est secundò, hanc diligentiam non debere esse nimiam, sed prudentem. Nemo enim

obligatus est, ut semper magis & magis, quantò magis, & magis poterit, recogitet; Non. Oh si ego recogitarem adhuc una hora, dicit scrupulosus, forsitan invenirem alia, & alia peccata. Non es obligatus ad hanc horam. Dicit alius: Ego habeo exiguam memoriam, & idcircò vellem scribere mea peccata. Non es tu, neque ullus alius, ullo modo, ut ità dicam, obligatus, tua scribere peccata; intelligo hoc de confessionibus ordinariis, non item generalibus, aut talibus, in quibus fortè peccata præ nimia sui copia facilè memoriâ retineri non possint. Certum est tertiò; DEUM nos non obligare in isto Sacramento ad confitenda omnia peccata, quæ commisimus, sed solummodo ad illa, quorum recordamur peracto diligente examine; & si aliquorum obliviscimur, ab illis tamen absolvimur, & illa nobis remittuntur (ut Theologi loquuntur) indirectè, & solummodò nobis remanet obligatio illa confitendi, si postmodum illorum recordati fuerimus. Ab his absolvimur? Ità est. Sufficiétne, si hoc vobis dixerit Concilium? Ecce ità vobis hoc dicit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. Nunc ergo, quæ anxietates sunt istæ, unde non paucæ animæ affliguntur, quòd oblitæ fuerint unius vel plurium peccatorum? Vanæ sunt & inanes. Ac valdè ego timeo, nè super hoc perplexæ & anxiæ, nè aliquid omittant, obliviscantur omninò doloris, & contritionis; sicque ex hoc capite ex defectu nimirum doloris confessio fiat sacrilega.

VIII. Certum est ultimò, diligéntiam in examine non obligare omnes æqualiter, sed major vel minor diligentia requiritur juxta prolixitatem temporis, à quo quis confessus est, secundùm frequentiam culparum, secundum pericula, negotia, & occasiones, in quibus quis versatur, secundùm capacitatem, secundùm modum vivendi. Qui tertio die confitetur, vel omni octiduo, quis non videt talem non egere tanto examine, quanto opus habet is, qui post integrum confitetur annum. Camera, quæ omni die scopis mundatur, multò velociùs purgatur, quàm illa, quæ per integrum non fuit purgata annum; quia ibi multa everrenda sunt. Aliqua mulier, quæ solummodo habet in recollectione suæ domus, in familia, & in suis devotionibus suas honestas distractiones & occupationes, minus habet examinandum, quàm aliquis Judex, quàm aliquis Scriba, Procurator inter gravia negotia, & quidem omnia periculosa. Exiguus pe-

pecten ſufficit illi, qui paucos portat capillos, pro eisdem criſpandis; ſed illi capilli ficticii tam denſi, quorum pro nunc uſus floret, majori indigent pectine. Qui vivit ſolicitus de ſua Anima, ſubducendo ſe occaſionibus peccaminoſis, minùs ſinè dubio habet, quod cogitet de examine, quàm qui vivit diſſolutus, conjiciendo ſe ſinè reſpectu in omnia pericula. Dealbator telæ vel panni levi brachio lavabit ſuas manus; & non tam facilè ſuas lavabit aliquis faber; quandoquidem unus aquam tractat, alter carbones. Idcircò quilibet ſecundùm ſuum ſtatum *ſcrutemur vias noſtras, & quæramus, & revertamur ad Dominum*, dicit nobis Jeremias Propheta Thr. c. 3. v. 40. Examinemus nunc noſtros greſſus, ſcrutemur noſtras vias; quòd ſi enim pro nunc, per diligens examen, nihil nobiſmetipſis conniverimus, liberabimus nos à damnatione in illo terribili judicio DEI: *Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, 1. ad Cor. 11. v. 31. O Anima, quam ſententiam velles tunc, quando DEUS tibi ad faciem poſuerit omnia tua peccata? Tu nunc es tuus judex, profer tuam ſententiam. Si hic tibi nihil condonas, nihil diſſimulas, ſi omnia cum dolore confiteris, ibi tibi totum condonabitur. O quàm momentoſa conſideratio! ceſſura nobis vel maximæ conſolationi, ſi eâ bene utamur, vel ſummo horrori, ſi eam pro noſtro commodo applicare neſciamus. Attenti eſtote; nam hic concutiuntur & contremiſcunt Viri Sanctiſſimi.

Refert Sanctus Joannes Climacus in Scala Cæli gra. 70. habitâſſe (X.
in Monte Sinai quemdam Monachum prodigioſæ vitæ, dictum Stephanum; cujus admirabilis auſteritas ſpeculum erat omnium vicinorum Anachoretarum. Erant lacrymæ ejus continuæ, jejunia perpetua, lectus ejusdem nudi lapides, & conſolatio illius ſanguineæ diſciplinæ. Ità vixit, factus portentum Pœnitentiæ per ſpatium quadraginta annorum. Corripuit deinde eum infirmitas ultima, & jam proximus morti, cùm eidem quidam Monachi aſſiſterent, repentè cœpit monſtrare maximas anxietates. Reſpiciebat nunc ad hanc, nunc ad alteram partem ex ſuo lectulo, acſi plenus timore præſentis aliquid ſpectri videret, quod ſuum ad ſe cor raperet. Et poſt modicum temporis, dixit: *Ità eſt, hoc ego commiſi, ſed hoc ipſum confeſſus ſum, & jejunavi tanto tempore pro iſto peccato.* Rurſus obmutuit, loquendo ſolùm per ſigna ſuarum anxietatum, &

poſtmodum dixit: *Mentiris, mentiris, hoc ego non feci.* Iterum tacuit, & paulò pòſt iterum: *Verum eſt*, ait, *hoc etiam feci, ſed egi pœnitentiam pro hoc tanto tempore.* Et hoc dicto aſpiciebat fixè in unam partem, nec mitigabantur ipſius anguſtiæ; circumſtantes verò manſerunt omnes attoniti, uſquedum ultimò dixiſſet: *Ità eſt, hoc commiſi, & non habeo quod reſpondeam, niſi quod confidam in miſericordia DEI.* Et hoc dicto exſpiravit, relinquens adſtantes dubioſos, an ſuam obtinuerit ſalvationem.

X. Jam ſi hoc accidit homini quadraginta annorum vitæ tam auſteræ, quid ille ſperat, qui taliter non vivit? Præoccupemus igitur hoc judicium per examen noſtrarum conſcientiarum. Nihil nobis condonemus in noſtro tribunali, pro conſequenda gratia, ſi in Tribunali Divino volumus conſequi gloriam.

INSTRUCTIO VI.

De Modo, qualiter debeat fieri Examen Conſcientiæ.

I. QUænam res erit illa, quæ, quo tempore nobis viciniſſima eſt, eò ipsò tamen à nobis longiſſimè diſtat? Quænam res erit illa, quæ cum ſit ità nobis unita, ut nec quidem unicum à nobis punctum illam ſeparet, tamen etiam eo ipſo tempore ità diſtet, ut totus mundus intermedius à nobis illam dividat? Quænam erit? Nónne vix illam divinabitis? Eandem rem eodem tempore nobis proximam, & ſimul à nobis remotiſſimam eſſe, ſunt duo extrema oppoſita. Eandem rem eodem tempore nobis unitam, & ſimul à nobis diviſam eſſe, ſunt termini repugnantes. Quid ergo hoc erit? Itaque quamvis habeatis illam tam vicinam, quia tamen eam non tangitis, audite me illam vobis dicentem ex Sancto Gregorio Magno, cujus hoc ænigma eſt, 26. Moral. c. 23. apud Corn. in cap. 46. Iſa. v. 8. *Quid vicinius eſt nobis corde noſtro?* (hoc quiſque optimè advertit, cum ſit intrà pectus noſtrum) *& tamen cùm per pravas cogitationes ſpargitur, à nobis cor noſtrum longiùs evagatur.* Ah cor humanum! quod homini vicinum es pro ſuo damno, longè ab ipſo abes pro ſuo commodo! quod conjunctum pro affe-

afferendis malis es, longè distas pro quærendis remediis ! *Redite prævaricatores ad cor*, vociferatur ad nos DEUS per Isaiam cap. 46: v. 8. Redite errantes, redite perditi, redite deviantes. Et quò? Ad vestrum cor. Longum iter, grandis distantia, difficilis via. Ità est; talis videtur Examen Conscientiæ illis, qui longinqui & procul vivunt à propria manu. *Mali ubique sunt, præterquam secum*, dixit Seneca. Sed hoc, quod longum videtur iter, est tam facile, est tam vicinum, quantùm est intrà cor: *Redite prævaricatores ad cor. Redeamus*, dicit Sanctus Bernardus, *redeamus ad cor nostrum, & discutiamus conscientiam nostram.* Et cùm ex scientia cordis sumpserit suum nomen conscientia (*conscientia enim est cordis scientia*) qualem conscientiam habet, qui transigit vitam sinè scientia suæ Animæ?

II. Jam dixi, quanta sit necessitas hujus Examinis conscientiæ, & quanta debeat esse illius solicitudo & diligentia. Restat nunc, ut monstrem modum quemdam, practicum & facilem, quo debeamus facere istud tam necessarium, quàm fructiferum, & utile examen. Estote attenti. Perversissimus error, ac crassissima ignorantia est, cogitare, quòd istud Examen Conscientiæ nihil sit aliud, quàm in memoriam revocare peccata, sicut fit de aliis rebus domesticis, & ordinariis; nullâ habitâ ratione, quòd in hoc negotio agatur de Anima, & salute æterna; Absque excitatione Fidei, considerando DEUM offensum; Absque excitatione Spei ad quærendam in Misericordia Divina condonationem; Absque ponderatione motivorum, quæ sunt in peccatis, ratione eliciendi doloris, pœnitudinis, & pudoris, seu verecundiæ. Videtur multis: Prævium Confessionis Examen leve admodum negotium esse, ac exiguum quoddam, & nullius æris ratiocinium: quódque, quemadmodum is, qui similem quamdam nullius momenti rationem, cujus summa fortè cura est, ut in hoc vel illo computu bene subsistat, super hac vel illa quæstione ritè respondeat, ineundam habet, ad hanc deponendam sese nonnisi obiter accingit, ità & ipsi ad peragendam confessionem nonnisi cursim, & perfunctoriè se disponere possint, sufficiátque, si discussio conscientiæ cum æquali diligentia præmittatur, nec debeat ultrà unam alteramque suprà commissa peccata reflexionem, major conatus adhiberi. Inde fit: quòd tali modo de nulla re ulteriùs co-

gitent, quàm quoties peccatum commiſſum fuerit, an hujus vel alterius modi fuerit; & his ad debitum numerum redactis, nihil ultrà curant, ad nihil amplius reſpiciunt. Equidem fateor hunc eſſe finem examinis. Nihilominus quomodo illud ritè fiet, quod fieri debet, ſinè recurſu priùs ad fontem ſuperni luminis, ut nos illuminet? Illa mulier Evangelica, quæ drachmam perdiderat, qualem priùs adhibuit diligentiam? tantúmne illam quæſivit? Nullatenus. Primum quod fecerat, fuit, quòd lucernam accenderit: *Accendit lucernam*; Luc. 15. v. 8. & immediatè accensâ lucernâ quæſivit drachmam; quia in obſcuro non eſt conſultum quærere. Jam cùm primus effectus ſit peccati introducere in animam tales tenebras, quæ nec ſinunt videre lumen, nec ipſum peccatum: *Sicut tenebræ oculos*, dicit Sanctus Auguſtinus in Pſal. 18. *ità delicta mentem claudunt, nec lucem ſinunt videre, nec ſe.* Infelices illæ tenebræ faciunt, prout hoc ipſum experientia demonſtrat, quòd, dum peccator cadit in frequentiora & graviora peccata, minùs illa videat, & minùs illa cognoſcat; *Multiplicatæ ſunt infirmitates meæ, & non potui ut viderem*, Pſal. 39. v. 3. Infelices iſtæ tenebræ, multoties occultant maxima peccata, modò palliolò neceſſitatis, modò prætextibus humanitatis, modò iterum larvâ pietatis, aut aliâ quapiam: *Delicta quis intelligit?* Pſal. 18. v. 13. Infelices iſtæ tenebræ tandem celant oculis Animæ peccata maximè enormia, & idcirco toties in Divinis Scripturis petitur à DEO lumen ad illa cognoſcenda: *Deus meus illumina tenebras meas*, Pſal. 17. v. 29. *Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte:* Pſal. 12. v. 4. Quia ſolus DEUS ille eſt, qui ex ſua infinita bonitate nos illuminat ad cognoſcenda noſtra peccata.

III. Primò ergo in faciendo Examine ſedulò attendere debemus, ut nos conſtituamus cum tota noſtra Anima ante ſolium Supremum noſtri Magni DEI, conſiderando nos ùt reos læſæ illius Majeſtatis Supremæ, quæ nos judicatura eſt. Oh quomodo talis memoria nos faciet tremere! *Reduc me in memoriam, & judicemur ſimul*, dicit nobis ipſemet DEUS per Iſaiam Prophetam cap. 43. v. 26. Pone me in memoriam, ego enim volo tecum judicari; judica me, & ego judicabo te. Judica me: in quo tibi defuerim meis beneficiis; & judicate quomodo mihi correſponderis tuis tantis offenſis? Ah qualiter

ter hæc cognitio DEI, cui omnia patent, qui omnia videt, nos diligentes faciet! *Quis mihi tribuat*, dicebat Job cap. 23. v. 3. *ut cognoscam, & inveniam illum, & veniam usque ad solium ejus.* Oh utinam ego cognoscerem, prout debeo, DEUM, & pervenirem ante solium ejus! Illic in ejus præsentia, in oculis ejus, in conspectu ejus faciam meum examen, formabo meum judicium: *Ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus*; ibid. v.4. Taliter igitur mentaliter ante DEUM constituti persolvamus eidem primariò gratias infinitas pro suis inexplicabilibus beneficiis; & postmodum illum deprecemur, quatenus nostras illuminare dignetur tenebras, & conferre plenam cognitionem omnium nostrorum peccatorum, illorum gravitatem & numerum, & circumstantias: *Quantas habeo iniquitates, & peccata? scelera mea & delicta mea ostende mihi:* Job. 13. v. 23. O amantissime DEUS, Dominéque Animæ meæ, illumina intellectum meum, ut videam, & cognoscam omnia peccata mea; tali modo, quo illa debeo confiteri. Ità orabat ferventissimè Beata Veronica de Binasco, & consecuta est talem gratiam, ut nunquam accesserit Sacramentum Pœnitentiæ, quin ei Dominus priùs monstravisset omnes suas imperfectiones, & peccata, quoties illa, & qualiter commiserit, & qualiter ea deberet confiteri.

IV. Beata Margaretha de Cortona, etiam postquam jam se plurimùm virtuti dedisset, tantúmque propemodum in via perfectionis profeciisset, ut ei frequentius Christus apparuerit, advertit, quòd illam Dominus semper *Pauperculam* nominaret. Interrogavit Beata, quare se non vocaret *Filiam*? & dixit ei Christus, quòd hoc fiat ob quædam peccata, quæ cum diligentia examinare omiserat. O Domine, exclamavit illa, Tu ergo, qui es lux vera, quæ destruis tenebras; Tu qui omnia vides, & coram quo nihil potest abscondi, monstra mihi omnia peccata, quæ in corde meo sunt, ut ego illa per bonam confessionem generalem lavem, & tollam. Vix istam peregerat orationem, statim vidit præsentia oculis suæ Animæ omnia peccata, quæcunque fecerat in sua tota vita, cum tanta claritate, ut nec unica quidem cogitatio ipsam celata permanserit, Confessa est illa omnia cum plenissimo dolore; & apparens ei postmodum Dominus nominavit illam *Filiam*. Quo solummodò verbô audità, tantâ fuit ejus anima voluptate ac lætitia perfusa, ut jamjam

mori

mori visa, pérque diem integrum extra se rapta, ecstasin passa fuerit. Non dico, ut quæramus miracula; hoc tamen dico, quòd, si volumus bene facere examen, priùs recurrere debeamus ad DEUM, orando, & deprecando illum humilibus precibus, quatenus nos illuminare dignetur.

V. Sequitur postea, ùt discurramus ab ultima confessione bene facta per illa loca, occupationes, exercitia, in quibus viximus, & conversati fuimus; eò modò, quo ille facit, qui perdidit ad mantem aliquem, qui ex annulo ei excidit. Hic omnium primò ad locum, in quo factam esse amissionem opinatur, attentus, ad hunc inveniendum perpendit in memoria ocyùs, quando illum habuerit in digito; & postmodum se reflectit, ubi fuerit, ubi transierit, quò pervenerit, & ibi illum quærit. Ità pariter tibi discurrendum est per loca, personas, & officia, per quæ transis. Inde per tuas inclinationes, per tuas occasiones, per tuos mores, & si sufficiens tempus adest, necessarium est decurrere per quodlibet Præceptum DEI, & Ecclesiæ, notando in quolibet illorum hoc, cujus te conscientia mordet, quódque admisisti contra DEUM, contra Proximum, & contra teipsum, cogitationibus, verbis, & operibus. Attamen dantur etiam peccata, ùt in sequentibus Instructionibus insinuabo, quæ quemadmodum in ipsa confessione, ità etiam in Examine voluntariè, ac deliberatè intermitti, negligi, ac præteriri possunt. Non possum verò hic multùm me detinere, ac integrum peccatorum Elenchum, seu conscientiam examinandi methodum apponere: Dantur etenim pro hoc sufficientes libelli, ut per illos memoria adjuvetur, & inde hoc excerpatur, quòd, quilibet in se reperit; qui tamen nonnisi cum grano salis, ac maturo judicio legendi, & adhibendi sunt. Est enim casus notissimus, & illum refert noster Paulus Barry: confitebatur generaliter quædam Virgo, & dicebat per quodlibet Præceptum peccata tam gravia, ut ratione ætatis, & virtutis, quam cognoscebat in illa Confessarius, hic adverterit illam non posse ea commisisse. Tacuit nihilominus, & perseveravit eam audire, usquedum post multum spatium temporis finierat suam narrationem. Tunc demum dissimulans suam grandem admirationem, quomodo Filia, dixit illi, tanta peccata commisisti? Ah, Pater mi, repositit illa, ego non feci ista peccata, nec DEUS hoc admittat, sed me à simi-

similibus præservet. Quare ergo illa confiteris? Quia, repositi, ità illa inveni scripta in meo libello. Unde fuit necesse illam de novo confiteri illud, quod fecerat, & cujus recordabatur, quod erat valdè exiguum.

VI. Jam ergo nunc reducitur examen ad tria potissimùm puncta, quæ in peccatis attendi & considerari debent: Primum est, illorum gravitas; Secundum, illorum numerus: Tertium, illorum circumstantiæ. Ità procedit Divina Justitia quoad castigationem; per numerum, pondus, & mensuram: *Omnia in mensura, numero, & pondere dispositi*, Sap. 11. v. 21. Taliter igitur debet procedere nostra justitia contra nosmetipsos quoad remedium; per pondus apprehendendo bilancem pro ponderanda gravitate peccatorũ. Sumus idcircò obligati examinare omnia peccata mortalia non confessa; *Mortalia*, dixi, *& non confessa*; quia peccata mortalia jam bene confessa, etiamsi nobis occurrant, non est obligatio rursus confitendi, excipe: nisi foret, quòd non fuerint bene confessa, quia tunc confessio fuisset nulla & sacrilega; vel: quia daretur dubium rationabile, an fuerint confessa, vel non: nam in tali dubio rationabili denuo confitenda sunt. Dubium rationabile verò illud voco, quod est cum fundamento, non illud meræ inquietudinis, & scrupulorum. Hinc illi, qui scit, vel quòd semper adhibuerit omnem suam curam in confessione bene facienda, vel quòd nunquam tacuerit culpam ex malitia, vel quòd in more habuerit frequenter confiteri, vel quòd fecerit aliquam, vel aliquas confessiones generales, in quibus post bonum examen remansit in conscientia quietus, sufficiunt ista fundamenta, ut deponat sua dubia, & omittat peccata præterita repetere in confessione. Debet ergo examen fieri de peccatis mortalibus non confessis. Et si est in dubio, an hoc vel illud, quod de se & ex genere suo peccatum grave foret, fecerit, vel non; vel an hoc, vel illud fuerit peccatum mortale, nec ne; in hoc dubio debet simile peccatum dubium confiteri. Non adest ergo obligatio examinandi peccata venialia, & multò minùs computandi illorum numerum; siquidem, etiam tunc quando quis illorum recordatur, non habet obligationem illa confitendi. Laudo tamen istam curam in piis, teneris, ac timoratis conscientiis; sed sit illa sinè tanta industria & solicitudine, ut defectus non fiat in devotione magis necessaria:

in dolore forsitan, & in proposito, occupando se in simili turbatione inutili. Equidem laudabilissimum est, & maximè proficuum, ut confiteamur peccata venialia; sed eligite pro vestro arbitrio illa, quæ majorem vobis confusionem adferunt; & non multùm vos molestetis circa numerum. Sanctæ Catharinæ Senensi dixit Dominus, nè se multum detineret in examinanda qualibet cogitatione inhonesta, eò quòd hoc periculosissimum sit, & velut à pice, si hæc multum tractetur, facillimè quis inquinari possit.

VII. Sed quomodo dices, ego cognoscam illud quod est peccatum mortale, & illud quod est peccatum veniale? Bona & prægnans interrogatio: dicam breviter, quod in longum & latum expendunt gravissimi Doctores; & exinde capite, quantum potestis. Peccatum veniale potest ex triplici capite esse tale: Primò: ex sua natura, quia lève est, & parvi momenti in se & in eo, quod respicit; sicut aliquod verbum otiosum, unum leve mendaciolum, quod nec repugnat graviter rationi, nec DEO, nec Proximo, sicut nec ipsi mentienti. Huc reducuntur excessus leves nostrarum passionum, quando sunt de re non mala, sed indifferenti; prout sunt excessus in cibo, in potu, in ira, in timore, in tristitia, desiderium honoris, laudis, majorem opinionem de se præbere, &c. Hæc, & similia sunt peccata venialia ex sua natura. Secundò, potest aliquid esse peccatum veniale ex parvitate materiæ, ratione cujus non violatur graviter Præceptum, quod illam prohibet, ùt est furtum medii grossi, laborare per horam die Festivo, &c. Sed advertendum est in peccatis, quæ directè DEUM respiciunt, quòd hæc, quantumvis materia in se levis, & parva esse videatur, semper habeant gravem difformitatem; idcirco in istis non datur parvitas materiæ, sed semper sunt peccata mortalia; sicut in odio DEI, in infidelitate, in juramento cum mendacio. Tertio denique est aliquid peccatum veniale ex inadvertentia: quia, quantumvis materia sit in se gravis, nihilominus quia fit cum inadvertentia, non habitâ plenâ deliberatione, peccatum grave non committitur: e. g. qui semi-sopitus consentit alicui turpi cogitationi, qui cholericus, iratus, & extra se, evomit aliquam maledictionem, vel juramentum falsum sinè attentione.

Ex his jam cognoſcitur, quid ſit peccatum mortale. Eſt nempe illud, quod graviter opponitur Legi Divinæ, vel rationi, vel quod eſt in grave damnum proprium, vel Proximi. Sed ut ſit peccatum mortale, requiritur primò advertentia circa gravitatem, & obligatio illam advertendi; NB. ubi non excuſat ignorantia craſſa, aut affectata. Secundò, plena deliberatio intellectûs, cognoſcentis malitiam; Et tertiò, conſenſus voluntatis; & ſi quid horum deeſt, peccatum mortale non eſt; ſed ad ſummum, veniale. Et hac de cauſa, quantumcunque duret turpis repræſentatio, vel ſi per naturalem diſtractionem non advertitur ejus malitia, vel etiamſi advertatur, voluntas non conſentit, nec illam admittit, non adeſt in illa culpa mortalis. Et hæc de hoc ſufficiant. VIII.

Primitus igitur inſtituto taliter examine, cognitâque peccatorum qualitate (gravitate) incipiamus poſtmodum inquirere eorundem quantitatem, ſeu numerum: quem nonniſi prævie bene, ac præmeditatè diſcuſſum in confeſſionali exponere debemus; nec ſufficit tunc primùm, ubi ad pedes Confeſſarii jamjam proſtrati ſumus, ſuprà illum nos reflectere, aut ad hujus interrogationem, quidquid in buccam venerit, effutire. Atque inde timeo, nè millenæ confeſſiones, ratione hujus culpabilis negligentiæ nulliter & ſacrilegè fiant. Debet peccatorum numerus rigoroſè & exactè aperiri; & ſiquidem hoc nobis poſſibile non ſit, conjecturaliter ſaltem, & per terminos, *plùs minùs*. Ideoque, qui ſibi videtur commiſiſſe decem, vel duodecim perjuria, accuſet ſe de his, adjungendo: plùs minùs. Quòd ſi autem poſtmodum illi occurrat ea fuiſſe viginti, debet redire, ac denuo confiteri numerum, quem imminuit. Quòd ſi autem ob frequentem repetitionem peccatorum, vel ob depravatos mores, vel quia jam interceſſit longum temporis intervallum à quo ampliùs confeſſus non fuit, nullo poſſit modo determinare numerum; recogitet ſaltem quantùm temporis ſit, à quo confeſſus eſt, & quoties omni die, vel quoties quavis ſeptimana, vel ſaltem quoties quovis menſe ceciderit, & ſufficiet, ſi illum ſic confiteatur! Chriſtiani! bene advertite: hæc enim obligatio utut graviſſima eſt, tamen in ea ſolet ſæpiſſime contingere graviſſima negligentia; Et tamen noſtra inde dependet ſalvatio! Deinde: Eſt etiam error impetitiſſimus, ac peſſimè faciunt illi, qui in apponendo numero exorbi- IX.

tant, & pro majori, ùt loquuntur, ſecuritate, majorem adjiciunt illô, cujus recordantur, aut etiam majorem omnino, quàm reipſa commisêre. Error iſte eſt, & deceptio: Numerus debet eſſe talis, ac tantus, quantum nos commiſiſſe poſt diligens Examen, vel ſcimus, vel conjecturamus: & nec major, nec minor; quandoquidem ſicut habemus obligationem accuſandi nos de culpa commiſſa; ità pariter habemus obligationem, & quidem graviſſimam, nos non accuſandi cum mendacio de illo, quod nunquam commiſimus; unde augere numerum ſinè examine, non eſt, ſicut dicunt, ſe aſſecurare, ſed potiùs incurritur periculum, nè accuſando nos cum mendacio, ex hoc capite remaneat malefacta confeſſio.

X. Ultimò denique debent etiam in examine attendi ſpecies peccatorum; Volo dicere: dantur peccata, quæ, ſicut (inter alia diſtinctiva) à diverſis Præceptis diverſas rationes ſpecificas ſortiuntur, ità nonnunquam non cum uno tantùm, ſed cum pluribus conferenda ſunt: eò quòd illorum malitia pluribus quandoque præceptis &c. opponatur. Atque iſta ſunt peccata, quæ circumſtantias ſpeciem mutantes involvunt, & continent. Sic: Furatur quiſpiam gladium, cum intentione occidendi illô gladiô alterum, cujus uxorem hoc modo & medio concupiſcit; furtum illud aliunde de ſe eſt peccatum contra ſeptimum Præceptum; ſed cum malitia intentionis, & voluntatis, cui conſenſus conjunctus eſt, occidendi alterum, etiam eſt contra quintum, & ratione turpis finis, ac concupiſcentiæ, penes eſt contra nonum Præceptum. Jam ſicut in Amphiſibæna, ſerpente venenatiſſimo ac bicipite, non ſatis eſt amputare illi unum tantùm caput, quia uno reſecto, adhuc occidet altero; Item: ſicut in ſymptomate, quod ſequitur infirmitatem principalem, dicit Princeps Medicorum Galenus, debet reſpicere Medicus æqualiter ad unum, & ad alterum, quia valetudinis detrimentum ſubinde, quod non infert infirmitas, infert ſymptoma; ità debemus attendere in talibus peccatis, non ſolum ad culpam, ſed pariter ad circumſtantiam, quæ illam non rarò mutat, & in aliam ſpeciem transfert. Sic, ſi peccâſti cum perſona habente votum, vel juramentum: aut in loco Sacro, vel peccare deſiderâſti, & affectâſti; in confeſſione exprimere, & confiteri debes circumſtantiam loci, & complicis, abſque denominatione tamen hujus, vel alterius. Et hoc quidem quan-

quantùm ad peccatum luxuriæ. Sed quia ad cognoſcendas tales circumſtantias non omnes poſſunt pertingere, confiteantur peccatum candidè, & ſinè fuco, ſicut illud commiſerunt; jam tunc Confeſſarius diſtinguet, & demonſtrabit illis circumſtantias. Et hac de cauſa quærant ſibi doctum, ſuadeo.

XI. In Hiſtoria Ordinis Sancti Dominici narratur, quòd, cùm quidam Novitius confeſſus fuiſſet, & jam genuflexus adeſſet ad altare ad percipiendam Sacram Synaxin, obrutus fuerit à ſomno, & ſoporatus audiverit vocem quamdam dicentem ſibi: Redi ad formandam tibi coronam, & ad radendum tibi caput. Expergefactus, palpánsque manibus caput advertit, ſibi utrumque non deeſſe; ſed reprehendente, & arguente illum propriâ conſcientiâ, quòd non fuiſſet confeſſus, neſcio quas circumſtantias ſuorum peccatorum, intellexit, eò collimâſſe vocem, quam audierat. Contulit ſe immediatè ad ſuum Patrem Sanctum Dominicum, qui pro tunc adhuc vivebat, confeſſus eſt cum maximo dolore illas circumſtantias, quas omiſerat, redivit ad altare, & rurſus ſopore obrutus, vidit Angelum, qui portans in manu coronam ex auro pulcherrimi ſplendoris, eandem ejus capiti impoſuit, remanente ejus anima inexplicabili hilaritate, & lætitiâ repletâ.

XII. Iſta eſt, animæ Chriſtianæ, Corona, quæ præparatur illis, qui taliter ſuæ attendunt animæ, Corona veri gaudii, quam ſolummodo ſcit dare tranquillitas conſcientiæ, & corona æterni jubili, quæ obtinenda eſt in gloria.

INSTRUCTIO VII.

De Examine faciendo de Peccatis Omiſſis.

I. QUale commodum, quòd febris non auferat infirmo vitam, ſi poſtmodum hanc eandem tollat debilitas? Quæ utilitas, aliquem liberari decimo quarto die ab omni maligno calore, & inſolito, ſi deficiente poſtmodum calore naturali, tamen pereat? Ille (calor introductus, & venenatus) ob malignitatis abundantiam tollit vitam, & alter (calor connaturalis,

& debitus) ob defectum vigoris adfert mortem. Jam, ſi damnum ſpectes, utrumque hoc, idem, ac mori eſt. Ità quoque timeo ego, plures ac copioſiores in anima quàm in corpore, mortes. Multi moriuntur ex mortali febri conſcientiæ: ſed & timeo nè multò plures ſint illorum, qui moriuntur ex debilitate. Volo dicere, quòd non ſolùm peccetur per id, quod fit, verùm etiam peccatur per illud, quod non fit: non ſolùm dantur peccata commiſſionis; ſed dantur etiam peccata omiſſionis; ſicque non minùs occidit defectus caloris debiti, quàm abundantia caloris ſuperflui; ſi ille non reparetur, parùm proderit liberare ſe ab iſto. Igitur conſideratis omnibus peccatis comiſſionis, & examinatis omnibus illis, quæ commiſimus contra DEUM, contra proximum, contra noſmetipſos &c. tamen examen conſcientiæ nondum abſolvimus. Adhuc neceſſe eſt modò aperire mille oculos, & cognoſcere illud, quòd facere debuimus, ſecundùm legem DEI, &c. & non fecimus, ſeu peccata omiſſionis. Videtur ſcrupuloſus David in tot repetitionibus ſuæ confeſſionis: *Delictum meum cognitum tibi feci:* Pſal. 31. v. 5. O Domine, ego tibi manifeſtavi, ego tibi palàm feci, omnia delicta mea. Numquid hoc videatur ſufficere? Sed tamen etiam adjungit: *Et injuſtitiam meam non abſcondi.* Numquid unum idémque eſt manifeſtare, & non abſcondere? Ità eſt, dicit Hugo; ſed exprimit optimè David, ad faciendam confeſſionem ſuam integram, unum, & alterum genus peccatorum; confitetur peccata commiſſionis, iſta vocat *injuſtitias*; & confitetur peccata omiſſionis, iſta vocat *delicta*, *delictum meum cognitum tibi feci*, & hoc ſignificat *delictum* proprie, & in rigore ſumptum. In hoc diſtinguuntur *delictum*, & *peccatum*, quòd *peccatum* ſit illud, quod fit, & quod committitur; delictum verò ſit illud, quod fieri deberet, & non fit: *Delictum eſt, cùm non fiunt, quæ fieri debent*; *peccatum*; *cùm fiunt, quæ fieri non debent*; & ità hoc intelligunt leges: *Delictum quaſi derelictum*, c. ſi peccat. de pœnit. diſt. 1. & ibi Sanctus Auguſtinus cum gloſſa.

II. Ut ergo integra ſit confeſſio non ſufficit confiteri peccata, neceſſarium eſt confiteri etiam delicta; non ſufficit, dico, confiteri illud, quòd quis fecit, neceſſarium eſt confiteri etiam illud, quod quis omiſit, ſeu quod quis facere tenebatur, & non fecit. Non ſufficit confiteri peccata commiſſionis, neceſſarium eſt pariter confite-

fiteri peccata omiſſionis: *oſtendit*, dicit citatus Cardinalis, *ſuam confeſſionem eſſe integram, quia omne genus Peccati confitetur, ſcilicet peccatum omiſſionis, & peccatum commiſſionis. Et injuſtitiam meam non abſcondi.* Et quis eſt, ille, qui per ſerium examen ſcrutetur, & diſcutiat iſta delicta in ſua anima, iſta peccata omiſſionis? *Delicta quis intelligit?* Pſal. 18. v. 13. quis eſt ille qui attendit, & conſiderat, ſicut debet omiſſiones? Oh DEUS! peccata commiſſionis (homicidium, furtum, inceſtus) manibus palpantur, & per ipſiſſimum factum ſe ipſa patefaciunt; Sed peccata omiſſionis quemadmodum illud, quod non fit, ità illa ipſa negliguntur, ac in conſcientiæ examine miñimè attenduntur. Atque iſta ſunt illæ ſagittæ, volantes in obſcuro, quæ dum nec videntur, nec audiuntur ſagittant, & penetrant cor, etiam illorum, qui de reliquo attendunt ſuæ Animæ: *Ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſal. 10. v. 3. Iſta ſunt clancularius ille, & inaudibilis pulvis pyrius, quem adinvenit malitia ad inferendum ictum mortalem, abſque eò, quòd ſonitus, & fragor percipiatur. Iſta ſunt occultus ille cuniculus, qui, abſque eò, quòd videatur, per unicum ictum totam edit ſtragem. Quanta ſunt mala totius Reipublicæ propter tales omiſſiones, quæ non reſpiciuntur? Quanta ob omiſſiones damna irreparabilia conſcientiarum, & quantæ damnationes Animarum? Certum eſt, nec nullus Catholicorum de hoc dubitare poteſt, non ſufficere confiteri generaliter, & in confuſo omiſſiones graves; ſed tenemur illas, illarúmque ſpeciem, numerum, & circumſtantias, vel maximè in particulari confiteri, ſicut alia peccata commiſſionis; quia ſinè dubio ſunt magis vel minùs graves, ratione virtutis, cui opponuntur, ratione conſequentiarum, quas poſt ſe trahunt; & variant ſpeciem malitiæ, in quantum ſunt vel contra Religionem, vel contra Charitatem, vel contra Juſtitiam. Jam quàm pauci ſunt illorum, qui omiſſiones ſuas, ſeu peccata omiſſionis prout tenerentur, cum ſimili claritate, & diſtinctione, & numero confitentur? In hoc, prout nunc dicam, non excuſat ignorantia: quia affectata eſt; non excuſat oblivio: quia exinde orta eſt, quòd ſe non examinent. Sunt ergo innumerabiles Animæ, quæ propter omiſſiones, per culpabilem negligentiam nunquam confeſſas, & uſque ad finem vitæ commiſſas, dam-

damnantur. Demonſtrabo hoc ad oculum ex ſequentibus Scripturæ teſtimoniis.

III. In me palpitat cor meum videndo ex una parte tantam negligentiam, tam exiguam æſtimationem, ſicut fit inter nos, de omiſſionibus, qualiter vilipendantur per certos prætextus fictos, & frivolos; & ex altera, conſiderando in ſerie Evangeliorum rigorem, quô omiſſiones caſtigantur. Advertite hoc in illo, qui non attulit decentem veſtitum ad nuptias; nullam aliam culpam habuit, nec unicum locutus eſt malum verbum, nullam pravam actionem fecit; nihil horum commiſit: ſola omiſſio fuit, præterea nihil: *Non habens veſtem nuptialem*: Matth. 22. v. 12. & hac de cauſa projectus eſt in tenebras. Ille, cui fuit conſignatum talentum, non perdidit illud in luſu, non dilapidavit, nec etiam malo modo expendit; quænam fuit ejus culpa? Sola & unica omiſſio; quòd illud bene non impenderit; ideò condemnatus fuit. Illæ quinque Virgines fatuæ (Virgines erant, non meretrices) non commiſerunt turpitudines, non perpetrârunt adulteria; quænam fuit illarum culpa? Omiſſio: eò quòd non ſumpſerint oleum ſecum; ideò excluſæ à cælo fuêre. Illi quinque invitati ad nuptias nec latrocinia exercuerunt, nec furta, homicidia; quilibet illorum ſe excuſabat ob ſuas occupationes, quænam fuit illorum culpa? Omiſſio; & ideò fuerunt privati cœnâ gloriæ. Dives ille Epulo ſepultus fuit in inferno; quare? propter ſuam purpuram & pompam? Non; Omiſſio fuit tota illius culpa, eò quòd non dederit Lazaro Mendico Eleemoſynam. Ex illis duabus ficubus nec una, nec altera locò fructûs venénum protulit, nec ſpinas germinarunt; ſed pulchra folia habebant; quænam ergo earum fuit culpa? Omiſſio; eò quòd non habuerint fructus; idcirco una fuit maledicta, ſucciſa altera. Tanto cum rigore intuetur DEUS omiſſiones. Quomodo ergo nos illas contemplamur tanta cum negligentia? Ah utinam illas nunc videamus, nè quando aperuerimus oculos, ſicut talpa, in morte, repleant nos horrore, ac præcipitent in æternam damnationem!

IV. Devenerat ad extrema quidam Sanctiſſimæ vitæ Prælatus (refert noſter Eminentiſſimus Bellarminus l. 2. de arte mor.) & interrogante illum Confeſſario: An adhuc aliquid haberet, de quo ſe reconciliare vellet? Nihil, reſpondit; non memini me aliquam admiſiſſe

ſiſſe culpam. Confeſſarius iterum: Et de omiſſionibus in nullo te accuſat tua conſcientia? Tunc defluentibus illi ex oculis lacrymis, amariſſimè ingemuit: *Omiſſiones nimiùm me exterrent!* Quod ſi hoc evenit hominibus Sanctis, quid cum illo fiet, qui vivit ex toto negligens?

V. Ejaigitur, Dilectiſſimi mei, faciat bona conſcientia in bonum ſuum hoc, quod compulit malam conſcientiam facere continua formido. Domitianus, refert Sabellicus, inſanus ille Imperator, poſteaquam in univerſum mundum ſuam tyrannidem exercuerat, accuſante eum ſua propriâ conſcientiâ, plenus horrore, & timore, nè fortè proditorie à ſuis inimicis occideretur, curavit ex omnibus partibus conclavia, in quibus morari ſolebat, ſpeculis obduci; quô factum: ut, quocunque ſe verteret, ſemper, quidquid à tergo haberet, videre poſſet. Ecce hoc ipſum, dicit Sanctus Auguſtinus, à te faciendum eſt pro tua examinanda conſcientia; pone tibi ante oculos tuos illud, quod à tergo habes: *Tolle te à dorſo tuo, ubi te videre non vis, & conſtitue te antè te; aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi Judex; quod erat poſt te, fiat ante te, & ſit quo fugias à te.* Percurre & conſidera induſtriè non ſolùm peccata commiſſionis, quæ jam ante te habes, ſed etiam peccata omiſſionis, quæ à tergo relinquis, quæque ſufficientia, & capacia ſunt auferendi tibi vitam Animæ.

VI. Peccatum omiſſionis, dicit communis Doctorum: *Eſt negatio actûs poſitivi, præcepti, & debiti.* Ac proinde *peccare peccatô omiſſionis*, eſt idem, ac omittere facere, vel dicere illam actionem, opus, vel verba, quæ ſub peccato obligant, & quæ in his, vel illis circumſtantiis ſunt præcepta, & debita. Dico: *Quæ in his, vel illis circumſtantiis ſunt debita:* quia dantur quandoque rationes excuſantes, à poſitione actûs, &c. præcepti, & debiti; ſicque in aliis circumſtantiis omiſſio actûs, &c. præcepti & debiti peccaminoſa non eſt. Sic ſi quiſpiam eſt impeditus, exempli gratia, propter infirmitatem, etiamſi adſit præceptum jejunandi, non tenetur pro tunc ad jejunium, & idcirco omittere tali tempore jejunium non eſt peccatum. Sic etiam poſſum ex prægnanti ratione omittere audire Miſſam die Feſto, omittere jejunium in vigilia, omittere confeſſionem & communionem in Paſchate, &c. Et ſimiles omiſſiones ali-

unde optimè compertas habemus; & licitas esse constat: Assignabo igitur potiùs omissiones, quæ non solent esse ità notæ, & hac de causa graviùs pernicioſæ, quatenus de futuris vobis caveatis, & præteritas bene examinetis, ac confiteamini. Non loquor de peccatis omissionis Principum, Prælatorum, Judicum, & Ministrorum Justitiæ. Oh DEUS Sancte! *Evangelizare pauperibus misit me Dominus:* Luc. 4. v. 18. Meis Auditoribus loquar. Possunt itaque contingere omissiones primò in illis, quæ respiciunt DEUM; Deinde in illis, quæ nos ipsos tangunt; ac demum in illis, quæ Proximum attinent.

VII. In illis quæ DEUM respiciunt, examina, an non omiseris adhibere omnem debitam diligentiam circa res Fidei addiscendas, ut scires bene Fidem Catholicam, ut scires bene operari, & dignè percipere Sancta Sacramenta: examina, an omittas, nec nè, apprehendere, & scire Doctrinam Christianam. Non est opus, nec requiritur ad hoc, ut Theologus sis; est enim obligatio sub peccato mortali in omnibus Christianis hanc sciendi. Audite, & bene percipite; datur duplex ignorantia; una ignorantia est inculpabilis, quia est invincibilis; ideò etiam invincibilis vocatur; & est, quando vel se nobis non offert motivum, nec ratio aliqua dubitandi, & idcirco etiam non interrogamus; vel quando, etiamsi offeratur, adhibuit quispiam omnem, quam potuit diligentiam interrogando: inquirendo, & cum his omnibus, vel propter suam ruditatem, vel quia ipsum nemo instruxit, remansit in sua ignorantia. Istam vocamus invincibilem; & idcirco est inculpabilis, & non invenitur ratio peccati in illa. Alia ignorantia est culpabilis, quia est vincibilis; & est: quando, quantumvis quispiam advertat, quòd ignoret, vel habeat dubium, nihilominus vel non interrogat eò, quia non vellet, ut ipsi diceretur veritas, sicut ille, qui claudit feneſtram, nè illi sol intret, & in somno eum disturbet; (Ista est ignorantia affectata, crassa, & supina.) Vel quando etiam adhibet aliquam diligentiam, attamen tam exiguam, tam tepidam ad non detegendum suum malum, ut omnino in illo remaneat: *Moliuntur fraudes contra animas suas;* Prov. 1. v. 18. Seipsum decipere, heu! magna est infelicitas. Hoc ipsum nunc dico de inadvertentia & ignorantia culpabili, quia ex magna malitia non advertitur. Nunc ergo, quis non cognoscit, quòd ad

ad obſervationem Præceptorum opus ſit illa bene intelligere, & ſcire ad quid nos obligent? quis non videt, quòd ad Sacramenta dignè percipienda, neceſſarium ſit ſcire cum quali diſpoſitione ad illa debeamus accedere? Ex hoc idcirco ſequitur, illos qui iſta culpabiliter neſciunt, & non adhibent diligentiam pro his diſcendis, propter talem omiſſionem eſſe in ſtatu lacrymabili peccati mortalis. Non adeſt excuſatio, ubi tanta adeſt doctrinæ Doctorúmque copia: *Multa ſcienda neſciuntur*, dicit Sanctus Bernardus, *aut ſciendi incuriâ, aut verecundiâ inquirendi.* Nemo itaque poteſt dicere: Neſcio confiteri; quin imò iſta ignorantia eſt novum peccatum, quod tenemini confiteri: nemo poteſt dicere: Ego iſta non adverto; bene etenim iſta cognoſcitis. Oh quæ omiſſiones contra DEUM, ex quibus naſcuntur tot peccata, & tot damnationes! *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam*, Iſa. 5. v. 13. Ità teipſum examina, an admiſeris omiſſionem in ſciendis, vel in percurrendis & recogitandis obligationibus tui ſtatûs, tuæ occupationis, ac negotii, necne. Quanta peccata mortalia committuntur vel ex ignorantia, vel ex oblivione talium obligationum? & cùm ſit culpabilis iſta ipſiſſima ignorantia, & cùm ſit culpabilis iſta ipſiſſima inadvertentia, & oblivio, quæ excuſatio remanet pro tot tantisque peccatis? Maritus, qui non ſuccurrit neceſſariâ ſuſtentatione ſuæ Uxori & filiis, exiſtimátne, quòd hoc ſit poſitum in ſua poteſtate? Et quando accuſat ſe de hoc peccato mortali omiſſionis? Artifex, vel Opifex, qui accipit ſuam ſolutionem, & tamen arti-vel opificium perficere, vel in infinitum differt, vel ità conficit, ut nec uſui quidem ſit: quando ſe accuſat de hac lethali ſua negligentia, de hoc peccato mortali omiſſionis? Mercator, qui, nè in veritatem deveniat, nè dicatur ſibi, quod res eſt, vel neminem, vel nonniſi talem conſulit, qui ſibi ad placitum reſpondeat, quando accuſat ſe de hac ſua culpabili negligentia in inquirendo, de hoc peccato mortali omiſſionis? Dantur adhuc aliæ omiſſiones palliatæ: Illi, qui habent peſſimam conſuetudinem vel jurandi, vel maledicendi, vel aliam qualemcunque, tenentur adhibere omnem poſſibilem diligentiam, pro tollenda tali conſuetudine. Sed dicite mihi, qui talem conſuetudinem habetis, quam diligentiam adhibuiſtis, quæ media applicâſtis

pro illa emendanda? Nec unicum. Ista igitur omissio quare à vobis non discutitur, quare illam non confitemini?

VIII. In Proximum peccant mortaliter peccatô omissionis contra charitatem divites, qui de illo, quod superest suo statui, scientes aliorum necessitatem vel extremam, vel gravem, illis non subveniunt. Quantæ omissiones dantur in hac materia? Quot & quanta peccata mortalia? & quis se de his accusat? quis illa confitetur? Ecce de hisce omissionibus fient in die Judicii horribilissimæ quæstiones, & objectiones: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Matth. c. 25. v. 42. Oh quantum peccant & quidem mortaliter, suis omissionibus Patresfamilias! Et tamen nihil frequentiùs in confessionali omittitur, quàm ejusmodi omissiones, nihil magis oblivioni traditur, nihil majoribus prætextibus palliatur. Videmus filios perversos, concubinarios, lusores, filias dissolutas & perditas, servos plenos turpissimis vitiis; & interim Dominum, vel Dominam domûs, qui hæc non ignorant, cernimus absque minimo scrupulo suarum omissionum, & nec quidem illas confitentur. O conscientias latiores cælô, quas tamen poterit capere infernus. Videmus viros, qui per integrum diem hinc inde vagantur, ac in popinis hærent, media primùm nocte domum redeunt, qui nec quidem sciunt, an sint Patresfamilias: Mulieres, quæ, quo tempore domi morantur, solummodo cogitant de ornamentis, de pretiosis vestibus, ut easdem postmodùm possint ostentare in visitationibus. Deinde: Filii quomodo corriguntur? Servis, & famulis, quando traditur Doctrina Christiana? quando in illa instruuntur? quando eunt ad Ecclesiam? quando adhibetur illis necessaria correctio? quando, nè cogantur furari, dantur illis necessaria? quando inquiritur in eorum depravatam vivendi rationem? quando veniunt Domini in notitiam, quomodo vivant? Sed ad hoc otium non habetis? Dantur nimirum aliæ occupationes & negotia? Sed sciendum vobis est: Nulla ab ista cura vos posse excusare. Sanctus erat Sacerdos Heli, quòad suam personam irreprehensibilis, & solummodo propter omissionem correctionis quòad suos filios, præter infaustissimam mortem, quam ideo perpessus est, habent ùt plurimùm dubiam Sancti Patres ejus salvationem.

Ulti-

Ultimò denique, peccant per omiſſionem contra juſtitiam illi, qui dum poſſunt, non adimplent ultimas voluntates. Oh quantæ hic dantur omiſſiones, quas nunquam confitentur! & ſic hi tales æquè infelices, ac ſegnes Executores multos quandoque annos tranſigunt, & in his, Eheu! malas ſemper confeſſiones peragunt. Hos ſequuntur illi, qui habentes res alienas, illas non reſtituunt, poſſidendo illas, vel illam partem, quam de illis habent; & quando, vel quomodo iſta confitentur? Saniorum Theologorum ſententia eſt, quòd, qui ità retinet aliena, omnibus vicibus, quibus de novo recordatur ſuæ obligationis ſolvendi, aut reſtituendi, & retinendo non ſolvit, novum ſemper peccatum mortale committat. Et quis æſtimat iſtas omiſſiones? Ecce, iſtæ ſinè remedio vobis tollunt cælum. Refert Cæſarius, quòd quidam Monachus Ciſtercienſis perveniens ad fluvium Albim in Saxonia neceſſe habuerit illum tranſire in navi. Poſtquam tranſvectus fuerat, petiit ab illo nauta pro naulo medium groſſum. Non habebat tantum pecuniæ apud ſe Monachus, ſed promiſit nautæ in adventu ſuo ad Monaſterium, ſe illi velle tranſmittere. Tali modo re inter utrumque compoſita, Monachus ad ſuum diſceſſit Monaſterium. Domi, quia debitum tam parvi momenti erat, illud Monachus nihili fecit, nec etiam Nautæ ſolvi curavit. Non multo pòſt tempore oppreſſit eundem infirmitas mortalis; confeſſus eſt, ſed vilipendens illam parvitatem, quòd aliquos obolos non ſolviſſet, hos in confeſſione omiſit. Videbatur infirmus omnibus jam quaſi mortuus; & ille nonniſi extrà ſe raptus, ſuisque ſenſibus deſtitutus, vidit ante ſe illum medium groſſum, cujus & in reditu ſuo ſolutionem, & mentionem in confeſſionali facere neglexerat. Obſervavit penes, præfatum medium groſſum magis magisque continuò, & derepentè in tantum creviſſe, ut toto propemodum mundô major factus, volenti ſibi in cælum aſcendere, hoc totum quantum obvallaret, operirétque, atque adeò ipſe minimè illuc tranſire, & pertingere poſſet. Tandem Angelorum unus ad illum: Quandoquidem hic ſolus medius groſſus te impedit, redi ad vitam. Rediit ad ſe, retulit Abbati, & Religioſis hoc, quod ſecum factum fuerat. Nec mora: mittitur, & ſolvitur quantocyùs Nautæ ingens debitum; ac eo ipſo momento, quo ille naulum (medium groſſum) receperat, exſpiravit Monachus. *Quod ſi pro*

IX.

tantilla re, cælum ingredi non potuit, prosequitur Cæsarius, *quid de illis eventurum est, qui non obolum, sed vel multos florenos retinent, vel diu solvere morantur?* Quod si medius grossus retentus, & non solutus ità potest retardare à cælo; quomodo retardabunt centum, mille, & amplius floreni?

X. Absit itaque, Dilectissimi mei, in examine conscientiæ omissio circa omissiones quandoquidem hæ replent Animas peccatis. Indagemus de illis summo studio, absque deceptione nostra propria per excusationes, & prætextus, qui nihil proderunt quando DEUS scrutaturus est in lucernis abscondita cordium; *Scrutabor Jerusalem in lucernis*, Sophon. 1. v. 12. Confitentes illas cum vero dolore, relinquamus culpas omissionis in vita, nisi velimus, ut in morte omissiones nos relinquant sinè gloria.

INSTRUCTIO VIII.

Qualiter debeat fieri diligens Examen de peccatis alienis.

1. SOl benignus semper in suis influxibus, non rarò culpatur ùt exitiosus in suis reflexibus; & malum, quod per se non causarent ejus radii lucidissimi, causant quandoque mediante crystallo, à quo efficiuntur velut ignei. Prodigiosa illa Archimedis Machina quemadmodum summopere ab Antiquitate celebrata fuit; ità eandem satis nulla retro sæcula admirabuntur. Cinctis in Sicilia à copiosa classe Syracusis, omnique auxiliò destitutis, quæsivit hoc de cælo Archimedes. Collegit inde omnes solis radios, suúmque in subsidium Luminare majus vocavit. Ità ille crystallinam quamdam, & combinatam ex vitris causticis Machinam supra muros constituit; eo fine, ut sol immissis illuc, indéque reflexis ad inimicas naves radiis suis classicum in favillas Exercitum redigeret. Et sanè repercussus hic solis ardor ipsis etiam pilis incendiariis efficacior simul, & tantæ in hostiles copias activitatis fuit, ut clàm stupas invaserit, rudentes accenderit, combusserit vela, atque, velut ex aquis flammæ prosilirent, classis integra funditus exusta, in cineres consederit: si hos excipias, nullo ejusdem superstite vestigio. Ecquid

quid tantæ ruinæ, tantæ ſtragis cauſa fuit? Sólne? minimè gentium: alibi namque, & exparte altera radios ſuos citra damnum exeruit. An Cryſtallus? minùs iſta: hujus enim pelluciditas nullius ſinè ſole efficaciæ, nullius virtutis eſt. Sed quid? Hoſtis conflagravit, combuſtæ naves, reſidui ſoli cineres ſunt: tantæ cladis quæ origo, quæ cauſa? *Sol, aliena opera, opera Cryſtalli.* Sol, qui in hanc influebat, & hæc, quâ ille repercuſſus eſt; Sol, qui in Cryſtallo amicè reſplenduit; Et hæc, qua ille hoſtiliter combuſſit; Sol, qui, etſi nihil conferre videretur, totius tamen interitus hoſtium, atque exitium fuit. Quò iſta!

II. Ah peccata aliena! bene indigeremus ſolis lumine, & repercuſſione cryſtalli ad vos detegenda. Hæc pro ultimo cum maxima attentione examinanda nobis ſunt in noſtra conſcientia. Non ſufficit examinâſſe peccata omnia, quæ commiſimus, nempe peccata commiſſionis; nec ſufficit examinâſſe totum illud, quod tenebamur facere, nec tamen fecimus, nempe peccata omiſſionis: ſed debemus pariter attentiſſimè examinare peccata aliena. *Peccata aliena;* Non volo per hoc dicere, (hoc enim aliunde patulum eſt) acſi debeat, uti ſolet fieri, Uxor confiteri peccata ſui Mariti, Maritus peccata ſuæ Uxoris; acſi debeat examinare ſervus peccata ſui Domini; acſi Dominus in ſua confeſſione debeat allegare & afferre pro accuſatione peccata ſuorum ſervorum, &c. Hoc neutiquam dixero: ideoque pœnitens in examinandis aliorum, alienísve peccatis nullatenus diſtineatur, quin potiùs, cùm propria ſuâ conſcientia ſatis ſupérque quilibet gravetur, huic diſcutiendæ quòd attendat, abunde habet. Et dolendum ſanè, tamen permultos reperire eſt, qui in examinanda & ſcrutanda vita aliena tranſigunt vitam ſuam: Atque utinam tali modo ſuam propriam inſpicerent! *Ad condemnandos cæteros omne vitæ noſtræ tempus abſumimus*, dicit Sanctus Joannes Chryſoſtomus lib. 1. de compunct.

III. Qualia ergo peccata aliena ſunt iſta, quæ à nobis examinanda ſunt? Oh DEUS! quàm parùm animadvertuntur, quàm parum ponderantur; & idcirco eò pernicioſior ſunt lues animæ. Peccata aliena vocant Theologi illa, quæ, quantumvis alius exequatur, quantumvis alius illa faciat, nihilominus imputantur coram DEO illi, qui ſuô modô illorum cauſa fuit, & utrumque æqualiter reum conſtituunt

unt æternæ damnationis. Eheu! citra delictum, citra culpam, citra peccatum (proprium, & personale) pergere ad infernum, æternisque deputari suppliciis velle, quàm infelix amentia! Ista sunt peccata aliena, de quibus sibi timens, pro eorundem remissione clamitabat Propheta Regius: Psal. 18. v. 13. *Ab alienis parce servo tuo.* Ista sunt peccata aliena, quæ adeò inculcabat Sanctus Paulus Timotheo suo: nè suam illis conscientiam gravaret: *Et non communicaveris peccatis alienis*, 1. Timoth. 5. v. 22. Ista sunt peccata, de quibus nos omnes seriò adhortatur idem Sanctus Apostolus, nè nos immittamus in illorum tenebras, nè fortè illa nec quidem videamus, minùs defleamus, quin etiam sinè utilitate, sinè commodo exinde habito, ratione illius, quod alius peccat, æternùm pereamus: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ephes. 5. v. 11. Ista sunt, inquam, peccata aliena; *Aliena* quidem: quia alius illa perpetrat, committit, exequitur, &c. Sed tamen *nostra* etiam, quia nos illorum potissimùm causa sumus; *Aliena* quidem: quia alius exinde lucrum suum, commodum, & emolumentum habet; sed tamen *nostra* etiam: quia æternum ex illis nos damnum manet; *Aliena* quidem: quia alius illa faciens, consequitur nostri locò gustum suum, explet appetitum, libidinem suam, &c. sed tamen *nostra* etiam: quia ratione horum, & nos subire debebimus æternam damnationem. Et qualem? Et quantam? Utinam hæc bene perpenderetur, & trutinaretur!

IV. 1. Timoth. c. 5. v. 24. dicit Sanctus Paulus: sunt certa peccata, quæ manifesta sunt etiam ante Judicium: *Quorumdam peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium*; eò quòd ante judicium videantur, cognoscantur, exenterentur. Alia peccata sunt (prosequitur Apostolus) quæ subsequuntur etiam post judicium, & quòd etiam post judicium sint videnda: *Quosdam autem & subsequuntur*; Et quænam peccata ista erunt? Nam, cùm judicium, post nostram mortem, & quidem de omnibus & singulis peccatis, quæ commisimus per totam nostram vitam, futurum sit, ità ut ibi nec quidem unica minima cogitatio, nec unicum verbum otiosum effugiat; quænam igitur sunt peccata illa, quæ judicium primùm subsequuntur? Quænam peccata possunt esse illa, quæ tunc primùm manifesta fient? Scitisne qualia? Sanctus Basilius l. de Sancta Virg. dicit: *Peccata*

cata aliena sunt: illa nempe, quæ causâ nostri committuntur. Peccata, quæ judicium præcedunt, sunt, quæ nos committimus; subsequentia judicium, sunt peccata, quæ alii, post nos in mundo remanentes, committunt ex nostra culpa. Post judicium, in quo jam est condemnatus Lutherus, videbuntur peccata à Lutheranis commissa posteà per Lutherum, quorum omnium ipse causa fuit: Siquidem quotquot à perversis sectæ suæ assectis, peccata (hæresis) committuntur, omnia etiamnum in ipsum redundant. O DEUM immortalem! Quot & quanta igitur adhuc peccata Hæresiarcha hicce committit per illos, quos seduxit, per illos quos decepit, per illos, quos pervertit? Quin imò: quot ex illis, qui me hic nunc audiunt, hodie forsitan peccata committunt, quorum causa sunt illi, qui jam mortui sunt, illi, qui jam judicati sunt, illi, qui forsitan jam hac de causa damnati sunt? Et quanta illis accrescent tormenta? O peccata aliena etiam post judicium terribilia! Et cùm sit in tribunali Divino terribilissima eorum ratio, tamen hæc à nobis minimè attenditur, minimè examinatur. Adulterium homicidium Davidi, DEUS eô ipsô momentô, quô illud unicô *peccavi* cum vera pœnitentia confessus est, remisit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. v. 13. Sed peccata aliena, quæ exinde sunt secuta, & quorum causa fuit ratione sui scandali, *quia blasphemari fecisti nomen meum*; ibid. v. 14. non tam facilè condonabantur; sed in pœnam horum abstulit DEUS vitam filiolo, qui natus ei erat. Sanctus Leo Papa, referente Sophronio in Prat. Spirit. c. 149. flens per quadraginta dies in orationibus, jejuniis, & pœnitentiis ad sepulchrum Sancti Petri, postulabat remissionem suorum peccatorum; Denique sub horum finem, multùm deprecanti adfuit Sanctus Apostolus, dixitque: Per meas preces DEUS tibi condonavit omnia tua peccata propria, illa nimirum, quæ tu commisisti; Supereſt: satisfacias jam, rationémque reddas de peccatis alienis, eáque expies, quæ per te secuta sunt in illis, quibus indignè ordines contulisti. O Sancte DEUS! cùm onus istud etiam nobis remaneat, quomodo ergo tam oblivioſi vivimus de peccatis alienis, quorum causa sumus? Quare illa non examinamus? Quare illa non confitemur? Ignorantia crassa non excusat; oblivio affectata nobis non patrocinatur. Igitur examinemus ista peccata.

V. Novem modis, dicunt Theologi, poſſumus eſſe cauſa peccatorum alienorum; His verò adjungunt alii decimum, & aliis frequentiorem, ac magis uſitatum. Percurramus ſingulos: Primus itaque modus eſt *juſſio*: ſicque primò modò alieni peccati cauſa eſſe poſſumus *juſſione*. Taliter peccant e. g. Judex, Superior, Pater, Dominus, Magiſter, &c. qui, ſimile quid, quod eſt offenſa DEI, mandant; filio, ut furetur; filiæ, ut quæſtum faciat corpore ſuo; Miniſtro Juſtitiæ, ut exequatur violentiam iniquam, aut factam approbant; Diſcipulo, aut famulo, ut die feſto Miſſæ auditionem omittant, vel ſi iſtis talia negotia præſcribant, aut præcipiant, quæ illius auditionem impediunt: aut omnino iisdem ad lenocinia, aliáque turpia procuranda abutantur, &c. Atque hæc & ſimilia quoties, & quot perſonis mandantur, tot, & diſtincta ſemper peccata mortalia ſunt. Sed quid? Quando iſta confitentur? Quando de hiſce ſe accuſant? David non executus manu ſuâ homicidium Uriæ eſt, illud mandavit; Pilatus manu ſuâ non crucifixit Redemptorem, illum turbæ adjudicavit: Herodes manu ſuâ innocentes non occidit, ſatellites hoc juſſit; ſed tamen ad Davidem, ad Pilatum, ad Herodem reſpicit, quidquid ab aliis delictum fuit. Atque utinam non darentur Pilati, qui DEUM ſuis judiciis crucifigunt, quin hoc tamen conſcientiæ ſibi ducant! Atque utinam non darentur Herodes, quorum injuſtitiâ, injuſtisque mandatis, multi innocentes oppreſſi, & ad ultimam inopiam redacti lacrymabundè gemunt; quin tamen de hoc illi in confeſſionali vel ſomnient tantùm. Secundus modus eſt conſilium, perſuaſio, inſtructio: Sicque ſecundò modò alieni peccati cauſa, & rei eſſe poſſumus conſiliò, perſuaſione, inſtructione. O quàm innumera inde peccata emergunt! nec tamen eſt, qui illa conſideret. Caiphas nonniſi conſiliò Chriſtum occidit: Herodias nonniſi conſiliò caput Baptiſtæ abſtulit. Sed quid? quàm multi conſilio, ſuaſu, hortatu, ac ductu ſuo hoc ipſum etiamnum agunt? In primis haud dubiè omnes illi, qui ſuffragantur contra juſtitiam; (quot exinde peccata ſequuntur, quorum omnium hi tales cauſa ſunt? non refrico hic obligationes, queis, ùt alibi jam dixi, aliunde tenentur.) Deinde idipſum agunt omnes illi, qui aliis pandunt aut ſuggerunt (ſicque peccare docent, aut faciunt) iniquam viam, modumque vel conſequendi injuſtam pen-

pendentis litis ſententiam, vel graviores exactiones, & onera, mulctásve irrogandi, queîs ipſe penè ſubditorum ſanguis exſorbetur; vel in mercibus illicita lucra captandi, uſurásque exercendi, vel machinandi in emptionibus, venditionibus fraudes, ac deceptiones. Iterum: idipſum agunt omnes illi, qui vel factis, vel verbis aut perſuaſionibus alios ad peccatum incitant, & alliciunt: Internuntii, ſolicitatores, fœminæ Aphrodiſiæ, vetulæ mediatrices (ùt eas Hugo appellat) qui, quæ innocentes etiam animas depravant, pervertunt, in peſſimis quibusque inſtruunt, inſtructionibus hiſce ſuis ad turpiſſima quæque lumen accendunt, faces addunt, ad malitiam provocant, materiam flagitiis præbent, ad laſciviam paulatim inducunt, ſenſimque venerem inſtillant. Prætereo alios, &c. ſileo alia, &c. Quot eheu! quot, & quanta ex hiſce, quæ huc uſque commemoravi, improbis conſiliis, maledictis ſuggeſtionibus, perverſis incitamentis peccata pullulant? Et quando in confeſſionali ſubjiciuntur clavibus? Refertur Nobilis quidam modô perquam callidô venenô necatus fuiſſe. Huic, cùm noctu per quosdam gradus deſcenderet, nè offenderet, ſicarius facem præferri fecit, cujus lychno toxicum ſubdolè inſertum erat. Inde fumô in vultum ejus versô, pérque inſpirationem attractô, ad infimum gradum exanimis corruit. O fatalem facem! quæ, dum lumen oculis præbuit, corpori vitam abſtulit. Sed & quàm multi innumeros alios multò pejus inficiunt, pravis moribus imbuunt, sícque illis lumen de lumine ſuo accendunt & communicant. Heu miſeros tales! qui tali modo alios docent, quod, nè ipſi didiciſſent, ſatiùs foret. Tertius modus, quô cauſa eſſe, & alienorum peccatorum participes reddi poſſumus: eſt conſenſus, conniventia, &c. ſive, ſi aliis delinquentibus, & malè agentibus, conſentiamus, conniveamus, &c. etiamſi nullum mandatum, conſilium nullum, &c. dedimus. Infelices Superiores, Judices, Patresfamilias: cùm coram DEO non acceptentur prætextus frivoli, quibus conſentitur &c. aliorum delictis & culpis! Non eſt ſolummodo in illis peccatum mortale omiſſionis, de quo jam dixi: nam iſtud eſt peccatum proprium; ſed pariter ſe onerant, tanquam ſuis, omnibus peccatis mortalibus, quæ ratione illorum conſenſûs committuntur. Ad lapidationem Sancti Stephani conſentiebat Saulus, nihil ultrà faciebat: *Erat conſentiens neci ejus.*

Actor. 7. v. 59. Nihil ultrà faciebat? Nihil. Attamen totum faciebat, dicit Sanctus Auguſtinus, & ille ſolus illum lapidabat omnium manibus. Refert Heroltus, quòd, cùm Virgo quædam pro ſua Matre orationem faceret, viderit ex improviſo ante ſe horribilem quandam umbram, quæ cum magnis gemitibus illi ajebat: Ego ſum Mater tua, noli pro me orare, æternum damnata ſum. Quomodo hoc? repoſuit filia lacrymarum plena; nunquid te vidimus morientem cum diſpoſitionibus Chriſtianis? Ità eſt, reſpondit illa; Equidem non ſum damnata propter peccata mea, & propria, quæ ego commiſi, ſed propter aliena, propter peccata mearum ancillarum, queis conſenſi & connivi: & cùm ſæpiùs ob hoc me reprehendiſſent mei Confeſſarii, nunquam conſilium eorum ſecuta ſum. Iſta me tenent in inferno.

VI. Quartus modus committendi peccata aliena, univerſalior, magis occultus, mu tò pernicioſior, & neſcio, an clavibus aliquando in confeſſione ſubjectus: eſt Adulatio. Laqueum melleum illam vocavit Diogenes; & bene: quia ſicut muſcæ in melle, ità capiuntur, ità irretiuntur, & ità ſubmerguntur in adulatione innumerabiles Animæ. Hoc ipſimet optimè videmus; nam ſcatent adulationibus, & adulatoribus domus, & familiæ ferè omnes, & ſingulæ; & per tales adulationes fomentantur vitia, creſcunt peccata, accumulantur ſcandala: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; exacerbavit Dominum peccator:* Pſal. 9. v. 23. Videmus nullum eſſe vitium, quod non inauretur Magnatibus. Videmus, quòd illorum manifeſtis injuſtitiis adulatores prætextum quærant; quòd pernicioſiſſimas omiſſiones prudentiam vocitent; quòd luſus, in quo dilapidantur integra capitalia, dicatur diſtractio honeſta: & quòd tandem peccata ab Adulatoribus ſuprà virtutes extollantur. Sed quando tales adulatores, quibus Palatia, &c. ſuperabundant, de iſtis peccatis mortalibus, de iſtis ſuis adulationibus ſe accuſant? Sæpe ultrò profitentur, hoc vel illud, quod committit dives aliquis, peccatum eſſe; ſæpe ipſimet agnoſcunt, hoc vel illud, quod agit Judex quidam, injuſtitiam eſſe; nihilominus hoc laudant, deprædicant, imò & applaudunt? Et quid, ſi hæc ipſa laudant ſacerdotes? & quid, ſi ipſi Confeſſarii ob ſuum particulare intereſſe aſſentiantur? Infelices Confeſſarios! quanta ex his exori-

oriunrur peccata, quantámque exinde ſibi ipſis damnationem accerſunt?

Quintus modus faciendi ſe participem alienorum peccatorum: VII.
eſt receptio, defenſio, & protectio. Vix invenitur aliquis vir flagitioſus, & diſturbator Reipublicæ, mulier infamis, & laqueus diaboli, qui, quæ non habeat ſuos Patronos, Defenſores, & Advocatos; quin imò in hoc ſibi complacent, de hoc ſe jactitant. Nihil jam dico de infamia, quæ ùt aliunde liquet, contrahitur vel ex hoc ſolo, quòd aliquis ſit aſylum ſceleratorum; omitto etiam, quòd leges L. 3. §. tantùm. ff. de incendio, ruina &c. L. eos. c. de furtis: illum, qui talem (virum flagitioſum, Reipublicæ perturbatorem) in ſuam domum recipit, ſicut illum, qui furatur, indiſcriminatim furem vocitent. Umbræ ſint neceſſe eſt illæ, quæ alias protegunt umbras: *protegunt umbræ umbram ejus*, Job. 40. v. 17. Lux etenim neſcit umbras cooperire. Verùm omnia peccata mortalia, quæ exinde ſequuntur, ecquid in confeſſione ex toto omittuntur? Sextus modus eſt: in quo participatur cum altero vel in lucro illicito, vel in furto, &c. Hoc de ſe patulum eſt. Septimus eſt: dum, qui deberet loqui, tacet, & ob talem ejus malignam taciturnitatem alter peccatum committit. Octavus: qui dum poteſt abſque damno ſuo, & incommodo impedire peccata aliena, illa tamen non impedit. Nonus: qui illa, quamvis obligationem quòad hoc habeat, tamen non manifeſtat, quin potiùs occultat, alterique pro operculo ſervit. Omnes iſti ſeipſos in infernum præcipitant, dum uno ex novem hiſce modis alieni peccati cauſa exiſtunt. Oh quot modis damnari poſſumus pro aliis! Et ſanè peſſimum eſt, quòd de plurimis iſtis peccatis, vel de multis ſaltem, nec quidem examen fiat, minùs illa ad confeſſionale deferantur. Talis ignorantia eſt ſæpiùs craſſa, & affectata; talis oblivio eſt omnino culpabilis: quid naſcitur ex eo, quòd hæc peccata non examinentur, cùm tamen ſit obligatio id faciendi. Ex quo indubitanter ſequitur, multos eſſe ob peccata aliena damnandos.

Ultimò tandem, datur adhuc alius modus peccata aliena con- VIII.
trahendi, & eſt: quando quis qualicunque modo provocat, incitat, invitat, movet alium ad qualecunque genus peccati. Delatores quanta peccata cauſant in illis, quos irritant, & denigrant ſuis de-

is delationibus? Illi qui irrident virtuosos, quot Animas perdunt, de quibus debebunt dare exactam rationem, sicut de propria? *Parata sunt derisoribus judicia*; dicit Spiritus Sanctus Prov. 19. v. 28. Et finaliter omnes illi, qui velut universale diaboli rete, ac viscus dant scandalum, sive sit directum (intendendo, ut alter cadat, & peccet) sive indirectum (etiamsi illud non intendant, tamen faciunt actionem, &c. per quam illud causant) sive fiat per malum illorum exemplum; & idcirco non sufficit confiteri suum peccatum, sed tenentur confiteri: an fuerit in publico; coram quibus personis; &c. sive denique scandalum contingat ex verbis inhonestis & lascivis, ex quibus tam imponderabilia sequuntur damna; & sic debent confiteri, ob quem finem, in quibus circumstantiis, & coram quibus personis hæc dicta fuerint. Dilectissimi! aperiamus oculos; non debemus rationem dare solummodo DEO de nostris Animabus, sed reddenda etiam est strictissima ratio de omnibus animabus, quas perdidimus. Et cùm sint tot & tanta nostra peccata propria, quàm intolerabile onus nostris humeris imponemus per tot peccata aliena?

IX. Refertur in Speculo Exemplorum v. *Avaritia*, quòd magno cuidam peccatori in morbum lapso, jamjámque mortem præ oculis habenti, incredibiliter angustiato, uti illis, qui taliter vivunt, in extremis ob malam conscientiam & commissa peccata evenire solet, ac desperationi viciniſſimo (funesto scopulo, in quo plurimæ Animæ naufragium patiuntur) advocaverint Parochum, ut ejus confessionem exciperet. Venit ille, & majori attentione suo commodo, quàm bono, & saluti illius animæ invigilans, faciamus, dicit infirmo: contractum; da tu mihi tuum equum (erat valdè bonus) quem habes, & ego accipio in meam animam omnia peccata tua. Ad quod sinè mora infirmus: assentior, inquit; tuus sit equus ille ex hoc momento. Excepta confessione, domum Parochus, infirmus è vivis abiit. Die altera deducens ille funus, sepelivit mortuum. Exequiis finitis, vix sacras in Ecclesia vestes deposuit, cùm coram universo populo ingens diabolorum turma advenit; quæ Ecclesiam ingressa, atque furore spumans, Parochum comprehendit, disruptóque fornice secum in aëra rapuit. Ità ille ex tunc vivere simul, & videri desiit. Perfractum in fornice foramen non minùs in rei memoriam, quàm aliorum terrorem, & cautelam superstes mansit. Hoc est de-

mum,

mum, cervicibus noſtra *aliena peccata* imponere, *graviſſimum onus*: Et

Quandoquidem de omnibus reddenda nobis ratio eſt, præveniamus, & ventilemus illa non tantum in examine conſcientiæ, ſed & per confeſſionem deponamus; quatenus iisdem per veram pœnitentiam levemur in tempore. Ædificemus bonô exemplô, quos pervertimus ſcandalô. Reſarciamus pietate morum, bonis ſanctisque conſiliis, &c. quæ fecimus detrimenta (in aliis) conſenſu, adulatione, ac etiam perſuaſionibus iniquis, &c. obliteret pœnitentia atque à nobis tollat onera tam prægrandia, & non noſtram tantum, ſed quotquot poterimus, DEO animas lucremur; pariter pro damnis, quæ peccatis cauſavimus, coacervemus fructus immenſos gratiæ. X.

INSTRUCTIO IX.

De ſumma Neceſſitate Doloris veri de peccatis ad bonam Confeſſionem peragendam, & ut ſalvemur.

QUando oculi detegunt occultum damnum, tunc illud incipit ſentire cor; unde, ſi juxta proverbium: quod oculi non vident, hoc cor non affligat; æquè ex oppoſito: quod oculi vident, hoc etiam cor affliget. Idcirco Anima, cognitis per ſerium conſcientiæ examen peccatis ſuis, ponderata illorum gravitate, numero, circumſtantiis, ac damno, diſpendióque infinitô, inde acceptô; item conſiderans ſe veluti vineam vindemiatam, direptos ſuos botros, & racemos, dejectas ſuas ſepes, conculcatas, & laceratas ab apris infernalibus omnes gemmas, & germina; contemplans ſe ùt aliquam civitatem direptam, ablatas ſuas omnes divitias, deſolatos ſuos muros, proſtratas omnes ſuas habitationes; intuens ſe ùt corpus mortuum, totum deformatum, & horribile, ſinè pulchritudine, ſinè colore, ſinè ſenſu; & hæc omnia per ſua ſcelera, & peccata facta eſſe; piis affectibus excitetur; atque in ſanctas cogitationes deveniat, neceſſe eſt. Itaque quid ſequitur ad tam infelicem intuitum? Sequitur indubiè talis mæ- I.

ror,

ror, talis luctus, talis dolor, qualem requirit adeò extrema devaſtatio: inde ſequitur tantus dolor de his peccatis, quæ videt, qualem exigit enormis illorum malitia: inde dolor ſequitur, tanquam unicum remedium pro tam immenſis damnis; dolor, qui ſolus poteſt reſtaurare tot infinitas amiſſiones, & diſpendia: dolor anima Pœnitentiæ: dolor, clavis aurea, quæ ſola nobis poteſt poſt culpam Cælum reſerare. Qui ſe contemplatur in ſpeculo, non ſiſtit in ſola ſui contemplatione, *aſpice ut emendes*: dicit illi mutum illud cryſtallum; ſed ſi quam in ſua facie fœditatem fuliginem, maculas videt, ocyus feſtinat iſtas lavare, & tollere id, quod eum deformat. Ità igitur ſe invicem reſpiciunt Examen conſcientiæ, & dolor de peccatis. Hæc ut dolor defleat, & plangat, neceſſarium eſt, ut Examen illi eadem patefaciat. Sed, ut & illa examen bene cognoſcat, opus eſt, ut ea ponderet dolor: *Hæc duo ità ſibi invicem conjuncta ſunt*, dicit Sanctus Bernardus Serm. 40. num. 4. de diver. *ut cognoſcere ſe non poſſit, niſi pœniteat: pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat.* Iſta erit felix illa amaritudo, quâ percurrebat, & examinabat omnes annos vitæ ſuæ Sanctus Rex Ezechias Iſaï. c. 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Iſtæ ſunt amaritudines illæ, quas, poſtquam illas ex ſpecula rationis examinâſſet, pro unico noſtrarum culparum remedio nobis indigitat Jeremias cap. 31. v. 21. *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines*; Unitus itaque debet eſſe in oculis Animæ dolor cum examine, ſicut in oculis corporis *videre*, & *affligi*, connexa ſunt.

II. Quid ſi alicui famelicus quidam lupus, aut ſanguinarius Leo in gregem irruat, oves furetur, vel armenta aufferat, quid in tali caſu fieri ſolet? Præfigitur dies, exitur cum venabulis, & haſtis, &c. ad inquirendam belluam; percurruntur diligentiſſimè integri montes, exploratur ſolicitè tota ſylva; tandem deprehenditur fera. Nunquid ſufficit ſolùm illam deprehendiſſe? Nihilominus: quin tunc primùm canes, ſagittæ, ſpicula adhibentur, uſquedum prædanon tantùm capta, ſed etiam necata ſit. Nam, ſi hoc non fieret, quid profuiſſent illæ defatigationes, & labores in ea inveſtiganda? Hoc ipſum evenit illi, qui ſe præparat pro confeſſione. Non ſufficit ſolummodo quæſiviſſe ſingulares illas feras, (peccata) non ſufficit eas detexiſſe per examen: etenim primarium adhuc ac præſtantiſſimum deeſt.

deeſt. Et quid illud? *Contritio*, dicit Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Deeſt adhuc verus dolor, pœnitudo vera, quæ ſola poteſt interimere, necare, & extirpare ex anima abominabiles peccatorum belluas. O DEUS! Utinam punctum iſtud, quod ſanè maximi momenti, & pro tota noſtra vita, & pro ſalute noſtra ſummæ neceſſitatis eſt, bene imprimeretur cordibus, bene infigeretur Animis noſtris, & bene intelligeretur; quandoquidem timeo, nè ob defectum veri doloris, ac pœnitudinis, fiant innumerabiles confeſſiones ſacrilegæ, & infinitæ Animæ hac de cauſa damnentur.

III. Multi omnes ſuas cogitationes, omnem ſuam diligentiam ſolummodo in eo collocant, nè in examinanda conſcientia ullius peccati obliviſcantur, útque ſciant ſe bene explicare Confeſſario. De hoc ſolo cogitant, ad hoc ſolum attendunt, non tantùm antequam accedant ad confeſſionale, ſed etiam dum jam ad pedes provoluti ſunt Sacerdotis. Et in hoc penitus abſorpti nec quidem recordantur eliciendi doloris de ſuis peccatis, ſicque de illis nec dolent; Narrant illa ſolummodo ore, & quaſi ex charta ſtudiò conſcripta; ſed in corde dolorem nec quidem minimum habent. Profectò intolerabilis, aliisque omnibus major error iſte; ac Pœnitentia talis ſinè dolore, ſinè pœnitudine vera de peccatis, corpus ſinè Anima eſt: talis confeſſio ſinè dolore de peccatis, ſacrilegium eſt; in eáque tota cura ſolummodo in hoc conſiſtit, ut Medico vulnus detegamus. Sed quid facimus ſolummodo vulnus detegendo, ſi mediante dolore eidem nullum applicare remedium velimus? *Qui peccata confitetur, & non deflet*, dicit Sanctus Gregorius Magnus, *perinde eſt, ac ſi quis Medico vulnera detegeret, & curam nollet.* Eſt igitur ſcitu neceſſarium, ſinè dolore vero, & pœnitudine de peccatis, confeſſionem non bonam, ſed ſacrilegam eſſe, etiamſi confeſſa ſint omnia peccata, ità ut nec unicum omiſſum fuerit. Si dolor de peccatis deſit, ſemper, & in omni qualicunque caſu, confeſſio eſt ſacrilega, nec reſtituitur anima in gratiam DEI; & talis confeſſio repeti debet. Si *dolor deſit*, dixi: itaque ad validam confeſſionem dolor eſſentialiter & indiſpenſabiliter requiritur, ſive deinde ſit perfectus ſeu contritio,

tio, ſive imperfectus ſeu attritio: quia intra Sacramentum alteruter ex his duobus ſufficit, prout poſtmodum dicam. Et quamvis juxtà opinionem communiorem, & ſecuriorem, antequam accedamus ad confeſſionem, eliciendus ſit, tamen ad ſummum, ſufficiet illum elicere antequam abſolutio percipiatur; & in defectu hujus, etiamſi confeſſio ſit de ſolis peccatis venialibus, tamen ſacrilega erit. O quàm metuo, nè in illis, qui ſæpiùs confitentur, cauſet diabolus ſimilem deteſtabilem negligentiam, & hoc foret abſque dubio omnia, & quidem æternum perdere. O Animæ! O Animæ! non inducit nos ſolummodo in ruinam diabolus per peccata, dicit Sanctus Chryſoſtomus Homil. 5. ſuper 2. ad Corinth. ſed invenit etiam modum nos in ruinam præcipitandi per ipſam Pœnitentiam. *Alios quippe hoſtis per peccata, alios per pœnitentiam perdit.*

IV. Ah ponderate & conſiderate bene hanc ſummam, indiſpenſabilem neceſſitatem doloris, & pœnitudinis poſt peccatum. Ponderate & altiùs vobiſcum illam perpendite: Sinè confeſſione, & ſinè aliis Sacramentis non perceptis in actu, quia non poterant percipi, dantur caſus, in quibus Anima poteſt ſalvari; Sed ſinè vero dolore de peccatis commiſſis, nunquam, nec in ullo caſu, Anima ſalvari poteſt, ſive deinde Sacramenta percipiat, ſive illa non percipiat. Sinè dolore de peccatis commiſſis non eſt ſalus; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Luc. 13. v. 5. dicit nobis ipſemet Dominus collator gloriæ. Explicabo hoc clarius. Quanta neceſſitas eſt Baptiſmi? Summa. Ecce in adultis, qui jam pervenerunt ad uſum rationis, dum percipiunt Baptiſmum, ut cum illo percipiant gratiam, & liberentur à peccatis, debet adeſſe, definiente Sacro Concilio Tridentino Seſſ. 14. c. 1. verus dolor & pœnitudo de illorum peccatis, ſaltem Attritio, ut explicant Doctores. Et ſi quis illorum non habeat iſtum dolorem, non percipit gratiam in Baptiſmo, ità ut Baptiſmus ſinè dolore de commiſſis peccatis informis ſit, & gratiam conferre non poſſit. Jam autem è contrario ſcimus, illum, qui non poterat percipere Baptiſmum, deſiderat tamen illum cum compunctione cordis, dolendo cum vera contritione, & amore DEI ſuper omnia, licet non obtineat Baptiſmum fluminis, tamen ſinè dubio conſequi gloriam. Patet ergo, quòd Baptiſmus adultis, ſinè dolore de ſuis peccatis, non poſſit conferre gratiam; et è contrario

trario dolor, modò ſit perfectus ſeu contritio vera, etiam ſinè Baptiſmo, poſſit illis dare gloriam. O ſummam neceſſitatem doloris de peccatis! O potentiam ſummam pœnitentiæ & doloris! Iterùm: pro peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, quale remedium nobis remanet? Unicum & ſolum, Confeſſionis ſeu pœnitentiæ videlicet, Sacramentum, quod, ut ad initium dixi, illa poſt naufragium tabula eſt. Itaque, ſi in confeſſione non adeſt pœnitudo, & dolor de peccatis (ſaltem attritio) non ſolùm non conſequitur quis in illa gratiam, ſed inſuper confeſſio ſacrilega eſt; unde confeſſio ſinè dolore nihil poteſt operari, nec collativa gratiæ, nec meritoria, ſed peccatum eſt. E contrario vero, ſi, in articulo etiam mortis, copia confeſſarii haberi non poſſit, & hoc abſente, tamen veram quis de peccatis ſuis Contritionem habeat, ſalvabitur, etiamſi non confiteatur. Et hoc certum eſt: ſicque ſolus dolor de peccatis, modo perfectus, ſive vera contritio ſit, etiam ſinè confeſſione, eò quòd hæc peragi non potuerit, ſalvare poteſt. Ità ſanè: Jam concludo: quòd ſinè dolore de peccatis, nec intra, nec extra Sacramenta, in nullo omnino caſu vel liberari à peccatis, vel conſequi gloriam poſſimus. *Pœnitemini*, dicit mihi & vobis omnibus Sanctiſſimus Pater meus Petrus Act. 3. v. 19. *& convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Inde liquet: unicum peccatorum noſtrorum remedium in vero dolore conſiſtere.

V. Nunc ſingulares quasdam aliquorum pœnitentium confitendi formulas diſcutiamus: quas non rarò inaudio: *Accuſo me Pater, inquiunt ſubinde, quòd non veniam cum dolore debito & requiſito, cum dolore quem deberem adferre de peccatis meis.* Ain': diſplicétne tibi, quòd offenderis Dominum DEUM tuum? *Utique: inquis, quidni diſpliceat!* Quid ſibi vult iſtud? quid per hoc vis innuere? Si hoc: quòd nullum horrorem, nullum dolorem de tuis peccatis habeas; ſurge, confeſſio ſacrilega foret; abſolutionem non percipe. Si verò dicere velis, quòd, quantumvis peccata abomineris, verúmque de iis dolorem adferas; nihilominus tamen hic minùs intenſus ſit, quàm & tu ipſe velis, & ipſa tua peccata exigant, ac proinde illa condigna compunctione & fervore deteſtari nequeas; mitte curas, ac non anxiô, ſed bono animo ſis; dolor, quem habes, omnino ſufficit. Sed ad ſedandas conſcientiæ anxietates, animíque tranquil-

litatem & pacem reducendam, tenella Anima, audi, quæ dicturus ſum:

VI. Turbantur non pauci, quia ſibi videntur non habere dolorem de ſuis peccatis; eò quòd ſuper hæc non plorent, non lacrymentur, quòd nullam teneritudinem, nec talem, qualem ipſi vellent, cordis compunctionem ſentiant. Ideóque lamentantur, quòd cùm dolor iſte ſummus, cùm diſplicentia iſta aliis omnibus major eſſe debeat, quòd offenderint Dominum DEUM ſuum; ipſi verò in ſe talem dolorem non ſentiant, non habeant diſplicentiam talem: quia nec in lacrymas ſolvuntur, nec in corde emolliri ſe ſentiunt. Deceptio eſt iſta ùt plurimùm damnoſa, quæ ut de populo Chriſtiano radicitus tollatur, & exterminetur, mandat Catechiſmus impreſſus ex Decreto Concilii Tridentini, quatenus hoc punctum Fidelibus bene explicetur, quia poſſunt ex ignorantia illius graviſſima damna emergere: *Monendi ſunt Fideles*, ſunt verba Catechiſmi p. 2. c. 75. *nè arbitrentur eum dolorem ſenſu corporis percipi.* Paſtores admoneant Fideles ſuos, nè autument, aut ſibi perſuaſum habeant, dolorem de peccatis ſenſibus corporis percipi, ſive ſenſibilem eſſe debere: ſiquidem hic nec in affectione aut paſſione oculorum, vel vocis, nec in alio materiali ſenſu cordis conſiſtit. Etenim dolor de offenſo DEO, totus in ſe ſpiritualis eſt; & quamvis quandóque effectus materiales lacrymarum, vel ſuſpiriorum cauſet, nihilominus in iſtis minimè conſiſtit, utpote, qui dependent ut plurimùm à diſpoſitione corporis, quique non rarò ad ſimiles teneritudines, eò quòd corpus ſit indiſpoſitum, non ſequuntur, etiamſi anima dolorem perfectiſſimum habeat; ſicut in materialibus ignis non deſinit eſſe ignis ex hoc, quòd in trunco viridi, & humido non tam facilè flamma concipiatur.

VII. Itaque certum, indubitatum, & extra omnem controverſiam eſt, dolorem de peccatis, ſive contritio, ſive attritio ſit, non eſſe dolorem ſenſibilem, ſicut ſunt dolores corporis; *Eſt animi dolor*; id eſt, dolor iſte nec conſiſtit in gemitibus, nec in lacrymis, nec in teneritudine & emollitione cordis, nec in ſingultibus vocis, nec in clamoribus aliis. Omnia iſta eſto omnino deſint, etiamſi nec unica quidem lacryma fundatur, nec emittatur ſuſpirium unicum, poteſt tamen habere Anima veriſſimam contritionem, quæ illam reponat in gratiam Divinam, quæ illam denuo faciat filiam DEI, & hæredem gloriæ.

gloriæ. Sed & è contrario, dum lacrymæ, & singultus plurimi cientur, potest contingere (atque utinam non contingeret) quòd in anima nec contritio, nec attritio, ac proinde nullus omnino dolor sit. Lacrymæ istæ, quas vel complexio humida, & tenera (prout potissimum in fœminis fit) vel naturalis ad planctus, & ululatus inclinatio, vel pathetica aliqua, quam audimus, musica movet, diluere ex anima, ne quidem vel unicum peccatum veniale, minùs delere peccata gravia possunt. Habet motiva tantùm supernaturalia, & Divina verus dolor. Non elicitur per ea, quæ solùm foris & exteriùs apparent. Videmus non rarò, quòd, dum Concionator aliquis ponderosas rationes, natas de se ad movendum intellectum, proponit pro isto dolore, Auditores quidam persistant oculis non solùm sicci, sed & vel distracti, vel fortassis etiam, ut sæpe vidimus, dormitantes. Derepente dein dum sub finem actus contritionis elicitur, expergefacti, subitò lacrymantur, clamant, & ululant, imóque à pectore gemitus & suspiria ducunt. Equidem ego vehementer timeo, nè scenæ istæ tragicæ vanæ sint, & inanes, similésque lacrymæ, & clamores mentiantur, ac proinde ad verum dolorem minimè deserviant. Illas non motivum quoddam supernaturale, sed communis tumultus expressit. Si lacrymæ animæ sint: non operatur ista sinè intellectu, nec intellectus sinè ratione; itaque si rationes, ac motiva è cathedra proposita, nec animadversa, nec intellecta fuêre, etiam nec ipse intellectus moveri, aut persuaderi potuit. Unde igitur fluunt, unde originantur, quò, & in quem finem tendunt lacrymæ tam repentinæ quandoque in Auditoribus. Si natæ sunt ex naturali quodam timore, pavore, vel ad intuitum, & considerationem damnatæ alicujus animæ, aut calvariæ, certum est, eas (ex hoc capite) omnino inutiles, & pro vero dolore, etiam imperfecto, seu attritione, penitùs insufficientes fore. Quodsi proin intellectus non apprehendat motivum supernaturale, quantascúnque demum similis timor naturalis &c. lacrymas producat, hæ verum de peccatis dolorem nunquam constituent, nihil proderunt; exinde quòd à motivo supernaturali non scaturiant. Ideoque facilè colligitur: non esse motivum pro compunctione actiones illas patheticas, queis hinc inde in ambonibus, in cathedris Christi Crucifixi effigies abdi, populique conspectui subtrahi solet. Unde

ſi dicas: *Lacrymor ideo: quòd Concionator Chriſtum è cruce pendulum occultet: verè* nec con-nec attritus es. *Lacrymor, & ploro, eò quòd alii plorent, eò quod Concionator acerrimè tonet, & fulguret*, &c. arbitrarisne dolorem hunc tuum *verum* eſſe? Sanè non eſt: quia ex ſupernaturali motivo non eſt. Atque adeò aliud ex lacrymis iſtis emolumentum & fructus non capitur, quàm quòd prorſus ad nihil ſerviant, & hæc externa doloris ſigna demum in auram abeant, ventúmque verberent.

VIII. Itaque dolor de peccatis, ex toto dolor animi eſt, ex toto ſpiritualis eſt; eſt horror & odium, quo voluntas abhorret, execratur, deteſtatur, & abominatur peccatum ſuprà omnia abominabilia; ità quidem, ut peccator, ideò ſolùm: ut non peccâſſet, nunquam exſtitiſſe, & millies mori mallet, quàm peccatum vel unicum denuo committere, & per illud à DEO recedere. Eſtisne tali animo? Habetisne talem abominationem, tale odium, horrorem talem de peccatis veſtris? Si ità: etiamſi lacrymam ne quidem unicam fundatis, *verum* tamen dolorem habetis. Quodſi ex hoc vobis poſtmodum penes etiam lacrymæ erumpant, tunc omnino omnes & ſingulæ tanti valoris, tantæ virtutis ſunt, ut per quamlibet earum totum lucrari cælum, & ſalutem poſſitis. Tales ſunt lacrymæ, quas tantopere deprædicant, & extollunt Sancti Patres, & Scripturæ. Infelices admodum reſoluta lacrymas Magdalena fuit, quibus etiamnum integrum cælum totáque Eccleſia applaudit. Attamen quando ſua illi *peccata multa* dimittuntur, non dicit Dominus: hæc ipſi dimitti: quòd ſenſibiles lacrymas fudiſſet; ſed quòd lacrymas fuderit, quæ ex vehementia amoris emanaverant: *quoniam dilexit multùm*. Luc. c. 7. v. 46. Proinde: quamvis lacrymæ deſint, ſi animi tui dolor verus eſt, tuus Paradiſus eſt.

IX. Deinde: dolor, quem dixi, non conſiſtit in intenſione, ſed in appretiatione; itaque non multùm intenſus (ſufficit enim gradus intenſionis minimus) ſed ſumme appretiativus eſſe debet. Quos quidem terminos, quantumvis alibi jam explanavi, indéque eosdem vos intelligere autumem, tamen illos per aliud exemplum rursus explicabo. Imaginemini vobis Nobilem quemdam, filios habentem duos: Primogenitum alterum, atque provectioris ætatis, ſupra quem ſpes tota propagandæ ſtirpis innititur, quíque eam morigerâ vivendi norma

ma magnificè exornat; alterum juniorem, teneræque ætatis adhuc, & necdum ex ephebis egressum. Ejusdem patris uterque filius est; sed si affectum spectes, dubitaveris. Hunc unicè diligit, tenerrimè complectitur, atque in intimis visceribus fovet; Illi, ac si filius non foret, vix ullum paternæ benevolentiæ signum exhibet. Quem putas, magis diligi? in casu, quo alteruter inevitabili fatô perdendus esset, id ipsum facilè pateret. Indubiè tunc Pater: Pereat junior, diceret, jactura hujus minoris momenti est: modò natu-major servetur, decus & fulcrum labantis familiæ meæ. Isténe est amor ille vehemens Patris, quô paulo ante erga filium suum juniorem adeò impensè ferebatur? est omnino: sed amor iste in teneritudine excedebat, atque adeò amor intensus; ille verò, quo Primogenitum complectebatur, amor appretiativus erat. Ità etiam dolor de peccatis, & noster in DEUM amor, ex quo ille procedit, appretiativè summus, & summè appretiativus sit oportet, adeò ut peccator perdere omnia, vitæ, famæ, fortunæ, bonorum denique omnium jacturam facere, imò mori potius, quàm fœdari, ac Supremum Numen offendere, & denuo peccatum aliquod admittere paratus esse debeat. Atque ad hunc dolorem appretiativum obligati sumus, quamvis ad illum, quem intensum vocant, non teneamur. David in vehementissimo illo dolore suo nonnisi: *Peccavi Domino!* dixit. Peccavi! inquiebat; nec legitur tunc, peccatum suum lacrymis, & fletu prosecutus fuisse. Postmodum, (sacro testante eloquio) pro defuncto suo filiolo incessanter ingemuit, ploravit continuò, diu noctúque lacrymatus est. Sed quid? an arbitremur doluisse Davidem super morte filii sui magis, quàm super iniquitate sua? absit. Equidem dolor ille super jactura filii summè intensus, ille verò, quem de peccato conceperat, appretiativè summus fuit; ità, ut, si non peccâsset, perdere non tantum filium, sed & Coronâ, imò non Coronâ tantum, sed cadere vitâ ipsâ voluisset. Ideo continuò percipere remissionem, & audire meruit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. v. 13. Utinam & nostras dolor iste animas sempertransfixas teneret.

Sanctus Vincentius Ferrerius in Fer. 6. post Dom. I. Quadrag. admiratione dignum quid de alio Concionatore refert, quod sibi ipsi contigerat: profundissima quippe Sancti hujus Viri humilitas propria X.

prodi-

prodigia alieno ſchemate palliare conſueverat. Erat reperire in Hiſpaniæ civitate quadam mulierem, in quam natura omnes ſuas dotes congeſiſſe videbatur. Erat formâ corporis tam ſpecioſa, quàm abominabilis in anima; ſalax proſtibulum, quod, quemadmodum omnium oculos in ſe convertit, ità plurimos in ruinam traxit: itaque animas in infernum velut triticum in horreum intulit. Audiebat meretrix publica, quæ pecuniis ex abuſu corporis redactis, in vita ſimul, & in veſtitu magnificè ſuſtentabatur. Inde mundo muliebri tantùm ſe exornabat, ut multorum; quos libidinis flammâ aduſſerat, in frequentibus rixis & ſanguis, & vita profunderetur. Cæterùm celebrabatur quondam feſtum quoddam, quo è cathedra Sanctus Vincentius dicebat. Convenerat ingens populi copia; illa pariter magis concurſu populi, quàm ipſa feſtivitate ducta ad Eccleſiam ſe contulit, eo fine, ut ab omnibus conſpici, aliorum oculos paſcere, & illaqueare animos poſſet, in loco ad hoc ſingulariter electo. Tandem Concio, & Apoſtolicus Prædicator horribilem luxuriæ turpitudinem, horrendàsque, quæ illam manent, pœnas exaggerare incepit. Poſtmodum ſub finem ad ponderandam & perpendendam per rationes tam ponderoſas, tam efficaces prodigioſam veræ contritionis pro delendis peccatis, pro reditu in DEI gratiam, pro acquirendo Paradiſo, efficaciam tranſiit, adeò ut mulier illa primò tota attonita & ſuſpenſa derepente in terram ceciderit. Accurrunt præſentes omnes, & eam mortuam inveniunt. Increbuit rumor; & in omnibus exorta compaſſio eſt de morte tam improviſa, quòd ſinè perceptione Sacramentorum, ſinè ſignis pœnitentiæ extincta ſit, quæ, ùt omnibus conſtabat, profligatiſſimam vitam duxit. Compeſcuit verò plebem Vir Sanctus, & prædictam fœminam pravi & vehementia veræ, & perfectæ contritionis mortuam eſſe conteſtatus eſt. Sancti Viri dicta ipſum cælum continuò confirmavit per vocem, quæ in omnium auribus ſonuit: *Nolite orare pro illa, imò vosmetipſos illi commendate, quoniam in cælo eſt.* O inexplicabilem doloris virtutem? O potentiam ineffabilem veræ contritionis! Unico inſtanti tantùm lucrata eſt anima iſta, quantum per auſteriſſimam, multisque annis continuatam vitæ normam vix adepti ſunt Stylitæ, Antonii, &c. In unico inſtanti doloris animi tantum lucrata eſt, quan-

quantum per crudeliſſima tormentorum genera vix conſecuti ſunt Sancti Martyres, Agatangeli, Clementes, &c.

Igitur Chariſſimi! dolor iſte eſt breviſſima, & compendioſiſſima ad cælum via; Dolor iſte eſt clavis potentiſſima, quæ nobis aperire Paradiſum poteſt, quantumcunque illum occluſum nobis noſtra peccata teneant. Demum dolor iſte feliciſſimus in unico inſtanti poteſt nos ex abjectiſſima diaboli ſervitute in veram filiorum DEI libertatem aſſerere, atque efficere ex deputatis ad infernalem rogum titionibus veros æternæ gloriæ hæredes, & poſſeſſores. XI.

INSTRUCTIO X.

De Motivis, quæ debet habere Dolor de peccatis, ut ſit proficuus. Et qualia ſint Motiva Attritionis, & Contritionis.

EX igne aquam naſci prodigium eſt. Quòd ſi contra ordinem naturæ pro triumpho ſuo de hoc ars ſe jactitet; meliùs contra diſordinem ipſiusmet naturæ hoc celebrat pro majori ſuo miraculo gratia: *Stillat ab igne liquor.* Ignis diſtillatus in aquam? Videtur hæc contradictio eſſe; attamen ità perfectiſſimè, & ad oculum verus pœnitens adumbratur, per alembicum nempe ſuprà ignem poſitum, qui de medio hujus incendii cryſtallinas ſtillat guttulas. Unde prodit aqua iſta? Unde tam pretioſæ lacrymæ, quæ adeò ſubtiliter emanant? Ex illo utique igne; ex ardore illo, qui intùs reconditus & abſconſus, urit: I.

Si quid adhuc dubitas, eſt teſtis lacryma flammæ,
Semper ab occluſo ſtillat ab igne liquor.

Ità pariter: dum occluditur & foveturintra cor veri Pœnitentis Diviniſſimus ignis; ad flammam Divini hujus amoris, quæ exſpirat vapores puriſſimos; ad incendium doloris de peccatis, quod conſumit terrenas fœces, prodit ex oculis aqua Angelorum. In lacrymis *aqua vitæ*, *aqua* optimæ *vitæ* in fletu. *Hic ignis*, dixit Sanctus Petrus Damiani opuſc. 63. c. 13. *in aquam vertitur, quia ex igne Divini amoris lacrymarum compunctio generatur.* Sed quoniam, ut videmus, *plus* vel *minus* virtutis medicinalis iis inſit; atque ex diſtillatis

hiſce aquis, aliæ ſint remiſſiores, aliæ efficaciores, aliæ majoris & fortioris, aliæ minoris & debilioris odoris & fragrantiæ; unde in illis provenit tanta diſtinctio emolumenti & proficuitatis? Ex illarum origine. *Vis ab origine pendet*; appoſuit illis pro ſymbolo Illuſtriſſimus Areſius. Quò magis & vehementiùs ad ſubjectum ignem intus ebulliunt, eò majoris, vel minoris utilitatis ſunt aquæ, quæ per diſtillationem emittuntur. O lacrymas, rem mundi viliſſimam, ſed & gemmas pariter pretii inæſtimabilis! O lacrymas contemptibiles, dum veſtram ex caduco & terreno motivo originem habetis; ſed & pretioſiſſimas, totóque cælo æſtimabiliores, quando veſtrum à DEO principium eſt! *Vis ab origine pendet.*

II. Invenit Medicorum Princeps Hyppocrates & vitæ & mortis præſagia quædam in lacrymis. Dantur lacrymæ quæ ſunt indicia ſanitatis, ſigna meliorationis; & dantur lacrymæ quæ ſunt fatales mortis prodromi. Duo tam contraria in lacrymis? Ità eſt. Sed quomodo dignoſcemus illarum diſtinctionem? Evidens hujus ſignum dat prædictus Princeps Medicorum; quod quidem ego ut certius circa ſalutem animæ, quàm circa ſanitatem corporis teneo. *Quicunque in febribus ex voluntate illacrymatur, nihil abſurdi: qui verò non ex voluntate, abſurdiùs*; Hyp. lib. 7. Aphor. 87. De lacrymis, quæ in febri naſcuntur cum voluntate infirmi, quæ procedunt unitæ cum velle, nihil timendum eſt, non adeſt periculum; bonum ſignum ſunt. Sed lacrymæ, quæ ſinè voluntate infirmi erumpunt ex oculis, malum ſignum ſunt, ſignum mortis ſunt. Voluntas eſt, quæ tunc in lacrymis vitam, & mortem diſtinguit.

III. Hic igitur agite: cùm lacrymæ tam frequentes ſint, diſcamus lacrymari. Etenim ſcire flere, ſcire dolere ſcientia eſt, cui addiſcendæ per totam noſtram vitam inſudare debemus. Et quis eſt, qui profundam æquè ac ſublimem hanc ſcientiam callet? *Docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum*, dicebat DEUS per Jeremiam cap. 9. v. 20. ſœminis Jeroſolymitanis. Docete filias veſtras, non cantum, non ſaltus; ſed quomodo dolere de peccatis debeant; doceat unaquæque amicam ſuam, non mores elatos, non modum ſe exornandi; ſed motiva pro deflendis peccatis ſuis. O quàm negligitur in familiis, quàm incognita eſt ſcientia hæc, in qua tamen ſalus noſtra ut plurimum ſita eſt. Aliqui eam negli-

negligunt, eò quòd dolorem hunc tam ſummè neceſſarium omnino ignorent, nec ſit, qui eundem illos doceat.

Neceſſarium mihi videtur in puncto tam momentoſo revocare vobis in memoriam tritum illum caſum, de rudi & inculto quodam famulo. Venit hic ad confeſſionale ſéque accuſavit, quòd furatus ſit in domo ſcutellam argenteam. Quæſivit ex eo Confeſſarius, an de furto commiſſo doleat? ille ſereniſſima fronte: *Ego de hoc nullum dolorem habeo, ſed meus Dominus.* O infelix ignorantia! quot dantur, qui ſibi ſtolidum iſtum, & inſanum conceptum formant de diſplicentia, de dolore peccatorum, ſinè quo nec validari Sacramentum, nec dari remiſſio peccatorum, nec gratia percipi, nec ſperari ſalus poteſt. Si dicas hoc autem nonniſi in plebe valde rudi & inculta evenire poſſe; audi, quid referat noſter Cardinalis Bellarminus de Arte mor. l. 2. c. 6. Viſitavit hic quendam amicorum ſuorum Virum divitem non minus quàm Nobilem, qui propter commiſſum quoddam peccatum grave, in morbum lethalem inciderat, ac morti propemodum viciniſſimus erat. Hortabatur hominem ad verum actum contritionis eliciendum, eò quòd in hoc totum ſuæ animæ remedium conſiſteret. Infirmus verò: *Quidnam eſſet contritio, rogavit; ſe non intelligere, quid ſibi dicatur,* Repoſuit Bellarminus: Contritio eſt, ut doleas de tuis peccatis, eáque ex toto corde tuo abomineris, ob amorem DEI infinitè amabilis; ac firmiter proponas nunquam ampliùs peccare; penes etiam ſperes DEUM tibi propitium fore, & tua tibi peccata condonaturum; Ad quod infirmus: ſe Bellarminum non intelligere, nec ad ſimilia modò habilem eſſe; Atque ſub hæc extinctus eſt, relinquens manifeſta ſuæ damnationis ſigna. Cavete, nè vos obruat mors in tam lacrymabili ignorantia; ſiquidem ſcire dolere de peccatis, eſt ſcire ſuam propriam ſalvare Animam. IV.

Certum itaque eſt, & velim bene advertatis, non ſufficere de peccatis ex animo, ex corde, verè ac ſeriò dolere: & etiamſi ex tali dolore ſpargantur de peccatis integra lacrymarum maria; ſi iſte dolor, ſi lacrymæ iſtæ ſunt ſolummodo ob fines, ob rationes, & ob motiva merè humana, & naturalia, non ſerviunt ad expellenda peccata ex Anima. Multùm & vehementer dolet fur de ſuis furtis, quando ſe in carcerem conjectum videt. Ecce jam tibi dolorem verum, V.

rum, dolorem ſerium, dolorem vehementem, dolorem de peccatis; ſed ſi dolorem iſtum ſolummodo ideo habet, quia peccata illa ipſum ad patibulum ducunt, ad nihilumſerviet, inutilis erit. Valde & ex corde dolet luſor, mendax, luxurioſus, potator; quando ille videt ſe in luſu perdidiſſe ſuam ſubſtantiam; Alter, ſe eſſe deprehenſum in mendacio; iſte, ſuam ſe laſciviam excruciare multis tormentis in lecto; ille, ſe publicè infamatum eſſe; ſed ſi iſte dolor, quantumcunque vehemens, ex iſtis ſolummodo motivis proveniat, nullum affert levamen animæ. Alia, quæ ſua virginitate perdita, proſtitutam ſe atque ab omnibus contemptam, omnibus exoſam videt, eximò corde in copioſiſſimum lacrymarum imbrem ſolvitur; quod ſi autem lacrymæ iſtæ, etiamſi fundantur ex ſumma cordis afflictione, ex hoc ſolummodo humano motivo fluant, ad mundandam à peccato Animam, nihil proſunt. O DEUS! quandoque dolorem hunc, lacrymas iſtas in confeſſionali experimur! ego verò fateor, me nunquam magis diffidere, an confeſſio ſit bona; nunquam magis timere, nè ſit confeſſio ſacrilega. Flendo, & inter ſingultus, referre habitas cum Marito rixas, miſerias, paupertatem, mortem filii, diſſenſiones alterius, ad quid iſta? Utinam ex integro exterminaretis tam pernicioſum confitendi modum, & conſuetudinem! In confeſſione peccata cum veritate ſolummodo, cum claritate, ſinè ambagibus dicenda ſunt. Ecquid prodeſt exponere, referre, perpendere, quòd fame filii pereant, quòd nec quidem fruſtum panis Maritus lucretur? quòd ſocrus, --- Ethæc omnia eſto multis cum lacrymis referantur; præterquam quòd ad confeſſionale minimè ſpectent, timeo tamen etiam, nè hoc fiat vel ex fine, & intentione captandi eleemoſynam potiùs quàm confitendi; vel animô, per allegationem ſimilium neceſſitatum, peccata excuſandi; vel, quod pejus eſt, nè animô circa temporalia iſta infortunia penitus occupato, dolor de peccatis omnino memoriâ excidat, ac de eo eliciendo nè quidem cogitatio ſubeat, ſicque multæ confeſſiones nulliter peraguntur. Non ſunt ergo hæc & ſimilia deflenda in confeſſione, non ſunt iſta motiva doloris, in hoc Sacramento adeò neceſſarii, non ſunt iſtæ veræ rationes, pro diſplicentia vera ſuper peccatis, quæ ſolummodo mundare Animam poteſt. Deflere peccatum, non propter peccatum, ſed propter amiſſionem temporalem, propter infor-

infortunium in divitiis, propter calamitatem vitæ, ô lacrymas abjectas, contemptibiles, inanes; *Lacrymæ volvuntur inanes*; dixero ego hic meliùs, quàm dixerit Poëta: lacrymæ fruſtraneæ, vanæ, & ſinè emolumento: *Plangis corpus, à quo receſſit anima*; dicit Magnus Auguſtinus, *non plangis animam, à qua receſſit DEUS?* Defles amiſſiones temporales, & non defles damna æterna? æmularis profectò illum, qui, dum domus ejus, ſupellex, & aulæa pretioſa, gemmæ, lapides pretioſi, diverſæ picturæ comburerentur, nonniſi curaret, ut accurreretur cum aqua ad ſtabula, ad culinam. Utique homo, diceres tali, ésne ſtultus? Hic ſalvas quod leve & exiguum eſt; ibi perdis, quod multò pretioſius eſt, totum tuum capitale, totam ſubſtantiam tuam; & ſolùm defles, quod nihil valet, & quod nihil importat? *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei:* Pſal. 118. v. 136. dicebat David. Quare? quia illi occiderunt ſexaginta millia Va allorum intrà breve tempus? Quia perdidit filios? Quia ſe vidit invaſum ab uno malevolo filio in ſuomet proprio Regno? Nihil horum. Quare ergo ità plangunt Davidis oculi? *Quoniam non cuſtodierunt legem tuam:* Quia non obedierunt Præceptis tuis. Propter hoc ſolummodo dolet: quia nimirum peccavit. Probat vobis cum evidentia Sanct. Joannes Chryſoſtomus, qui dolor ſit propter peccata. Impoſuerunt tibi mulctam, pœnam? hoc ſentis? Non ideò tamen intermittis illam ſolvere: eſt tibi mortuus filius; illum defles? Non ideò tamen illum reſuſcitas tuis lacrymis. Fecerunt tibi injuriam; hoc doles? Attamen non ideo illam obliteras tuo dolore. Es infirmus: hoc tibi diſplicet? Verumtamen non ideò convaleſcis, eò quòd habeas talem diſplicentiam. Attenti nunc eſtote: peccâſti ergo, tibi diſplicet, doles ſincerè te peccâſſe, & doles amore DEI; iſte dolor mundat immediatè te à peccato, lavat Animam, liberat te de ſervitute dæmonis: *Ergo triſtitia*, concludit & evincit Chryſoſtomus Homil. 5. ad pop. *ergo triſtitia tantùm facta eſt propter peccatum.* Cùm igitur in nullo alio medeantur, in nullo alio juvent dolor, diſplicentia, lacrymæ; pro peccato ſolummodo iſtæ factæ ſunt, à quo ſolùm liberant: alia motiva naturalia & humani fines nihil juvant in dolore. Dolor ex iis eſt pœnitentia falſa Saulis, nè perderet ſuum honorem, quæ ſufficiens fuit ad illius damna ionem Iſt eſt mendax pœnitentia Antiochi, ſolummodo ob periculum vitæ, & hæc

illum consignavit inferno. Ista est pœnitentia Judæ, plena infidelitatis, & desperationis.

VI. Jam ergo, cùm non sufficiat, ut dolor de peccatis sit verus, sit ùt plurimùm ex corde; sed quòd debeat esse ex motivis, & rationibus supernaturalibus; quales istæ debent esse? Possunt esse in duplici modo. Duo mala in peccato mortali sunt observanda; primum, offensa DEI. O quale malum tam infinitè malum! Secundum, damna, quæ reliquit in Anima illius, qui illud commisit; perdidit gratiam, & gloriam, & condemnatus ad perpetuum infernum. Secundum hoc potest esse duplicis modi dolor, vel perfectior, si solummodo respiciat offensam DEI; vel minùs perfectus, si respiciat solummodo damna peccati. Iste secundus ergo est quando anima detestatur, & abominatur peccatum vel ob timorem inferni, qui illam exspectat; vel ob spem gloriæ, quæ promissa est justis; vel ob turpitudinem abominalem ipsiusmet peccati, & idcircò firmiter statuit nunquam illud ultrà committere. Et siquidem ista motiva nobis detegit solummodo Fides, hac de causa sunt motiva supernaturalia; & iste dolor ob talia motiva, est ille; qui dicitur *Attritio*, qui solus per se non est sufficiens ad reponendam Animam in gratiam, & liberandam à peccato; sed erit sufficiens, si hic dolor uniatur cum Sacramento Confessionis; prout vitis necessarium habet inniti Ulmo ad ferendum fructum; aliàs sinè Ulmo remanebit in terra conculcata, & absque omni lucro & emolumento.

VII. Convenit tamen esse vos valde hic attentos, quia hic datur quidam scrupulus periculosissimus, & est; quòd aliud sit timere infernum, & aliud ex timore inferni abhorrere, & abominari peccatum: *Times ardere, non peccare*, dicit Sanctus Augustinus Epist. 44. ad Anast. Si illud, quod tu times, est solummodo ardere in inferno, sed non times peccare, ego mihi tecum congaudeo de tua Fide, dicit Magnus Augustinus; timeo tamen nè remaneat malitia intrà tuum cor: *Gaudeo Fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ*; August. Serm. 19. de verb. Apost. Timere solummodo infernum non sufficit, si retineatur in corde affectus ad peccatum. Hoc ipsum facit latro, dicit Augustinus, Serm. 9. de verb. Apost. & non definit ideo esse latro; intermittit furari ob timorem Judicis, & pœnæ: habet nihilominus in corde desiderium furandi: *Quid enim magnum est pœnam timere? nam*

nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est. Ibat exequi furtum, supervenerunt vigiliæ, abscondit se ex timore, remansit illi tamen intentio: *Malitiam autem non odivit,* dicit de multis Regius Propheta Psal. 35. v. 5. peccatoribus. Ut igitur possit esse proficuus iste dolor, debet detestari, & abominari ex toto corde peccatum, si nos volumus liberare ab ejus æternis damnis. Ista ergo dicitur *Attritio*, dolor minus perfectus, qui solummodo respicit culpam ob mala, quæ causat peccatori, & hic extra Sacramentum insufficiens est.

VIII. Jam autem si respiciatur peccatum solummodo in quantum offensa DEI, tunc est dolor perfectissimus, quando anima ex vili miseria suorum peccatorum se ad DEUM convertit cum tanto amore, cum tam accensis affectibus, ut oblita ex toto sui interesse, solum doleat DEUM se offendisse, eò quòd ipsum amet. Ista est ergo contritio, dolor de peccato, abominando illud supra omnia mala propter amorem DEI quem anima amat supra omnia bona. Iste est igitur dolor summus, quia abominatur peccatum magis quàm omnia unita alia mala; & iste est dolor purus, purissimus, quia solummodo movetur ob bonitatem infinitam sui offensi DEI; ità, ut non solùm illum non moveat timor inferni, sed etiam si posset, ad tollendam, & destruendam offensam DEI, intrare in infernum, hoc faceret, & eligeret ejus tormenta, solùm ad tollendas, & repellendas à suo DEO offensas. Et finaliter omnia mala simul unita paterentur in se solummodo amore DEI, de cujus offensa dolet. Quàm bene vos docet præstantiam hujus actus Sanctus Job cap. 7. v. 20. *Peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum?* O custos amabilissime animæ meæ! peccavi, & propter meum peccatum video me esse privatum cælo, video me mereri infernum, video me prolapsum esse in summam infelicitatem; de nullo tamen ex his tantùm doleo, quantùm quòd te solum offenderim: *Quid faciam tibi?* Quid unquam possem facere ego ad tollendam omnimode tui offensam? Nihil de me curo, nihil de me cogito, nihil respicio quod meum tangat interesse: *Quid faciam mihi?* Non; non dico hoc, sed *Tibi.* Tantummodo possem facere, ut tu nunquam offensus fuisses à me, etiamsi arderem in inferno, etiamsi paterer omnia inferni tormenta solummodo utinam Te nunquam offendissem.

Ex

IX. Ex dictis itaque colligitur, motiva *Attritionis* esse tria: primum est: timor inferni præparati à DEO peccatoribus: secundum, spes gloriæ promissæ Justis: tertium, turpitudo peccati agnita per lumen Fidei, ut dolor sit supernaturalis. Sed è contrario motiva Contritionis solùm ad unicum reducuntur; quod est Majestas, & Bonitas DEI, offensa per peccatum ab anima. Felicem illum, & infinitè felicem, cui datum est, habere contritionem istam in vita! Sed multò tamen feliciorem illum cui dabitur, habere illam in morte; siquidem eò ipsò instanti, quo quis ità conteritur cum voto, & proposito confitendi, etiam ante confessionem peractam, fit liber à peccatis suis, sint illa qualiacunque velint, restituitur in gratiam DEI, efficitur Anima ejus velut in altero Baptismo, nive purior. Et talis poterit esse virtus doloris, ut solus avertat maxima tormenta, & liberet à pœnis maximis.

X. Refert Thomas Cantipratanus, lib. 2. de univers. c. 5. p. 7. hunc prodigiosum eventum, eúmque suo tempore factum esse. Erat Archi-Episcopus Senonensis in Gallia Venerabilis Petrus Corboel, eximiæ, & notissimæ virtutis Prælatus. Dum itaque ille excipiebat in Ecclesia sua confessiones, venit ad pedes illius vir quidam, qui inter alia graviora, peccatum quoddam auditu terribile, valde enorme, & maximè abominabile commiserat. Confessus est illud multis cum lacrymis, postmodum se ad sanctum Prælatum convertens, rogavit ex illo tremens: Pater, poterône ego impetrare remissionem à DEO tam enormium peccatorum? Et cur non potes? respondit Episcopus, modò de omnibus verum in corde tuo dolorem habeas, & pœnitentiam peragas, quam tibi sum dictaturus. O Pater reposuit pœnitens, impone mihi, qualemcunque volueris, equidem si possem pati mille mortes, omnes illas libentissimè sufferrem amore DEI mei tam enormiter offensi, in satisfactionem peccatorum meorum. Tunc sanctus Antistes septem annorum pœnitentiam injunxit. Ille verò: O Pater, ajebat, si ad finem usque mundi viverem, ac quotidie omnes, quas vel alii verè Pœnitentes unquam peregerunt, pœnitentias simul, & collectim peragerem, hæ non sufficerent pro satisfactione peccatorum meorum. Quid igitur solummodo septem mihi annos imponis? Animadvertens Episcopus, & cognoscens in tali verborum emphasi ac promptitudine animi

mi vehementiam doloris, quam antea injunxerat, pœnitentiam minuit, & ſeptem annos in tres dies commutavit cum addito: ſufficere ſi tamdiu in pane, & aqua jejunaret. Ad hoc homo ille magis lacrymari, & Confeſſarium obteſtari: quatenùs miſereri animæ ſuæ, eámque reſpicere, ac convenientem delictis ſuis pœnam injungere vellet; hanc minimè ſufficientem eſſe. Tunc confeſſarius: devotè, inquiebat, & cum compunctione cordis, unicam orationem Dominicam, eámque me præſente, & illico hic locorum perſolvas velim. Ille nonnihil ſuſpenſus hæſit, tandem, recollectis Spiritûs ſui viribus loqui, & *Pater noſter* dicere incepit. Atque ad hæc verba altum ingemiſcens, continuò extinctus eſt, & exanimis humi procubuit. Deinde Venerabili Archi-Epiſcopo revelatum fuit (quod ille ſuo etiam populo retulit) Virum hunc prævi, & amaritudine ſuæ contritionis, feliciſſimè, & pretioſa in conſpectu Domini Sanctorum morte defunctum eſſe: eoque ipſo momento, quin anima ejus vel per unicum inſtans in purgatorio, detenta fuiſſet, ad amicabiles DEI amplexus evolâſſe, atque ad conſpectum Divinæ Majeſtatis aſſumptam eſſe.

O Animæ! ſurſum tendite cum Divina iſta doloris de peccatis flamma; nam illa habita nihil datur, quod nos impedire poſſit à conſequendo in unico momento centro felicitatis immenſæ, & abyſſo infinita gloriæ. XI.

INSTRUCTIO XI.

Comparatio inter Attritionem, & Contritionem ad cognoſcenda emolumenta incomparabilia Contritionis.

TUnc demùm perfectio & qualitas unius boni cognoſci poſſunt, ſi hoc cum alio in comparationem veniat. Sic rapit aurum oculos ſuô ſplendore, ut conſideratô illô ſolô difficilè ſit cognoſcere, & exactè diſtinguere perfectiones ejus graduales; ſed collocato ex altera parte alio quodam fuſtulo auri pretioſioris, immediatè videtur in primo lapſus fulgor, deficiens ſplendor, pallidus ejus, ac flavus color. Rapit omnes in ſui admi- I.

admirationem coccus, dum ſolus conſideratur, ac quilibet intrà ſe dicit: quæ rubedo tam accenſa! quæ purpura tam viva! quis color tam elegans! Sed explicatus in præſentia alterius ſubtilioris & exquiſitioris, per ſolam comparationem color illius apparet remiſſus, propemodum fugiens, aut omnino extinctus. Celebre Græcorum proverbium eſt: *Purpura juxta purpuram dijudicanda*; Purpura non eſt laudanda dum ſola conſideratur, ſed fiat comparatio cum altera, & tunc patebit ſubtilitas & aliæ qualitates ejus, quantique æſtimanda ſit. Facienda nobis quoque adhuc comparatio eſt auri unius ad alterum, purpuræ unius cum altera; quandoquidem tantam diligentiam requirit dolor de peccatis (& perfectus, & imperfectus) in quo de noſtra agitur Anima; in quo noſtra conſiſtit ſalvatio, in quo de DEO agitur. Uterque eſt aurum tanti valoris, ut illo nobis cælum comparare poſſimus, hoc equidem fateor; tamen, cùm in auro terreno, non contenti illius valore ſimus, ſed majorem ac majorem præſtantiam ſolicitè attendamus; & in hoc auro cæleſti perfectiſſimam & exactiſſimam puritatem quæramus oportet. Uterque (& dolor perfectus & imperfectus) purpura eſt, quâ Regalis inſtar Paludamenti ùt filii DEI veſtimur; & hoc non diffiteor. Sed ſi in purpura, quæ inutile mundi ornamentum eſt, tanta adhibetur cura, ut eam ſeligamus, quæ vivaciſſimi ac præſtantiſſimi coloris eſt; quidnî in iſta purpura, quæ noſtra æterna pompa erit, vivaciſſimum & immarceſcibilem ejus ſplendorem præprimis & ſummopere attendamus? Videmini mihi deſiderare majorem hujus explicationem: Dabo.

II. Itaque Attritionem cum Contritione comparare debemus. Utraque tantum, quantum ipſum cælum valet, utraque Purpura eſt, quæ tanti, quanti totum cæleſte regnum æſtimatur. Attamen in comparatione unius cum altera, apparet præſtantia tanta, prærogativæ tantæ, ut talis ùt plurimùm cæcutiret, qui unam præ altera non eligeret, quemadmodum illum inſanire diceres, qui aurum præſtantius minus præſtanti non præferret. *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, & probatum, ut locuples fias.* Apoc. 3. v. 18. De Imperatore Trajano referunt, quòd, in defectu faſciarum, purpuram Regii ſui Paludamenti conciderit, eáque plagas & vulnera ſuorum militum obligaverit. Grandis favor! ſed tamen nonniſi talis, qui quan-

quantumvis ſummo illis honori fuit, eorum tamen auferre vulnera non potuit. At Purpura, quâ ob dolorem peccatorum DEUS nos veſtit, & peccatorum vulnera ſanat, & ſupremum nobis honorem affert: *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum:* Pſal. 146. v. 3. Sed, ſicut datur major vel minor dolor; ità pariter datur major vel minor perfectio Regalis hujus Purpuræ. Itaque illas ad invicem conferamus.

III. Conveniunt primò inter ſe Attritio & Contritio, quòd utraque dolor ſupernaturalis ſit, utraque naſcatur à ſuperno impulſu Spiritûs Sancti, qui ille eſt, qui ſolus poteſt movere cor hominis; Quod deinde ità excitatum dolet ob rationes & motiva ſupernaturalia, quæ nonnili per Divinum Fidei lumen cognoſcit. Quàm parùm veritas hæc à multis Chriſtianis cognoſcitur! Profectò converſio unius Animæ eſt donum DEI, & beneficium ſummum, eſt favor infinitus Divinæ Miſericordiæ, tam grandis, tam prodigioſus, ut DEUS in converſione unius animæ plus faciat, quàm facturus eſt in reſuſcitatione omnium mortuorum; plus eſt quàm fecerit in formatione cælorum; plus eſt quàm fecerit in extractione totius hujus Univerſi ex nihilo. Convertere animam aliquam à peccato ad gratiam opus operum ejus maximum eſt; miraculum omnium ejus mirabilium ſupremum eſt; omnium ejus perfectionum compendium eſt. Jam quid de veritate hac ſentit, qui confiſus in naturæ viribus, ſibi blanditur ac promittit, ſe poſt multos ſceleratiſſimæ vitæ annos in unico inſtanti dolorem verum elicere, ad DEUM ex toto corde converti, Divinámque gratiam recuperare poſſe, ac ſi hoc unicè in poteſtate ejus poſitum eſſet, atque ab ejus voluntate dependeret? Quaſi hoc negotium ſit, cujus conſecutio ipſi libera foret? Quas preces non facitis, ut DEUS reſtituere dignetur ſanitatem veſtro filiolo infirmo? Quas orationes non faceretis, & quas lacrymas non funderetis, ut illum vobis à mortuis reſuſcitaret? Ecce hoc reſpectu reſuſcitationis veſtræ Animæ nihil eſt, quæ reſuſcitatio debet fieri per dolorem verum de peccatis. Et cùm iſtum nunquam poſſitis habere niſi DEUS vos priùs præveniat, ac Divino ſuo auxilio moveat; quid ſequitur? Ut repetitis ad DEUM orationibus recurratis, ferventiſſimis deprecationibus illum oretis, quatenus vos moveat, det vobis in Anima dolorem iſtum, qui omnium ejus beneficiorum fundamentum eſt:

Converte me Domine, & convertar, Jer. c. 31. v. 18. O DEUS vitæ meæ! O Redemptor animæ meæ! Ego per me ſolum poſſum peccare; ſed per me ſolum non poſſum dolere; poſſum me maculare, ſed non poſſum me purificare. Potui bibere vas venenoſum peccati, ſed non eſt ſufficiens meum ſolum velle illud extrahere ex corde. Potui cadere in hunc profundum puteum infelicitatum; ſed per me ſolum non poſſum ex eo exire. Tu, Amoroſiſſime Pater, manum mihi tuorum auxiliorum porrige. Reſpice me DEUS meus illis oculis, quibus Petrum reſpexiſti, quibus remedium Paulo attuliſti, quibus in tui amorem Magdalenam, & Auguſtinum rapuiſti; *Reſpice in me, & miſerere mei.* Hunc in finem Sancti ferè omnes orârunt multùm, plorârunt amplius, quatenùs exorare à DEO & obtinere dolorem iſtum mererentur. Dicite mihi nunc: quâ confidentiâ illum ſibi pollicetur talis, qui forſitan per totam ſuam vitam nec quidem unica vice hunc à DEO petiit? O animæ deceptæ & ſeductæ! Pro hoc impetrando dirigendæ ſunt omnes noſtræ orationes, hic à DEO nobis petendus eſt ex toto corde noſtro: *Converte me Domine, & convertar:* O Domine! quoniam Tu vis, ut ego doleam ex tota Anima mea, da Tu mihi dolorem, quo ego excitatus de peccatis meis doleam.

IV. Ex altera parte ipſemet Dominus promiſit ſe nos exauditurum toties, quoties cum perſeverantia & fervore illud petierimus, quod ad noſtram pertinet ſalutem: *Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum:* Exod. c. 22. v. 27. Quid igitur petimus à DEO, ſi non petimus iſtum dolorem, in quo noſtræ ſalutis cardo vertitur? Sanctus Thomas de Villa Nova refert Serm. in Dom. Paſſ. ſe noviſſe certam Dominam, quæ dum ſentiret ſiccum, frigidum, & durum ſuum cor pro dolore de ſuis peccatis, clamabat ad Dominum frequentiſſimis orationibus, petendo illum à DEO. Et ille conceſſit eidem talem teneritudinem, tantam abundantiam lactymarum, ut, huic non potens ultrà reſiſtere, ſæpius exierit ex ſuo oratorio, eò quòd jam ad fletum ei vires deeſſent. Eſt itaque uterque dolor (Attritio & Contritio) dolor ſupernaturalis, donum DEI, & quidem maximum, quod nos excitet, ut ſemper clamemus petendo ab illo iſtum dolorem, qui eſt compendium Divinorum beneficiorum.

Conve-

Conveniunt ſecundò Attritio & Contritio, quòd utraque ſit dolor totus ſpiritualis, totus internus, totus in voluntate, totus in Anima. Decipiuntur multi, exiſtimantes Contritionem & Attritionem diſtingui in hoc, quòd Attritio ſit dolor ſolummodo exiguus, dolor remiſſus; & cogitant, Contritionem eſſe, quæ ſibi multas lacrymas, multos gemitus, multas tunſiones pectoris adjunctas habet; & hac de cauſa ponunt omnem ſuam ſolicitudinem, & curam in his externis & ſenſibilibus ſignis. O quæ deceptio! *DEUS*, dicit Sanctus Thomas de Villa nova Serm. in Dom. Paſſ. *DEUS magis reſpicit de quo doles, quàm quantum doles; & plus curandum eſt, ut dolor ſit perfectus, quàm ut ſit intenſus.* Non eſt iſta diſtinctio quæ intercedit inter Attritionem & Contritionem; & neutra conſiſtit in his exterioribus ſignis. Poſſunt adeſſe multæ lacrymæ, & tamen poteſt ſolummodo eſſe Attritio illa quam in corde habes, & forſitan nec iſta quidem eſt; & poteſt nec quidem unicum ſuſpirium adeſſe, & tamen poteſt eſſe veriſſima Contritio illa, quam habes in Anima. Reſpicit DEUS nonniſi motivum doloris: plus curat doloris perfectionem, quàm ejus intenſionem. Unus adamas ratione ſui intrinſeci valoris (id eſt: illius apparentiæ quam refundit, & conjicit in oculos intuentium) plus æſtimatur, quàm centum lapides Bohemici cum omni ſuo extrinſeco ſplendore. In minori pondere aurum ob ſuam interiorem qualitatem plus valet, quàm magna ſumma ſtanni quantumcunque iſtud ſplendeat. V.

Conveniunt tertiò Attritio & Contritio quòd utraque ſit dolor de omnibus & ſingulis peccatis, nullo omnino excepto. Quæ enim utilitas fuiſſet, de ſeptem dæmoniis, quæ in muliere illa Evangelica inveniebantur, ſex expellere, ſi ibi unum remanſiſſet? Nec opus eſt ut dolor ſit de quolibet in particulari; ſufficit, quòd fiat de omnibus in communi, & omnia æqualiter deteſtetur, & abhorreat Attritio, ſicut Contritio, æqualiter proponat Attritio emendationem, ſicut illam proponit Contritio. Conveniunt tandem ultimò, quòd uterque dolor (Attritio & Contritio) ſit ille quiſcunque, ſit ſufficiens diſpoſitio ad percipiendum dignè & cum fructu Sacramentum Confeſſionis. VI.

Nunc ergo, cùm in omnibus iſtis conveniant, in quo ab invicem diſtinguuntur? In motivo, & in effectibus. Et cum quibus lucris, VII.

cris, & emolumentis tam exceſſivè prodigioſis? In motivo; quia qui dolet cum dolore attritionis, dolet propter ſuum intereſſe, ſicut aliquod mancipium. Hoc eſt: movetur ad dolorem ob timorem inferni, ob ſpem Paradiſi, ob horrorem turpitudinis peccati. Sed qui dolet cum dolore Contritionis, dolet ob amorem, ſicut filius, qui dolet videndo ſuum Patrem offenſum; nec reſpicit, quòd illum caſtiget ira Patris. Itaque quod intercedit inter ſervum, & filium; quod intereſt inter mercenarium, qui ſolùm reſpicit ſuum lucrum; & Principem, qui ſolùm operatur ob ſuam nobilitatem, hoc intercedit inter Attritionem, & Contritionem, ratione motivorum quibus utraque innititur. Et quantum etiam diſcrepant earum effectus? Certè tantum, quantum diſtat cælum à terra. Attritio per ſe nec mundat Animam, nec illi dat gratiam, nec à culpa liberat. E contrario Contritio ſola per ſe, in unico inſtanti, etiamſi commiſiſſet anima plura peccata, & graviora, quàm commiſerunt omnes damnati, omnia in unico momento delet, reſtituit animam in gratiam, Filiam DEI, hæredem gloriæ efficit. Pater Raymundus de Capua, ùt refert Bellarminus de gemit. col. l. 3. c. 1. Confeſſarius Sanctæ Catharinæ Senenſis, petiit à Sancta magnis inſtantis, ut ſibi impetraret à DEO precibus ſuis Bullam aliquam (ità appellabat Bullam plenariæ remiſſionis,) ex qua cerneret omnia peccata eſſe ſibi condonanda. Promiſit hoc illi Sancta: fecit pro illo orationem, & die ſequenti loquens cum Confeſſario, ponderare incepit ingratitudinem hominum erga DEUM, amorem DEI erga homines, & noſtram illius oblivionem; vocationes Divinas, & noſtram duritiem & obſtinationem; beneficia Divina, & noſtras illius offenſiones. Et hæc auſcultans Pater Raymundus, tactus à DEO in corde, vidit multitudinem ſuorum peccatorum cum tanta claritate, ut illi quaſi præ dolore cor evelleretur; prout re ipſa præ contritione integros lacrymarum rivos profudit. Tunc Sancta Virgo dixit illi: Iſta eſt illa Bulla Indulgentiarum, & remiſſionis, quam tibi Dominus tranſmiſit; redde illi gratias pro tam infinito favore. Hoc itaq; facit contritio in unico inſtanti, etiam priuſquam frequentetur Sacramentum Confeſſionis; dummodo adjunctum habeat votum & propoſitum confitendi; *Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei:* Pſal. 31. v. 5.

Illi

Illi decem leprosi, quos misit Christus, ut mundarentur à lepra, ad Sacerdotem, *dum irent*, dicit Sacer textus apud Sanctum Lucam cap. 17. v. 24. mundati fuerunt; *Dum irent mundati sunt.* Ità ergo contritio, à principio statim, solummodo cum proposito confitendi, reponit animam in gratiam DEI; taliter, ut cum non adest Confessarius, vel dum quis non potest confiteri, illa sola sufficiat ad conferendam Animæ gloriam. O quale lucrum, quale emolumentum tam prodigiosum! Non potest negari, Attritionem, si uniatur cum Sacramento Pœnitentiæ, reponere pariter Animam in gratiam; NB. si uniatur. Sed quid, si non uniatur? Sed quid, si nos, qui modo habere solummodo attritionem contuevimus, mors subitanea, & improvisa præoccupet? Absque dubio, absque omni remedio damnatur anima. Sed concedamus adesse Confessarium. Sed quid, si desit ob varia & varia impedimenta, & rationes confitendi tempus? Si differatur confessio? Omitto pro nunc perpendere & ponderare immensam infelicitatem existentis in peccato mortali. Et interim quæ perditio; perdere omnia opera bona, eleemosynas, orationes, Missas, jejunia? omnia hæc sunt perdita, si fiant ab homine in peccato gravi constituto. Quomodo ergo hoc totum poterimus lucrari? Faciendo primò actum contritionis manè dum surgimus, iterum in meridie, ac etiam vesperi, & quò sæpius poterimus. Ista omnino est devotio major omnibus aliis devotionibus simul sumptis; quia omnes aliæ possunt fieri existentibus nobis in peccato mortali; & per consequens omnes sunt perditæ, omnes sinè fructu; sed actus Contritionis, etiamsi quispiam existat in peccato mortali, immediatè illud delet ex Anima, & replet illam gratiâ. Ponite ex una parte hominem, qui sciens se commisisse unum solùm peccatum mortale, faceret per quinquaginta annos, quotquot sunt imaginabiles, pœnitentias & austeritates: qui distribueret eleemosynas continuas, qui omni die jejunaret, qui laceraret suas carnes disciplinis & ciliciis, qui per omnes istos annos omni die eliceret actum Attritionis, dolendo sinceriſſimè & verè de suo peccato, sed sinè confessione; Quæro nunc: fierétne liber cum his omnibus ab illo peccato? Certè non; remaneret nihilominus in peccato mortali. Ponite jam è contrario, quòd per istud spatium quinquaginta annorum commisisset tot peccata mortalia, quot erant instantia illorum

rum annorum, & quidem graviſſima quæque, & quòd poſt hæc omnia eliceret unicum actum Contritionis, reſtitueretúrne in gratiam DEI? Ità eô ipſiſſimô momentô; hoc nullum habet dubium, eſt res de Fide. Quamobrem uni ſoli actui veræ Contritionis non æquivalerent tot anni in pœnitentiis transacti, eleemoſynis, & aliis bonis operibus? Ità eſt. Unico & ſoli actui contritionis non æquivalerent milleni & milieni actus Attritionis. Omnes ſimul uniti nihil valerent; & unicus & ſolus actus Contritionis valet plurimùm. O lucra & emolumenta ineffabilia Contritionis!

VIII. Iſta erit, repeto, maxima unica, & ſuprema omnium noſtrarum devotionum devotio; aſſueſcere ſaltem omni die facere ex tota anima (non verbis, quia hoc ad nihil ſervit) ex toto corde actum veræ Contritionis. Illud lumen Theologiæ noſter Eximius Doctor Pater Franciſcus Suarez in medio ſuorum immenſorum Studiorum, ſuorum prodigioſorum ſcriptorum; quod ſtuporem cauſat Doctis, ùt refertur in ejus vita, omni die elicuit centies actum Contritionis. O quomodo conſuetudo iſta laudabiliſſima cumulabit nos meritis in anima, & faciles reddet in hora mortis (quam neſcimus, nec quomodo, nec quando ventura ſit) pro eliciendo actu contritionis, à quo æternitas dependet. Quodſi illum omiſerimus ob anxietates infirmitatis, ob fletus & ejulatus, ob indiſpoſitiones alias: O DEUS! quid nobiſcum fiet! Dum quidam Studioſus Alcalæ (refert Aponte in Matth. c. 5. n. 29.) ignarus natandi, balneâſſet in flumine quod m, lubricârunt illi pedes, ceciditque in profundum; elapsô aliquô ſpatiô temporis cum maximo labore inde illum extraxerunt; ubi poſtmodum ipſemet faſſus eſt: dum certâſſet cum aquis, ſe bene quidem recordatum fuiſſe Actûs Contritionis; ſed ob metum mortis, & deſiderium liberationis, nunquam ſe illum elicuiſſe. & quid, ſi inde extractus non fuiſſet? Abſque omni remedio æternam damnationem non effugiſſet. Nec dicat quiſpiam: Accidiſſe hoc ex nimia animi perturbatione, multâque cum aquis lucta: nam & Carolus, Sereniſſimus Hiſpaniæ Princeps, Philippi Tertii Filius, dum ex repentino accidenti loquelam perdiderat, hujus uſum poſt multas tandem horas, per evidens Sanctiſſimæ Virginis de Atoccia Madriti miraculum, denuo recuperavit, & ad ſe reverſus dixit? Quòd millies intrà illud temporis ſpatium recordatus fuerit eliciendi actûs contritionis,

tionis, ſed nunquam ad illum eliciendum pervenire potuerit. Cùm itaque tantum ſit periculum noſtrum in illa hora; cùm toto tempore vitæ noſtræ tam facilè habeamus remedium: cùm non ſciamus, qualis & qualiter nobis mors obventura ſit; an ſimus habituri Confeſſarium, an tempus ſufficiens futurum ſit; faciamus omni die, omni veſpere id, quod nobis æternitatis vitam adferre poteſt.

IX. In noſtris annalibus Provinciæ Caſtellæ refertur, ùt ſcribit Pater Faya Dial. de pœn. quòd ſcriba quidam diſſolutiſſimæ vitæ, cùm illi ſæpius ſuorum amicorum aliqui frequentare Eccleſiam, ſequi virtutis ſemitam, ſuaderent, ſubridens, reſpondere ſolitus ſit: Ego bonum ingenium habeo, & damnantur ſolummodo inſipidi, qui neſciunt dolere de peccatis in hora mortis; ſed ego pro tunc, mediante meo ſagaci & callido cerebro, cognoſcam mea peccata, & de illis dolebo. Hæc ille ſæpius. Tandem contigit, quòd, dum ibat per certam viam ad ſuam domum, horâ prandii; infans quinque annorum cœperit illi acclamare: *Avuncule, Avuncule! vide Taurum, vide Taurum*, qui à tergo venit te occidere. Vertit ſe, & nihil aderat. Audierunt & in varias cogitationes devenerunt ſuper hoc multi alii. Infantulus rurſus ad eum adhuc magis cum geſtibus & ſignis magni terroris & metus vociferabat: *Vide Taurum.* Ille hoc pro joco accepit, & converſus ad circumſtantes, dixit: Vidiſtisne qualem ſibi ex me jocum faciat infantulus? Proſecutus eſt iter ad ſuam domum; illuc pervenit, comedit; & in exitu ex domo in ictu oculi defunctus eſt, & ſinè prolatione nec quidem Sanctiſſimi Nominis JESU in terram cecidit. Confidite nunc in veſtra ſagacitate, in ingenio veſtro.

X. O quàm multò meliùs foret, ſi conaremur profectum facere in tempore opportuno de veritate Animæ tam proficua! Utinam cognoſceremus & ponderaremus amorem infinitum, quem DEO debemus? Utinam meditaremur beneficia ejus; noſtram conſideraremus ingratitudinem, ut mota voluntas, ſi non eſt marmorea, deſtrueret per verum dolorem tot & tantas offenſas, ex amore DEI illius, qui replet, & rapit pulchritudine ſua in ſui amorem Beatos omnes in gloria.

INSTRUCTIO XII.

De Neceſſitate veri Propoſiti Emendationis, & quàm univerſale, & firmum eſſe debeat, ut verum ſit.

1. FInito dolore de peccatis, incipimus modò agere de Propoſito emendationis. Felix principium, quocum incipit totum noſtrum remedium. Nunc incipio, dicebat cum vero Propoſito David: *Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi*, Pſal. 76. v. 11. Felix principium dicerem ego pariter, ſi ad explicationem præcedentium Inſtructionum mearum eundem cum Davide animum, ac proin deploratis cum vero dolore peccatis præteritis firmum æquè futura evitandi propoſitum conciperetis, atque novæ emendationem vitæ, reformationémque morum ſeriò inſtrueretis, nec non ad omnem ſalutarem, DEóque acceptam ſemitam actiones omnes & ſingulas dirigeretis. Dolor & Propoſitum illæ duæ facies ſunt, per quas duplici modo Pœnitentia contemplatur uno eodémque tempore præteritum & futurum, ad aperiendas nobis, multò melius quàm quondam Janus fecerit, portas cæli. Contemplatur una facie præterita peccata *Dolor*, qui illa abhorret, & abominatur; & dat operam altera facie ad evitanda futura *Propoſitum*, quod illa pariter execratur, fugit, & deteſtatur: *Dolor Pœnitentis eſt*, dicit Sanctus Thomas, *reprobatio facti præteriti cum intentione removendi ſequelam ipſius.* Unum cum altero uniendum eſt, ut ſit vera Pœnitentia; in modum, ſicut candela ardet, & eô ipſô tempore illuminat: ardet in ſuametipſa flammâ, conſumendo materiam, à qua alitur, & illuminat ſuo lumine omnia circacircum, monſtrando offendicula, ut evitentur lapſus. Ità pariter ardens in corde Pœnitentis Dolor, conſumit præterita peccata; & ab hoc dolore, ab hac flamma naſcitur lux clara Propoſiti ad fugienda impoſterum ex integro offendicula, & lapſus. Vel ergo eſt dolor perfectus (Contritio) & debet ille eſſe conjunctus cum Propoſito ultrà non peccandi: *Eſt animi dolor de peccato commiſſo, cum Propoſito non peccandi de cætero:* dicunt Sancta Concilia Florentinum & Tridentinum. Vel eſt dolor minus perfectus, (ſeu Attritio) & debet æquè abhorrere tali modo peccata, ut nec quidem minimus affectus ad

ad illa in anima, nec complacentia, nec intentio illa unquam committendi remaneat. *Quæ voluntatem peccandi excludat*, addit Sacrum Concilium Tridentinum; & si non est cum isto proposito dolor, non est dolor, sed mendacium; non est pœnitudo, sed deceptio; non est talis actio confessio, sed sacrilegium; non relinquit animam liberam, sed damnatam; nam qui seriò dolet, & pœnitentiam agit de errore, quem commisit; de damno, quod patitur, ex tota anima sua proponit illum emendare in futurum. Naufragus, qui se videt cum morte luctari, quàm seriò dicit: nunquam amplius ad mare redibo: ille, qui postquam comedit aliquid, quod illi grave damnum attulit, videt se jam mori, quàm seriò & firmiter proponit: nunquam amplius talem cibum gustabo: ille, qui videt peditam suam substantiam ex deceptionibus alicujus fraudulenti, cum quali resolutione, dolendo quòd alteri fiderit & suam substantiam illi concrediderit, dicit: nullum unquam cum tali negotium habere volo. Hoc est *Dolere*.

Nunc ergo, Dilectissimi mei, istud emendationis Propositum periculosissimum est in Pœnitentiæ Sacramento. Explico: Examen conscientiæ, si multo tempore aliquis non est confessus, quantumvis, ùt de se patet, nonnisi difficillimè instituatur, tamen per adhibitam diligentiam debitam difficultas hæc superatur; & si Pœnitens memoriâ omnia non retineat, etiamsi non habeatur omnino exactè numerus, & circumstantiæ peccatorum; hæc supplentur: Confessarius quoque multum adjuvat; atque ultimo, si factâ debitâ diligentiâ remaneant aliqua peccata ex mera oblivione, non ideo cessat esse bona confessio, per quam restituatur Anima in gratiam. Dolor de peccatis, si non pervenimus eò, ut perfectum habeamus seu *Contritionem* ex puro amore DEI, non ideo vitiatur; nec etiam ideo excludimur ab acquisitione gratiæ in Sacramento Confessionis, dummodo ad minimum doleamus ob timorem inferni, ex timore nè perdamus Paradisum, qui dolor est *Attritio*. Confiteri omnia peccata nullô omissô, quandoque est valde difficile ob verecundiam; sed per summum sigilli confessionis secretum, item per hoc, quòd hoc vel illud uni Sacerdoti dicere, idem sit ac si nulli dictum fuisset ob secretum, sub quo omnia remanent, dulcoratur totaliter confessio. Sed propositum verum emendationis, O DEUS! excusationem, II.

hoc exceptionem, hoc gloſſam, hoc effugium non habet. Vel habendum propoſitum ex integro verum, vel pœna damnationis incurrenda eſt. Hic eſt ille Boſphorus, unde non datur ultrà alius exitus ſeriùs à peccatis. Hic innumerabiles perduntur Animæ; hic millieni miſerabiliter decepti, ſeipſos de ſuis confeſſionibus ſecuros credidêre, quæ nihil aliud erant quàm damnationes; ſe aſſecurârunt de abſolutionibus, quæ nihil aliud erant, quàm laquei, qui multò terribiliùs illos ligârunt pro inferno; ſe æſtimârunt jam mundatos à ſuis peccatis, cùm tamen ea retinuerint cum novis ſacrilegiis in Anima. Et in hac ſecuritate infelici multi tranſigunt vitam, & cum hac deceptione miſerabili ſe ſinunt duci uſque ad mortem. Ego, veriſſimum eſt dicunt, quòd multa commiſerim peccata, & quidem valde gravia; ſed jam omnia ſum confeſſus, nullum omnino tacui; verum eſt me habuiſſe illam malam amicitiam per tot annos, ſed confeſſus ſum omnia peccata qualibet quadrageſima. Ità eſt, ſed quæro, habuiſtine in omnibus iſtis confeſſionibus verum propoſitum emendationis, non amplius peccandi, peccata omnino relinquendi? Vide quid reſpondeas, recogita hoc, nam ſi non adeſt Propoſitum, etiamſi omnia peccata clavibus ſubjiciantur, etiamſi ore dicamus, illa nobis diſplicere, & quòd proponamus emendationem, omnes iſtæ Confeſſiones nihil aliud ſunt, quàm damnationes; & retinemus in Anima omnia iſta peccata, omnia iſta ſacrilegia. Si Propoſitum hucuſque non fuit verum, vel quia in occaſione turpi inveniebatur facilis ad peccandum propenſio; vel quia ad res alienas adhuc alligatus, & illas retinendi tenax affectus eſt, ità ut illas nolit dimittere; vel quia ob neceſſitatem, & paupertatem fingitur in peccatis ſubſidium, & ſuſtentatio: vel quia ob mores inveteratos apprehenditur impoſſibilitas vivendi ſinè peccatis; ſi amantur peccata; ſi non adeſt Propoſitum illa deſerendi; quales confeſſiones ſunt iſtæ, quæ locò emundationis Animæ, illam tantùm relinquunt magis immundam?

III. Videte: Later coctus in igne, & induratus, nunquid aquâ lavatur? Ità; & quidem, prout ſoletis dicere, ut fiat terſus adinſtar ſpeculi. Bene. Sed later crudus, priuſquam coquatur, lavatúrne? infunditísne ſuper illum aquam? mundatúrne? Neutiquam: Etenim ſi aquâ conſpergeretur, denuo limi formam induceret, & in lutum

lutum redigeretur. Ità etiam & æqualiter constitutum est in fonte confessionis cor aridum, destitutum igne doloris, ac firmitate propositi, dicit Sanctus Augustinus; Est later crudus. Quid efficit in eo aqua? Locò lotionis, illud magis & magis lutum efficit. *Qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum; quia quantò magis lavat, tantò magis lutum faciet.* Lavate vos igitur taliter, ut mundi sitis, dicit Isaias c. 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote;* nam non omnes, qui se lavant, mundi fiunt. Et quinam non mundantur? Illi, dicit Sanctus Isidorus, qui sinè proposito emendationis veniunt ad confessionem: *Lavatur, & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec tamen deserit, sed post lacrymas, & quæ fleverat, repetit*: c. Irrisor. 11. de Pœnit. Distin. 3.

Quidam à diabolo obsessus, refert Heroldus, propalabat & divulgabat multorum peccata occultissima, exceptis illis, quæ bene & rite confessi fuerant. Inaudiit hoc nescio quis alius, qui periculum facturus: an res sic se haberet, priùs ad Ecclesiam perrexit, & pro forma, atque adeò sinè dolore, sinè Proposito emendationis omnia sua peccata confessus est. His peractis ad obsessum se contulit. Vix illum hic advertit, & salvere te jubeo, inquit, amice mi! huc propiùs. Quàm bene te abluisti! ideóne putas, me te non nôsse? Dein de ipso integram peccatorum seriem recitare, & turpissima quæque manifestare; alter verò maximopere confundi, & summo pudore affici cœpit; ac facilè confessionis suæ defectum advertens, ad Confessarium rediit, omniàque sua peccata cum magno dolore, & Proposito emendationis, confessus est. Die sequenti denuo ad obsessum venit. Modo venit tuus amicus, dixerunt illi adstantes. Quis est? Interrogavit ille. Quomodo? Non noscis illum? Ille est, quem heri injuria affecisti. Ego, respondit diabolus, nullâ injuriâ istum affeci, quia hominem non novi; nec quidquam mali de illo dicere possum; non novi hominem. O DEUS! & si modo loqueretur dæmonium istud, quot pro suis adhuc cognosceret ex illis, qui hac septimanâ Sanctâ confessi sunt? Quàm multis diceret, quòd se abluerint, sed in vanum; quia illos conspicit gravatos in Anima peccatis suis, à quibus, sinè Proposito emendationis, quantumcunque & quomodocunque illa confiteantur, mundari non possunt. IV.

V. Nunc ergo iſtud Propoſitum tam ſummè neceſſarium in Confeſſione, quandoquidem ab illo dependet acquiſitio gratiæ, & ſinè illo nec condonatio peccatorum, nec ſalvatio detur, quomodo cognoſcemus: an verum ſit? O quàm bona interrogatio, in qua conſiſtit ſcientia ſecreti maximi ponderis pro anima! Reſpondeo clariſſimè. Verum erit Propoſitum, ſi tres habuerit proprietates: prima eſt, quòd debeat eſſe univerſale; ſecunda: quod debeat eſſe firmum; tertia: quòd debeat eſſe efficax. *Univerſale*; ut complectatur omnia peccata. *Firmum*, pro omni tempore, pro tota vita. & *Efficax*, ut immediatè ſe monſtret in operibus. Hoc ultimum videbimus in ſequenti: Nunc priùs duas primas proprietates ventilemus. Non ſufficit igitur proponere: relinquere iſtud, vel illud peccatum, ſed debet propoſitum ad evitanda omnia, & ſingula (ſaltem gravia, &c.) ſe extendere; quia omnia ſunt æqualiter offenſa DEI. Nullum David excipiebat: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Pſal. 118. v. 104. Ille, qui intricatus vivit in turpi amicitia, quid prodeſt, quòd proponat nullum *aliud* peccatum committere, ſi nihilominus affectum ad turpitudinem ſuam retineat? Illi, qui injuſtè retinet aliena, ad quid ſerviet, quòd proponat relinquere malam occaſionem, ſi cor affixum, & agglutinatum ad pecuniam habeat? Hoc idipſum eſt, quod avieulæ alicui contingit, quæ totum corpus liberum habet, ſolutas alas, ſufficientes ad volandum pennas, ſed alligata per unicum ſolùm pedem funiculo, captiva in hoc hæret, avolare non valet. Idcirco non eſt Propoſitum verum, ſi univerſale non eſt; id eſt; ſi non proponat emendationem de omnibus, quæ offenſa DEI ſunt, qui noſtram converſionem petit ex toto corde noſtro. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, Joël. 2. v. 12. Zach. 1. v. 3. Iſta eſt converſio: in- & convertere ſe totum, ità illam explicant Sacri Canones, c. 34. convertimini de Pœnit. Diſt. 1. *Converſio dicitur, quaſi cordis undique verſio.* Quidam infirmus, Cromaſius dictus, à Sancto Sebaſtiano, ut Surius in ejus vita narrat, ſanari petiit. Ità hoc faciam, reſpondit Sanctus Martyr, ſed hoc pacto ut priùs confringas, & à te abjicias omnia tua Idola. Hoc illi appromiſit infirmus; abiit, & Idola confregit, uno excepto, ad quòd majorem affectum, & propenſionem habuit. Poſtmodum ad Sanctum Martyrem rediit, dicendo ſe jam feciſſe illud, quòd ſibi mandatum fuit;

fuit; ſed quantumvis Sanctus fecerit ſuam benedictionem ſuper eum, tamen ſicut alii infirmi non fuit ſanatus. Aliquid hic obſtaculi adeſt, dixit Sanctus; Dic mihi veritatem, confregiſtine jam omnia Idola tua? Et confeſſus ille eſt ſe unum ex illis aſſervâſſe. Rediit domum, illud confregit, & à ſe abjecit, & poſtmodum accepta à Sancto Martyre benedictione, immediatè ſanus effectus eſt. Ecce hoc ipſum ad amuſſim nobis in confeſſione evenit. Si ad unicum ſolum Idolum peccati mortalis remanet affixus animus, etiamſi omnia alia abominemur, & deteſtemur, non datur ſalus pro anima, non adeſt ſalvatio. Omnia peccata æqualiter deteſtanda ſunt cum Propoſito univerſali: nullum ex illis ultrà committendi: *Omnem viam iniquitatis odio habui*; & ſi tali modo non eſt univerſale Propoſitum, non eſt propoſitum verum, imò ne quidem Propoſitum, ſed deceptio eſt.

Secundò, debet eſſe propoſitum omnino firmum, omnimode ferium, nullo unquam tempore ampliùs peccandi, in nulla prorſus circumſtantia. Ad hæc debet eſſe tam firmum, ut nec ob reſpectum humanum, nec ob guſtum, nec ob intereſſe, nec propter timorem, nec propter totum mundum, nec propter ipſam vitam admitti debeat vel unicum peccatum mortale. Debet eſſe tam firmum, ut jam debeat reſpici peccatum in futurum taliter, ac ſi vobis diceretur, ut vos præcipitetis ex ſummitate alicujus turris. Præcipitaretiſne vos? Certè nullo modo. Ecce ità etiam ſe habere debet propoſitum veſtrum, ac animus nunquam ampliùs peccandi. Effundenda ſunt peccata in confeſſione dicit nobis ipſemet DEUS per Jeremiam Thren. 2. v. 19. ſicut effunditur vas aquæ in terram: *Effunde ſicut aquam cor tuum in conſpectu Domini.* Sicut aqua effunditur? Quare hoc. Nonne verum eſt? Ille, qui effundit ex ſacco frumentum in terram, effundit illud cum certitudine, quòd illud rurſus colligere, & reponere in ſaccum poſſit: ille verò, qui effundit vas aquæ in terram, ab ipſo effuſionis initio cognoſcit ſe non poſſe amplius illam aquam colligere; & hac intentione eam effundit, quòd illam nunquam amplius colligere velit. Jam tali modo ſunt effundenda per confeſſionem peccata, prout effunditur aqua, cum animo fixo, & determinato, quòd iſta peccata nunquam, in animam redire debeant. VI.

Jam

VII. Jam videor mihi à compluribus audire: O Pater! Ego bene habeo Propoſitum iſtud in corde meo, & valde ſeriò propono ultrà non peccare; ſed cum cognoſcam meam fragilitatem; cum videam meam miſeriam: cum advertam præteritos lapſus meos; non poſſum mihi perſuadere, non poſſum credere, quòd in effectu non ſim ultrà peccaturus; Non erit igitur Propoſitum meum verum, & firmum. O anima! nè turberis. Eſt verum, eſt firmum propoſitum tuum. Vide quòd diſtinctæ potentiæ ſint, voluntas, & intellectus; voluntas eſt, quæ proponit, intellectus, qui cognoſcit, & credit. Manet voluntas firma, & reſoluta ampliùs non peccandi; quantumvis cognoſcat omnia illa pericula intellectus; nec ceſſat idcirco eſſe verum, & firmum Propoſitum. Explico me per exemplum: Eſt aliquis Generaliſſimus cum toto ſuo Exercitu poſitus in bello, jam paratus ad committendum prælium; quæro: iſte Generalis creditne pro certo, & eſtne ex toto ſecurus, ſe victoriam conſecuturum? Non; nullo modo, imò ille eſt plenus timoribus, & dubiis, videndo multa pericula, & belli contingentias. Intermittitne hac de cauſa habere propoſitum conſequendi victoriam? Non; nam pro illa conſequenda, pugnat. Videtis hic ergo, qualiter non credente, non perſuaſo intellectu, poſſit habere propoſitum firmum voluntas. Maneat itaque voluntas firma ultrà non peccandi etiamſi conſtaret toto mundo; quod ſi poſtmodum intellectus repræſentat iſtos timores, hoc debet fieri, ut, cognoſcentes noſtram fragilitatem, quòd ex nobis ipſis nihil poſſimus, clamemus continuò ad DEUM cum fervore, & confidentia: *Etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*: Pſal. 138. v. 10. Tu es DEUS meus, qui mihi debes porrigere manum tuorum auxiliorum, quæ me extrahat ab omnibus periculis, te offendendi: dextera tuæ gratiæ debet adeſſe, quæ me retineat nè cadam; nam ex parte mea firmiſſima manet voluntas mea, & cor meum, te nunquam, nunquam ampliùs offendendi.

VIII. Sed ſi voluntas in Propoſito vacillet; ſi agglutinata peccatis permaneat, ſolummodo illa deſerat vel timore mortis in infirmitate, vel ob timorem excommunicationis in quadrageſima, procul dubio exclamare debeo: O Propoſita emendationis coacta! O Propoſita ſolius quadrageſimæ, quot animarum millia in inferno tenetis! Ille qui

qui ad invaſionem Tauri dimittit pallium, dimittit illud animô redeundi, & illud recipiendi: Ille, qui ad adventum vigiliarum in aliquem viæ angulum arma prohibita abjicit, abjicit illa, ut redeat citò ad illa reſumenda. Tandem lupus, dicit Sanctus Auguſtinus Serm. 1. de verb. Apoſt. qui invadit præ fame gregem, ſi illum canes, & paſtores deprehendant, fugit, & valde ſubmiſsè, & multùm tremens, ſe retrahit, ſed non ideo, quòd fugiat, eſſe lupus ceſſat, nec in corde ſuo deſiderium prædæ deponit: *Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus tamen eſt fremens & tremens*; Idem lupus eſt, & quando invadit, & quando aufugit: Idem lupus, quando prædam quærit, & quando illam relinquere videtur. Cùm ergo taliter etiam fiant millena propoſita, & nonniſi ficticia ſint; ac cum in talibus Propoſitis mendacibus de una in alteram quadrageſimam ſceleſtiſſimè vita tranſigatur, poſt totam talem vitam in continuis peccatis mortalibus, & in repetitis ſacrilegiis tranſactam, quale Propoſitum poteſt haberi in hora mortis?

IX. Refert Cæſarius in Civitate Pariſienſi Canonicum fuiſſe, in quo naturâ, & fortunâ magnam Nobilitatem, & proventus opulentos, & abundantes conjunxerunt. Hiſce ille unicè intentus, cupiditatibus liberrimè fræna laxavit, & perverſis affectibus ſuis pro viribus indulſit. Erat ſolummodo de ſuis commodis, de ſuis recreationibus, & de ſuis voluptatibus ſolicitus; & quaſi etiam adhuc ſuæ laſciviæ incentiva deeſſent, vivebat miſerabilis Eccleſiaſticus intricatus in turpibus occaſionibus cum illis, unde ſolent ſequi funeſta ſcandala. Corripuit eum (ſicut plerumque talibus præter omnem opinionem contingit) morbus fatalis, & videns ſe anguſtiatum, ut ad mortem diſponeretur, curavit ſe Sacramentis muniri. Confeſſus eſt commiſſa à longo tempore peccata ſua omnia, cum abundantia lacrymarum; percepit Sanctiſſimam Euchariſtiam, & mortuus eſt cum magnis veræ Pœnitentiæ ſignis. Fecerunt illi magnifica funeralia cum ingenti pompa, & concurſu Nobilitatis, quæ etiam in morte vanitates ſuas adhibere ſolet. Omnes dicebant, & perpendebant: ô certè fortunatum hominem! Ille quàm optimè fruebatur hac vitâ, ſatis fecit ſibi, & ſuis voluptatibus, habuit tempus ſe diſponendi tam bene pro morte, & etiam adhuc poſt hanc, tantam habuit pompam, & tantum concurſum! Certè in veritate fortunatus fuit! Hoc dice-

bant homines; ſed quàm alia erant judicia DEI! Poſt paucos dies comparuit optimo cuidam ſuo amico, & dixit illi: Se æternùm ſinè omni remedio damnatum eſſe. Quomodo? dixit ille plenus horrore, & ſtupore: Nunquid nos vidimus tuam tam bonam diſpoſitionem? Nonne percepiſti cum tantis lacrymis Sacramenta? Verum eſt, reſpondit ille; ſed quantumcunque procuraverim habere Propoſitum emendationis, immediatè mihi cogitationes incidebant: & ſi ego convaluero, poterónne vivere ſinè meis turpitudinibus? ſi ſanus effectus fuero, poterónne relinquere meas malas amicitias? Ad has cogitationes inclinabat mea voluntas ad redeundum ad mea peccata; & in iſto ſtatu me mors corripuit, & ſic damnatus ſum ſinè remedio. Et tali modo damnantur innumerabiles animæ.

X. O DEUS ſupreme! in unico puncto, in unico momento velle evellere, & abſtrahere voluntatem ab illo, quòd per multos annos tam tenaciter, & fortiter complectebatur, inſipiens, ſtulta, horribilis confidentia! Fiat ô Animæ, in tempore illud, in quo noſtra conſiſtit æternitas: mutemus vitam, ut lucremur Animam, mutemus vitam, aliàs finis ejus erit æterna damnatio; mutemus vitam, ut lucremur vitam, quæ perpetuabitur inter gaudia, & jubilos æternæ gloriæ.

INSTRUCTIO XIII.

Quòd Propoſitum Emendationis, ut ſit verum, debeat eſſe efficax.

I. SI qualecunque deſiderium pro conſequendo cælo ſufficeret, non eſſet, ſicut eſt, plenus tantorum bonorum deſideriorum infernus: *Neminem novi*, dicit Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Prolog. ad Evang. S. Joan. *qui ad cælum evolare nollet.* Et unde venit, quòd, cum omnes hoc velint, tamen valde pauci ſint illorum, qui illud conſequuntur? *Attamen ipſam oportet voluntatem confirmare*, Cauſa eſt, quia illud non volunt ſeriò, ut ex operibus colligere eſt, quæ ſeriam voluntatem non indicant. Quales ſedulitates ſunt illæ alicujus Mercatoris, proſequitur Os aureum, negotia, emptiones, venditiones, labores, vigiliæ; ad quid

quid iſta omnia ſunt? unô verbô: *Diteſcere cupit.* Vult dives fieri, & quia hoc ſeriò vult, hoc demonſtrat his omnibus diligentiis: *Itidem & nos oportet voluntatem rei applicare.* Itaque an ſeriò velimus, dicant hoc opera. Iſta eſt vera voluntas, dicit Sanctus Thomas, quæ id quod vult, adeptâ occaſione, immediatè exequitur: Solùm velle, ſinè adhibitis mediis, velleitas otioſa, non vera voluntas eſt; eſt *Vellem*, & non eſt *Volo: non eſt perfecta voluntas*, ſunt verba Sancti Doctoris: 1. 2. q. 20. a. 4. *niſi ſit talis, quæ opportunitate datâ, operetur.*

Jam igitur ſignum omnino certum, indicium omnino ſecurum, II.
Propoſitum emendationis in confeſſione verum eſſe, eſt, quando iſtud Propoſitum demonſtratur operibus. Inde colligitur Propoſiti efficacia, quæ tertia illius proprietas eſt, quam pro hodie reſervavimus. Debet, ùt dixi, Propoſitum eſſe univerſale, expellendo omnia peccata: debet eſſe ex integro firmum, & reſolutum, nunquam ampliùs peccatum aliquod committendi. Sed quomodo cognoſcemus ejus firmitatem, & per conſequens ejus veritatem, in qua nobis tantum eſt poſitum? Dixi: ex ejus effectibus, ex operibus. Tunc Propoſitum efficax eſt, quando operativum eſt: *Propoſitum*, dicit Sanctus Thomas, *optimè manifeſtatur per operationem*, in adhibendo ſtudio, in applicatione diligentiæ, in executione mediorum pro emendatione, quam proponit. Non loquor de peccatis venialibus cum timoratis, non enim prætendo excitare ſcrupulos; nam circa peccata venialia, ſicut non eſt obligatio, ſed conſilium, illa confitendi; ità pariter non eſt obligatio circa illa Propoſitum faciendi emendationis (excipe niſi ſola quis venialia confiteretur) etiamſi ſit non minùs proficuum, quàm laudabile illud procurare, & habere: quandoquidem qui ſpreverit modica, incidet in multa & magna: *Qui ſpernit modica. paulatim decidet*, Eccleſ. c. 19. v. 1.

Negari tamen ideirco non poteſt, quòd lapſus poſt confeſſio- III.
nem in ea ipſa peccata mortalia, & in alia, non ſemper ſit ſignum, emendationis Propoſitum verum non fuiſſe. Pro certo non. Potuit eſſe abſque dubio valde firmum pro tunc Propoſitum, & veriſſimum; & nihilominus poſtmodum, ob noſtram infelicem fragilitatem, ob vehementiam tentationis, mutare ſe voluntas, & præcipitare in peccatum. Hoc equidem non nego; ſed de illis, qui jam

habituati ſunt, & aliquos malos & perverſos mores aſſumpſerunt, de iſtis pro certo ego timeo. In muliere, quæ habet perverſum modum effutiendi maledictiones, quæ illas profert ad omnem etiam minimam iram, & quidem multas cum deſiderio nocendi, eſt abſque dubio conſuetudo, & ſtatus peccati mortalis. Si quis poſt quodvis verbulum facit juramentum: ſi quis deliberata cogitatione, quantum oculi vident, tantum concupiſcat laſciviâ, & ità de aliis pravis conſuetudinibus; quæro jam ex tali: ab una confeſſione ad alteram, quas diligentias adhibuiſti ad vincendam iſtam conſuetudinem? Adhibuiſtine aliquam curam ad tollendas iſtas maledictiones, iſta juramenta, iſtas cogitationes laſcivas? Feciſtine aliquam mortificationem ad te vincendum? Recurriſtine ad DEUM per orationem? legiſtine aliquem librum devotum? diſtribuiſtine aliquas eleemoſynas, ut DEUS tibi concederet ſua auxilia ad tuam emendationem? Si aliquid ex enumeratis feciſti, vel omnia: ſi incedis cum cautela quò ad oculos, ad evitandas cogitationes, ſi adhibes attentionem in verbis, ad non proferenda juramenta, vel maledictiones, etiamſi aliquoties lapſus fueris, ego tibi concedam hoc fuiſſe factum per tuam fragilitatem, & hos lapſus non tollere, nec vitiare, quin fuerit tuum antea Propoſitum verum, quia ſe tale monſtravit in operibus: *Ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea*, dicebat David Pſal. 17. v. 24. Vivendum jam mihi eſt, ſinè macula, omnimode immaculatè; & hac de cauſa me cuſtodiam, me conſervabo, mihi attendam nè incidam in peccatum. Quòd ſi autem ex oppoſito, finita jam confeſſione, redeunt immediatè abſque aliqua cura, abſque alio obſtaculo, maledictiones, juramenta, blaſphemiæ, deſideria turpia; ſi eodem modo & ejusdem rationis perdurat conſuetudo, ſi in nullo minuitur numerus peccatorum, quæ Propoſita ſunt illa Confeſſionis? O quantum timeo nè ſint repetita ſacrilegia? Quomodo poteſt eſſe voluntas vera emendationis illa, quæ nullum medium, nullam diligentiam adhibet ad conſequendam emendationem? Dicemúsne, quòd ille velit trajicere aliquam feram, qui onerat ſclopetum, adducit, imò ad metam dirigit, ſed non admovet manum ad lingulam, quæ clavim ſolvat, ut exploſio fiat? Non: Ille non vult; nam ſi vellet, oculis, qui collimant, uniret manum: *Et manus, & mens:* una & altera ut adſit, neceſſarium eſt.

In

In obſidione Oſtendæ, ut refert P. Pennequin Amor. Div. p. 3. c. 17. §. 3. Miles fuit, qui ità perjuriis ac blaſphemiis aſſuevérat, ut ad ſingula verba unum diabolum effutiret. Sæpè monitus respondit: adeò jam conſuetudinem eſſe inveteratam, ut ſi videret tartarum præ oculis apertum, deſiſtere nequiret. Ad extremam penuriam & famem redactus, petiit eleemoſynam ab uno è Patribus noſtris caſtrenſibus, qui ſolitus erat ſtipem pro militibus erogare; ſed dum Pater illi eleemoſynam erogare de egaret, dicens, hominem adeò perjurum ac blaſphemum, a DEO ac hominibus deſtituendum; Reſpondit Miles, ſe dolere de pravo illo habitu, jam ità inveterato, ut exuere nullo pacto poſſet. Quod ut manifeſtè falſum eſſe, & reſipiſcere à ſola ejus voluntate pendere, Sacerdos comprobaret, ingentem nummum aureum illi exhibuit, adpromittens ſe eum illi donaturum, ſi per horam ſe ſequatur, caſtra ac militum ſtationes luſtrando, citra ullum juramentum. Acceptat conditionem; dum interim per tranſennam à ſociis variè impetitur, irritatur, laceſſitur; Sacerdos præit, aurum illi ad hos inſultus oſtentans: laceſſitus ſilet, linguam dentibus premit, obmuteſcit. Res mira, ſolus conſpectus & ſpes aurei, tantùm in milite barbaro valuit, ut conſuetudinem omnino ſuperârit. Vide, dixit illi Pater, quomodo poſſes emendare, ſi velles, hanc tuam maledictam conſuetudinem! Et hoc, quod facis in gratiam unius aurei nummi, non es facturus in gratiam Paradiſi? Cape tibi hunc nummum; & eundem illi extradidit. Quis effecit mutum hunc blaſphemum? Quis illi tantam impoſuit curam? Nihil aliud, quàm verum conſequendi unius aurei deſiderium. Et qui ſimilem curam non adhibet in correctione ſuæ malæ conſuetudinis, credendúsne eſt verum habere deſiderium Paradiſi, & ſerium emendationis Propoſitum? Redire ſemper ad confeſſionem cum iisdem ipſis peccatis, commiſſis cum eadem ipſiſſima negligentia, nihil adhibere ad eorum emendationem, ſigna quaſi manifeſta ſunt, propoſita ſatis ſeria non eſſe: quæ ſi vera eſſent, citò vincerent malas & perverſas conſuetudines. IV.

Sancto Bernardino teſte: peſſimæ conſuetudinis æſtus Cardinalem quempiam plenè abſorpſerat; eáque ità propediem inveteravit, ut eandem deponere impoſſibilitatem quamdam crediderit. Conatur Sanctus modis omnibus, ad ſaniorem illum vitam revocare; V.

arguit, obſecrat, increpat; ſed diu, multúmque operam perdens, idem ſemper reſponſum, quòd deſiſtere non poſſit, tulit. Tandem vehementiùs urgere; & obſecro, inquit, quandoquidem cum DEO pacem inire nolis, paciſcere tamen inducias, atque Amore Redemptoris tui Chriſti Crucifixi per triduum continens eſto. Accepto Cardinalis ſaluberrimo hoc monito ingenti quidem cum difficultate, feliciter tamen intra limites honeſtatis ſe habuit, ſuisque ſuperior voluptatibus extitit. Triduò paulatim elapſo Sanctus ad illum Bernardinus inviſens: quî tempus hoc modicum tranſegerit; num quid acciderit, percontatus eſt. Cardinalis ſumma, reponit, in lucta conſtitutus fui, & quemadmodum magna reſiſtentia opus erat, ità penes me tamen victoria ſtetit. Tunc Sanctus: Itáne? ecce quis nunc hoc ipſum non vellet facere per triduum in honorem Sanctiſſimæ MARIÆ Virginis? Faciebat quòad hoc difficultatem; ſed tandem promiſit ſe hoc facturum. Et cum effectu pergens in ſuo certamine, rurſus vicit. Rediit Sanctus illum viſitare: quomodo ſe res habeat? Cardinalis denuo: O qualem res exquirit pugnam; nihilominus tamen abſtinui. Ecce quî jam tranſegit ſex dies, nunquid tranſiget alios tres in honorem Sancti Michaëlis Arch-Angeli? O hoc jam nimis multum eſt, & ultrà me continere non poſſum. Qui potuit ſe vincere per ſex dies, nunquid non poterit per tres? Eja ſit, ego appromitto hoc etiam per hos. Senſit tandem jam ultrà talem vim non fuiſſe, quæ illum ad ſuam traheret conſuetudinem, agnovit jam minus eſſe certamen, jam ſuaviùs ſibi eſſe abſtinere ab hac conſuetudine, & ad finem dierum dixit Sancto: Nolo ultrà habere inducias cum DEO, ſed pacem: nunquam amplius redibo ad meam malam conſuetudinem. O ſi iſta ſancta induſtria uterentur illi, qui in mala conſuetudine vivunt, ut ſæpius abſtinerent à peccatis, quàm proficua, & quàm vera forent in confeſſionibus Propoſita tam efficacia.

VI. Progrediamur ulterius, & eas paulìſper circumſtantias ventilemus, in quibus quàm maximè bene obfirmato quis animo, & propoſitum præcipuè efficax eſſe debet. Illi, qui conſtituti in occaſione proxima peccatorum, illam non relinquunt, vel illam omittunt ſolùmmodo pro forma, ut Confeſſario mentiri poſſint. Illi, qui quia Quadrageſima advenit, ut poſſint ad apparentiam confiteri, elongant

gant à ſe per dies aliquot, quod continuârunt, & continuabunt per totum annum; *Qui non rumpunt peccata; ſed interrumpunt*, dicit Sanctus Auguſtinus. Si ſunt Chriſtiani, ſi Fidem habent, quomodo confitentur? quòd ſi autem non ſunt Chriſtiani, quare confitentur? Occaſio proxima peccandi eſt illa, in qua vel omnibus, vel pluribus vicibus, quibus aliquis in illa poſitus eſt, peccat. Occaſio remota eſt illa, quæ etiamſi una, vel altera vice faciat aliquem cadere, non tamen pluribus, vel omnibus vicibus. Jam ergo cùm iſte Mundus plenus ſit laqueis, qui laquei ſunt iſtæ occaſiones remotæ; has, non eſt Præceptum vitare omnes, etiamſi laudabile ſit, intimante nobis Spiritu Sancto apud Eccleſiaſticum cap. 3. v. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sed ſi occaſio proxima omnimode non tollitur, ſi omnimode non amovetur, dum id fieri poteſt, id, quod Propoſitum vocatur, nihil aliud eſt quàm mendacium; confeſſio nihil aliud eſt quàm ſacrilegium; & abſolutio, ſi aliquando deceptus Sacerdos illam confert, nihil aliud eſt, quàm damnatio. Nunc cùm hoc ſit omnino certum, & extra omne dubium, quàm miſerè multæ ac millenæ ſe ipſas animæ decipiunt? *Mentita eſt iniquitas ſibi*, Pſal. 26. v. 12. Quæ mendacia fiunt Confeſſario? quæ excuſationes, qui prætextus? Si occaſio proxima omnino non deſeritur, non vitatur; non adeſt Propoſitum, quantumvis id dicatur. Qui amat cauſam peccati, quam ſcit, & experitur, quòd inde nonniſi effectus peccaminoſi emergant, an credendus eſt, quòd peccatum ipſum non amet? Sclopeti clavim adducere, ſilicem allidere, atque ex eo in fomitem nitratum ſcintillam excutere, nec tamen velle ut ſclopetum explodatur: Ecquis hoc credere poſſit? Æqualiter ſe res habet cum anima in proxima peccandi occaſione conſtituta: Stupa eſt igni conjuncta. *Erit fortitudo veſtra in favilla ſtupæ*, Iſai. 1. v. 31. Alii tamen dicunt: jam talem occaſionem intermiſi. Et quomodo illam intermiſerunt? Iſta ſui deceptio eſt, nunquam ſatis deploranda! Perſiſtere annò integrò in aliqua turpi amicitia, & aliquot paucis diebus antequam confiteatur, illam intermittere; credàmne, hic adeſſe Propoſitum emendationis? O DEUS! Si infirmus quiſpiam gravi morbo laborans, ſinè aliqua evacuatione, ſinè eductione humoris maligni, qui cauſabat infirmitatem, ſinè terminis dierum criticorum, ſubitò & ex improviso meliùs habere incipit;

pit; Medicus prudens, meliorationi huic non credet. Hypocratis Aphorismus est: *His, quæ non ex ratione levant, credere non oportet.* O quàm multò melior aphorismus pro Anima! Diutina dilatio deserendæ occasionis peccaminosæ, propensum satis ad illam affectum indicat; Illam ad paucos nonnisi dies deserere, satis, superque proclivem adhuc animum prodit, eámque renitente, non prompta voluntate relinqui. Relinquere illam: quia Quadragesima, hebdomas sancta, & quam peragere volumus, confessio instat, desertio certè coacta est, atque hæc omnia signa patula sunt, latere mortalem in anima infirmitatem, ac talem ad peccatum, velut canis ad vomitum rediturum esse. Quid sentiam aliud de proposito tali, nisi leve, ac futile, nullámque exinde animæ salutem adventuram esse: *Credere non oportet.*

VII. Et quod pejus est: Nec verecundantur, persæpè cum Confessario altercari, aut certè rationibus, precibus, promissionibus absolutionem extorquere conantur; quasi Confessarius Dominus esset, potens absolvere illum, qui dispositus non est; Vel quasi, etiamsi absolveret, deficiente Proposito emendationis, proficua absolutio foret. Animæ cæcæ & plus quàm perditæ! Confessarius damnabitur, si vos absolvat perdurantes in occasione proxima, quam non vultis deserere; imò vos ipsimet vos damnatis absque remedio, etiamsi, perseverantibus vobis in tali statu, conferantur non una, sed millenæ absolutiones. Et siquidem hoc credamus, quàm securè tamen vivimus, & in utramvis aurem obdormimus, qui in proxima peccandi occasione constituti, sinè serio illam relinquendi animo nonnisi nulliter semper absolvimur. Mortuus est quidam Nobilis, qui turpissimam ducebat vitam, & post paucos dies apparuit suæ Uxori; vidit illa quendam virum, qui circumdatus flammis, portabat supra suos humeros alium virum, ardentem æqualiter cum illo; & hic illi dixit: Ego sum anima tui Mariti, & iste, quem ego supra meos porto humeros, est Titius meus Confessarius, ambo sumus damnati; ego propter mea peccata; & hic, eò quod, videns me in meis occasionibus, & sinè Proposito emendationis, me semper absolverit. Dicite mihi nunc: eritne nimius rigor Confessarii, qui satisfaciens suæ obligationi, qui prospiciens, prout tenetur, commodo, & utilitati vestræ Animæ, vobis illud dicit, quod per os ejus loquitur ipse met

ſemet DEUS; vobis intimat id, quod vobis tanto emolumento, ac æternæ ſaluti eſt? Sanctus Raymundus de Pennafort, illud magnum lumen Familiæ Dominicanæ, fuit Confeſſarius JACOBI, Regis Arragoniæ, & dum contraxiſſet Rex certam amicitiam impudicam, inſtanter à Sancto admonebatur, ut illam intermitteret. Concluſerat Rex viſitare Inſulam Majoricam dictam, & voluit ut unà veniret & ſocium itineris ageret ſuus Confeſſarius. Ità, ibo unà, reſpondit Sanctus Raymundus, ſed hoc pacto, nè illuc nobiſcum ſe conferat illa mulier. Diſceſſerunt, & jam in Inſula exiſtens, reſcivit Sanctus Raymundus, ſimul hic pariter adeſſe illam mulierculam. Valedixit, & licentiam immediatè à Rege Raymundus expetiit, animitus optans Barcellonam redire. Voluit Rex illum impedire, & mandavit ſub pœna capitis, ut nullus Patrem Raymundum in ſuam reciperet navem. Ille ergo quid fecit? Expandit partem ſui pallii ſupra mare, ſignavit ſe ſigno Sanctæ Crucis, collocavit ſe in pedes ſupra illam partem, & attollens pro velis alteram medietatem, cum ſtupendo prodigio navigavit taliter ut à ſex horas, plùs quàm centum quinquaginta milliaribus per mare, uſquedum Barcellonam perveniſſet, ſiccus, & nullo modo madefactus. Exſolvit taliter DEUS tam rarò miraculò conſtantiam Confeſſarii, qui ſcivit exequi ſuam obligationem in deſpectum reſpectûs humani.

Ultimò: Tunc demum etiam efficacia veri Propoſiti liquet, hóc- VIII.
que ſerium eſſe cenſendum eſt; ſi rem alienam, vel totam, vel quantum adhuc (injuſtè) de illa poſſidemus, confeſtim, & ſinè mora reſtituamus. Quòd ſi hoc non fiat, confeſſio nulla eſt, ſimulata eſt, ſacrilega eſt. *Si res ablata reddi poſſit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur*, ingemiſcit Sanctus Auguſtinus Epiſt. 54. ad Maced. Ego ſanè dum hoc altiùs mecum perpendo, concutior, & totis artubus contremiſco. Per annos complures aliena retinere, dum reſtitutio fieri poteſt: Confiteri ſæpius, nec tamen eorum, quorum iniqui poſſeſſores ſumus, quæ alterius ſunt, reſtitutionem facere: Quin imò jamjam in extrema mortis lucta contendere, vitæque ultimum quaſi ſpiritum ducere, ac ideo Sacramenta percipere; tamen bona & pecunias alienas, dum hæc ad manus nobis & in promptu forent, poſt mortem reſtituendi curam hæredibus demandare, quid hæc aliud, quàm manifeſta infirmi cujusdam, ac defe-

ctuosi Propositi signa sunt: quæ nonnisi post se trahere pœnitentiam sacrilegam, & mortem peccatorum pessimam possunt? Eheu! quàm multi aliena ità depereunt, ut demum ipsi pereant!

IX. Refert noster P. Philippus Outreman, se audiisse tragicum hunc casum à Patre Joanne Lorino, insigni sacræ scripturæ Expositore, quem hic diebus suis contigisse contestatus est. Dicebat ergo, se novisse in Italia insignem Usurarium, qui sibi & negotiationibus, & usuris illicitis magnam pecuniæ quantitatem coacervaverat. Urbi Parocho confessus, ab eodem, quousque aliena restitueret, absolutionis repulsam passus est. Inde, Confessarium suum insoliti rigoris incusans, ad Collegium nostrum, variósque Societatis Patres venit; à quibus idem responsum ferens, cùm turpissimum quæstum suum dimittere nollet, quemadmodum à Parocho suo, ità & ab his in Pœnitentiæ foro rejectus est. Tandem mitius ingenium nactus, in quemdam Religiosum incidit, qui cæteros arctioris conscientiæ, & scrupulosæ insimulans, hominem, quoties collibitum, absolvit: quô ità se in Usurarii hujus gratiam insinuavit, ut & Pœnitens & Confessarius arctissimo amicitiæ nexu in brevi juncti sint. Ità ille Monachô & familiarissimè usus est, & suæ eum mensæ propè indies adhibuit. Accidit, ut liberalius una cœnâssent, jámque sero vespere Vir Religiosus se ad Claustrum contulerat; ipse verò vix cubitum se recepit, & subita morte extinctus est. Sub medium noctis duo ex orco genii, Ephebos mentiti, ad cœnobium convolant, quantocyus hunc Religiosum à tali viro acciri denuntiant, cum addito: Eundem extremè decumbere, ac Sacris omnibus muniri velle. Ad nuntium hunc ille mirari; mox repentinum fortè morbum suspicatus, præeuntes cum socio subsequitur. Jámque in forum devenerant, dum cernit Usurarium hunc lunæ beneficiô, in talari tunica inambulantem: quem non sinè stomacho, num se rideat, percunctatur? Reponit alter, alto cum gemitu, se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras & sacrilegum potissimum Sacramentorum usum. Prosequitur dein: Et quandoquidem Tu, pessime Sacerdos! in hoc partem culpæ non minimam habes, méque cùm corripere debuisses, tacuisti, Divinæ pariter rigorem justitiæ senties, unà mecum æternis inferorum suppliciis cruciandus. Quo dicto immani terra hiatu panditur, atque ex duobus tartareis geniis defunctum alter, alter Con-

Confeſſarium arripit, & una ſecum in infernum præcipitant: attonito, & in mortuum ſimili relicto ſocio, qui dein ad ſe reverſus Superiori omnem actæ rei tragœdiam retulit. Utinam terribilis hic caſus in cordibus noſtris velut in ære ſculperetur! Quàm ſeria, quàm vera perſæpe in Pœnitentibus emendatio vitæ appareret? Quàm facilè à Confeſſariis ad deponendos perverſos mores, pravos habitus, malas conſuetudines inflecterentur?

X. Erit itaque Emendationis propoſitum *Efficax*, ſi diligentiam adhibeat, ſi media applicet ad eradicandam ex anima, & corrigendam conſuetudinem malam, quæ in illa invaluit; ſi ex integro amoveat, & quæ illam ad malum trahit, proximam peccandi occaſionem tollat; ſi quæ illam ligatam & captivam tenent, aliena reſtituat. Et: ut laconico Epiphonemate complectar omnia, erit Propoſitum *efficax*, ſi *efficacia* ex operibus eluceat. Hoc demum erit *ſeriò Proponere*; hoc erit pœnitere cum veritate, veram peccatorum remiſſionem impetrare, & aſſecurari de gratia pro obtinenda æternitatis gloria.

INSTRUCTIO XIV.

De altera parte eſſentiali hujus Sacramenti, quæ eſt Confeſſio. Qualiter adeundum ſit Sanctiſſimum Tribunal Confeſſionis; & de formis inutilibus, quæ ibi evitandæ ſunt.

I. TOtam artificii præſtantiam, quâ dimenſæ circinô rotæ in horologio circumaguntur, manifeſtat accuratus horarum ſonitus. Nec ſatis eſt: gyrari intus rotas, ſi foris cum gnomone ſonus diſcrepet; nec ſolis curſui foris gnomon reſponderet, niſi intus per regulatum rotarum artificium dirigeretur. Unum cum altero, interius cum exteriori conveniat, & uniatur neceſſe eſt, id quod intus movetur, cum eo quod foris ſonat. Ità ad amuſſim ex eo, quod in corde (confeſſuri) volvitur, & quod foris poſtmodum in confeſſione verba ſonant, Divinum quoddam Pœnitentiæ artificium conſurgit. Ut ad cæleſtem ſciatheram cor (Pœnitentis) componatur, & cum Sole Divino in Supremo Pœnitentiæ

tentiæ Sacramento anima concordet, primò in prædicta Pœnitentis corde rotatio, circumactio, ac immutatio esse, illúdque totum quantum rotari, sus déque verti debet, omnem omnino peccatorum disordinem intermittendo, ad sequendum exactissimè regulatum Gratiæ circinum, per quem dolorem de peccatis & emendationis Propositum intelligo: Et debet (idem cor Pœnitentis) rotari, & circumagi, ferme sicut illæ horologii rotulæ ex uno in alterum dentem volvuntur, vitæ statum præteritum sedulò examinando; atque hoc per attentum & diligens Examen fiet, quamlibet actionem, quamlibet cogitationem, verbum quodlibet solicitè percurrendo. His demum in interno cordis penetrali peractis: lingua postmodum in confessione cum prævio cordis motu ac rotatione conveniat, & quod intus cor volvit, illa foris accuratè, fideliter, & regulatè sonet oportet.

II. Jam per hoc me satis explicavi: *Bene confiteri* non est accedere solummodo ad pedes Confessarii, & sua peccata ore dicere; prout non pauci miserabiliter decepti falsò opinantur: hoc enim ab illo tantùm externo actu pendet. In tantum hæc narratio peccatorum, istæ tunsiones pectoris, omnino salutares & proficuæ erunt; in quantum intus ab examine peccatorum, à dolore vero, & à proposito emendationis regulatæ erunt; quandoquidem, quod in horologio bene sonent horæ, ideo est, quia priùs bene incedunt rotæ. Jam ergo vidimus quales debeant præcedere necessariæ dispositiones Examinis Conscientiæ, doloris de peccatis, & Propositi emendationis. Verum est, quòd si quis dolorem & Propositum haberet eô ipsissimô tempore, quo narrat & confitetur peccata ad pedes Confessarii, modò sit iste dolor & Propositum ante perceptionem absolutionis, confessio hac ex parte remaneat bona; de hoc nullus dubito. Nihilominus nè differendo negotium tam momentosum usque ad ipsum confessionale, ubi vel ex solicitudine, nè quid obliviscamur, vel ex timore, vel ex defectu temporis dolorem & propositum penitus omittere possumus, nè inquam, tali dilatione periculo nos exponamus sacrilegium committendi; Ideò bene erit, si non solùm fiat, prout fieri debet, priùs Examen, sed ut pariter, priusquam ad pedes Confessarii perveniatur, Dolor verus, & Propositum firmum emendationis in actum redigatur. Etenim nimiùm incurius foret, qui,

qui, uſquedum jamjam abſolveretur, doloris elicitionem differre, ſicque nullitatis periculo exponere confeſſionem vellet.

Et peracta tali diligentia, in quo ulteriùs conſiſtit Divinum artificium noſtrum? Quid poſtmodum nobis agendum reſtat? Ut vos ducam quaſi manu, ad Tribunal Sanctæ Confeſſionis, ad thronum clementiæ, ad aſylum Pietatis, ad ſolium gratiæ, ad ſedem Miſericordiæ: *Adeamus*, repeto vobis cum Sancto Paulo ad Hebr. 4. v. 16. *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Adeamus, ô Animæ, cum fiducia vera cordis, non cum timoribus, non cum anxietatibus; nam quantumvis ſit hoc Tribunal, eſt tamen Tribunal totum pietatis: quandoquidem à veſtra voluntate, à veſtra propria diſpoſitione dependet ſententia. Quantumvis Judex ſit Confeſſarius, eſt ſimul Pater ad reſpiciendam veſtram animam illo amore, quem illi ipſa paterna viſcera ingerunt; eſt ſimul Medicus ad curanda veſtra vulnera cum ſuavitate, & amore, non cum rigore adinſtar carnificis. Quantumvis ibi ſedeat loco DEI, eſt tamen homo miſerabilis ad conſiderandas veſtras miſerias, veſtra peccata, veſtros lapſus, cognoſcendo, quod vel illos jam admiſerit, vel quòd graviores committere poſſit. *Adeamus cum fiducia:* quod ſi facimus ex noſtra parte id, quod debemus, ibi habemus paratum totum Sanguinem JESU Chriſti ad nos abluendos, omnia Chriſti merita ad nos ditandos, totum ejus amorem ad nos recipiendos. Ità hoc nobis ſuadet dulciſſimus ille Spiritus Sancti Franciſci Saleſii: *Quando perveneris*, dicit, *ante tuum Patrem ſpiritualem, imaginare tibi quod ſtes in monte Calvariæ, ſub pedibus JESU Chriſti Crucifixi, cujus Sanguis pretioſus diſtillat ſuprate per omnes partes ad lavandum te à tuis ſceleribus.* O quæ conſideratio tam proficua quàm dulcis! Ex hac confidentia filiali naſcetur poſtmodum attentio, cura, diligentia. Habeo ego in tantum ad manum meam, miſericordiam; habeo ad libitum meum, gratiam, dum bene confiteor; *Ut miſericordiam inveniamus & gratiam.* Habeo ibi fontem, ubi poſſum lavare animam meam, eamque ità dealbare, ut in illa non remaneat nec quidem minima macula; *Erit fons patens domui Jacob in ablutionem peccatorum*, Zach. 13. v. 1. debeo itaque confiteri, ac ſi poſtmodum immediatè deberem mori; Debeo explicare & effundere Animam meam in hoc Tribunali, ac ſi hinc deberem actutum migrare ad Tribunal DEI. III.

IV. O! si semper haberemus vivam talem considerationem quando accedimus ad confessionem, quàm bonæ semper forent nostræ confessiones! Certo cuidam Religioso ex Ordine Dominicanorum, dum jam in articulo mortis esset, dixit suus Superior, ut se disponeret, ac si moriturus esset. Ad hoc ille respondit: Pater, triginta quinque anni sunt quibus omni die confessus sum, & Missam legi, ac si immediatè illo momento debuissem mori; quamobrem pro nunc nihil novi mihi agendum restat. Quæ quies foret talis animæ? quæ tranquillitas, quæ pax? talis dico, quæ quandocunque confessa fuisset, semper cum hac consideratione id peregisset: ista confessio debet esse ultima in mea vita. Est illic DEI Tribunal totum rigorosum, totum justum, & ipsa Justitia; itaque hic præveniendum est, confitendo bene in hoc tribunali, quod totum misericors, totum misericordiæ & gratiæ plenum est. *Præveniamus faciem ejus in confessione.*

V. Inde postmodum nascetur non solùm in interna mentis, sed etiam in externa corporis constitutione modestia, humilitas, compositio, quibuscum tenemur ad Sanctissimum Confessionis Tribunal accedere. Frequentabimus illud non amplius ità festinanter, non ità cum contentione, quis alteri præcedere debeat, non impediendo invicem, non colloquendo ibi, ac si in foro staremus, non trudendo invicem, ac turmatim quasi supra ipsum Confessarium irruendo: non cum impatientia, ut eò citiùs accedere possimus. O Animæ! Si considaremus, ad quid peragendum illuc accedamus, quàm longè alio modo illuc nos conferremus! Sequetur etiam in amictu compositio, vestitus minùs splendidus, minùs sumptuosus, minùs arrogans, dum ad confessionale acceditur. Apud antiquos Romanos moris erat, quòd Reus, dum prodibat ad Tribunal, prodiret non solùm in vestitu lugubri, sed ille ipsemet vestitus lugubris attritus & lacer erat; & quia Milanus, Nobilis Romanus, nolens se huic consuetudini accomodare, impendiosè vestitus prodivit, ubi antea Judices propendebant ad gratiam & veniam, obstinatâ postmodum sententia eundem condemnârunt ad perpetuum exilium. Qui ùt reus venit, nunquid debet venire, ac si prodiret ad triumphum? Pipinus Rex Galliæ, referente Baronio, semper quotiescunque confitebatur non solùm depositâ Coronâ capite nudo, sed etiam pedibus nudis ad confessionem se contulit. Et si nos hoc bene per-

perpenderemus, etiam omnia iſta viderentur nobis valde exigua. Inde ſequetur pariter veneratio, ac debitus erga Confeſſarium reſpectus, qui ibi vices DEI agit, ad mundandas, & æternaliter fortunandas noſtras Animas. Imperator Ferdinandus II. Avus feliciſſimi Leopoldi, Proavus Regis Caroli III. & Caroli VI. Imperatoris, ingreſſus quadam vice cum ſuo Confeſſario ad deponendam confeſſionem in ſuum Oratorium, vidit ibi ſedem deeſſe; ſoli jam illic erant, & vertens ſe Imperator ad unam ex Anticamera apportandam ipſemet properavit. Confeſſarius quoque tam abjectum ſervitium impediturus, humiliter & obſequiosè ſe oppoſuit; Imperator verò: Recedite; & cum pietate tantundem Chriſtiana, quantùm Auſtriaca, ponendo illi ſuis Imperialibus manibus ſellam; *Sedete*, dixit, *Pater; in hoc enim tribunali vos Judex eſtis, ego reus ſum.* O quis reſpectus tam ſublimiter pius & Magnanimus: ſed ſi bene conſideretur, quàm debitus!

VI. Quando ergo jam ad Confeſſarium perveniſtis, & ad genua vos provolviſtis, ſignate vos ſigno Sanctæ Crucis. Formate illam tardè, & conſideratè: quandoquidem vel maximè neceſſe habemus in actu tam gravi, & tantæ conſiderationis ejus defenſione, & auxilio. Sequitur poſt hoc, quantùm concurſus populi permittit, recitatio confeſſionis generalis, id eſt *confiteor*. Per quod humiliemus nos primariò coram DEO noſtro, in conſpectu, & in præſentia Sanctiſſimæ Matris ejus, & Sanctorum: *Confiteor DEO Omnipotenti.* Omnipotenti? Et qua de cauſa ponit nobis in os iſta verba Sancta Mater Eccleſia? Quare hic appellamus DEUM attributò ſuæ Omnipotentiæ? Ideo: ut intelligamus, totam Omnipotentiam Divinam neceſſariam eſſe ad nos liberandos à noſtris culpis; & facere Omnipotentiam majus opus in condonatione unius ſolius peccati, quàm fecerit in præcipitatione ad infernum omnium damnatorum. Ac pergamus dein uſque ad illa verba: *Mea culpa! mea culpa! mea maxima culpa!* ſub quibus pectus tundamus.

VII. Jam confiteri incipiamus. Ego applico aures, adhibete vos etiam veſtram attentionem; quandoquidem in hoc negotio apices ſunt conſiderandi; & hac de cauſa pergam illos deſcribere, & proſcribam nunc (Oh utinam hoc conſequerer) ſuperfluitates otioſas, quæ ad nihil ſerviunt in confeſſione, niſi ut perdatur tempus. Audio itaque:

itaque: *Accuſo me, Pater, quòd non amem DEUM, ſicut debeo: nec Proximum, ſicut meipſum.* Quid vult his dicere? Qualenam præambulum eſt iſtud, quod nonniſi ex libro quodam excerptum ac vetulis proprium eſt? Si illud, quod dicere vultis, eſt, quòd non ſatisfeceritis præcepto ſpeciali, quòd nimirum debemus abſque dubio elicere actus amoris DEI; certum eſt, hoc præceptum non obligare per ſe ad tantam frequentiam, ut in continuo quaſi amoris exercitio verſemur. Quamobrem ex hac parte eſt vanum dicere, non amo DEUM ſicut debeo; eò quòd in hoc nullum ſit commiſſum peccatum ſpeciale. Si illud, quod dicere vultis, eſt, vos non habere in amore DEI illam teneritudinem, illam affectuoſitatem ſenſibilem, quam deſideratis; nec hoc pariter peccatum eſt, quia amor DEI ſuper omnia, ad quem ſumus obligati, non intenſus & ſenſibilis, ſed ſolùmmodo, ùt alibi dixi, appretiativus eſſe debet. Pro ultimo ergo, ſi illud, quod dicere vultis, eſt, quòd illum offenderitis aliis peccatis; dum hæc confitemini, jam hoc intelligitur, & intimatur, quòd non amaveritis DEUM. Quamobrem iſtud præambulum exorbitat, & eſt ſuperfluum. Hoc ipſum dico de amore Proximi. Quia, ſi in veritate aliquem abominamini, iſtud peccatum tali modo non eſt confitendum, ſed clarè dicendum eſt, vos habere odium, vel malam voluntatem contra veſtrum Proximum. Quòd ſi autem nullum abominamini, non eſtis obligati ad repetendos actus amoris erga Proximum: ſufficit velle bene omnibus propter DEUM, & nullum odio habere. Eſt itaque ſuperfluum totum iſtud principium confeſſionis: *Non facias*, dicit Sanctus Franciſcus Saleſius ad ſuam Philothæam, *non facias iſtas accuſationes ſuperfluas, quas multi ex conſuetudine faciunt, dicendo: non amavi DEUM, ſicut debeo, non amavi meum Proximum, quantum conveniebat, & his ſimilia: quia per hoc te non accuſas de re particulari, quæ poſſet dare ad intelligendum tuo confeſſario ſtatum tuæ conſcientiæ.* Quamobrem manemus unanimes, hunc ingreſſum ad confeſſionem eſſe ſuperfluum.

VIII. Progrediamur ulteriùs: *Accuſo me, quòd non veniam ad iſtud Sanctum Sacramentum cum tota illa præparatione, quâ deberem, nec apportem dolorem, & propoſitum emendationis, prout obligatus ſum; nec taliter examinatam conſcientiam, prout illam deberem afferre.* O quæ proſa tam exactè ex folio impreſſo memoriæ mandata! Quæro: vel

vel omnia, ista de quibus te accusas sunt vera, vel non sunt vera? Si verum est sicut hoc dicis, quod nec te examinaveris, nec adferas dolorem, nec Propositum emendationis; surge, noli confiteri, aliàs committes sacrilegium. Vade priùs, & te dispone, & postmodum redi. Dices: Non dico hoc cum tanto rigore; bene ego habeo dolorem, & propositum, & etiam meam examinavi conscientiam. Est ergo ista accusatio falsa. Et si illud, quod dicere vis, est, te non habere dolorem sensibilem, sicut velles; hic dolor non est de obligatione; nec verus dolor de peccatis consistit in sensibili, hoc vel illo modo; sed in detestandis peccatis ex toto corde. Itaque non adest culpa aliqua, nec mortalis, nec venialis, in non habente istum dolorem sensibilem, in non habente lacrymas, nec suspiria. Si illud, quod dicere vis, est, quòd, quantumvis habeas Propositum verum emendationis; tamen tuus appetitus, tua mala inclinatio, tua passio te trahat ad peccata; totum hoc, quantumcunque te trahat, quantumcunque inclinet, si resistis, nec facit, quod Propositum non sit verum, nec in hoc aliqua adest culpa. Et si illud, quod dicere vis, est, quòd quantumcunque jam examinaveris tuam conscientiam; tamen tantum facere non potueris, quantum tu velles: quòd si examen fuit competens tempori, tuis negotiis, tuis curis, ad plus non obligaris. Quamobrem tota ista accusatio est vana, superflua, & importuna.

IX. Ulteriùs: *Me accuso per omnia septem peccata capitalia; per opera misericordiæ, quantùm offendi DEUM, auditu, visu, tactu.* O DEUS! Quæ ineptæ garrulitates tam omnimode inutiles, & sinè omni emolumento? tales generalitates, quæ nec examinantur, nec ex alio motivo dicuntur quàm ex consuetudine, & de memoria, ad nihil deserviunt. Nec Confessarius ex his facit judicium de vestra conscientia. Ad quem finem ergo sunt ista verba? Interrogavit certus Medicus aliquam infirmam ubi dolorem sentiret? Domine, totum corpus, totum quantum habeo, totum mihi dolet. Itáne? Bene! reposuit Medicus, qui nonnihil jovialis erat. Eja ergo, certissimè cura tibi extrahi omnes dentes, tali modo minorem senties dolorem. Non, Domine, hi mihi non dolent. Bene est: Igitur curabimus quàm citissimè abscindi capillos, sic alleviabitur caput. Non, Domine, in capite nullum sentio dolorem. Ità processit ab

una ad alteram partem, & in fine nihil dolebat, quæ antea in toto experiebatur corpore dolorem. Quomodo ergo vos debeo curare, si nullum mihi dicatis morbum aliquem determinatum? Non aliter sæpiùs solet accidere post accusationes generalitatum otiosarum, quæ si examinentur, in particulari nihil in illis invenitur, & terminatur tota accusatio in mendacio.

X. Pro ultimo me accuso de omnibus illis peccatis venialibus, & mortalibus, de quibus mundus, diabolus, & caro me accusabunt in die judicii. Et vobis videtur, hanc multùm importare formulam? Ecce, ad nihilum servit, & est tantum otiosa, quantum vestrum principium. Accusari nos in die judicii à carne, vult dicere, ibi nos visuros optimè in particulari omnia peccata carnis. Jam si illic ab illis volumus liberari, hoc fieri debet confitendo illa omnia hic, non cumulatim, non confusè, non in genere, sed quodlibet quàm optimè in particulari. Quamobrem ad nihilum deservit dicere, quòd me accusem in quantum me accusabit caro. Accusari nos ibi à mundo, idem est, ac nos visuros ibi in particulari peccata omnia, quæ servientes mundo, commisimus, vanitates, humanos respectus, timores, ùt vocamus: *quid dicent homines*; - - - per quæ offendimus DEUM. Jam ut nos ab illa accusatione liberemus non sufficit illa confiteri generaliter, sed declaranda sunt in confessione unum post alterum. Quapropter nihil juvat dicere, quòd me accusem de omni, de quo me accusaturus est Mundus. Hoc ipsum dico de diabolo. Si ergo sufficit confiteri quodlibet peccatum in particulari, sicut quis illius recordatus, ad quem finem serviunt omnia ista verba otiosa? Ibat sua peccata confiteri Adelaidis, quæ fuerat magna peccatrix: processit illi obviam diabolus, & dixit: quò vadis? Et respondit prudens; *Vado confundere me, & te.* Quàm bene. Si peccata non confitemur in particulari quodlibet; & sicut in conscientia, nihil facimus dicendo, quòd nos accusemus de omni eo, de quo nos accusaturus est diabolus. Et è contrario, si peccata clavibus subjiciuntur, sicut quis illorum recordatur, hoc solum, sinè alio addito, sufficit ad confundendum, superandum, & conculcandum diabolum capitalem hostem nostrum.

XI. Refert Cæsarius: Insignem quemdam ex Ordine S. Dominici Prædicatorem, dum agonizaret propemodum, jam jamque animam efflaret,

efflaret, ſpectabile habuiſſe in quodam cellæ ſuæ angulo horribile ſpectrum, diabolum; cui ille animô impavidô: quid hic adſtas cruenta Beſtia? inquiebat: dic mihi palàm: quocum in Eccleſia DEI maximum bellum habes? quid maximum tibi damnum infert? Conticuit dæmonium. Religioſus verò: Adjuro te, ait: obteſtórque: ediſſere. Tunc maledictus ſpiritus in ſui contemptum, nihil dari faſſus eſt, quod majus ſibi damnum inferat, ſuásque magis vires proſternat, quàm frequentem peccatorum confeſſionem. Etenim, inquiebat: conſtituta in nævo peccati mortalis anima, capta & ligata eſt, cui dominamur ad libitum; poſtquam verò confeſſa eſt, deridet nos, & priſtinæ libertati reſtituitur. Hæc ab ipſo mendaciorum Patre diabolo extorta veritas eſt.

Nos idcirco minimè ad pedes Confeſſarii otioſè tempus tranſi- XII.
gamus: faciamus ibi nobis lucrum de tempore, ac in particulari noſtra peccata confiteamur. Excutiamus formulas ſtudiô inquiſitas & adinventas, & collocemus omnem noſtram curam in declarandis peccatis prout hæc in noſtra conſcientia deprehendimus; ſic profectò ridere diabolum; ſic liberare nos ex carcere peccati; ſic denique ſecuram noſtrarum Animarum defenſionem lucrari poſſumus pro futura, quæ revelabitur in nobis, gloriâ.

INSTRUCTIO XV.

Aliæ Superfluitates, quæ in Confeſſione æquè evitandæ ſunt.

SI cum Confeſſione conjuncta eſſe pulchritudo debet; *Confeſſio* I.
& pulchritudo? Pſal. 95. v. 6. debet Confeſſio procul dubio pulchritudinis proprietates habere. Conſiſtit hæc in debita & proportionata partium conjunctione, ex quibus per bonam ſymmetriam ſimul unitis *Pulchrum* quoddam compoſitum reſultat, cujus in hoc pulchritudo conſiſtit; quòd ſuperflui nihil habeat, nec etiam quidquam illi deſit. Si formoſiſſimæ faciei naſus auferretur, jam non pulchra, ſed deformis foret, ſi digitus accreſceret, jam nauſeam crearet. Nec exceſſum, nec defectum pulchritudo admittit. Ità pariter confeſſioni, quæ maximam dat pulchritudinem

Animæ: *Confessio & pulchritudo*, nec debent deesse partes, quæ essentialiter ejus pulchritudinem constituunt, nec admittit similes superfluitates otiosas, quæ illam deformant. Atque istas radicitus sublaturus, explanabo hodie: Confessionem superfluitates habere non debere; quæ, cùm otiosæ sint, illius pulchritudinem summè deturpant. Pictor quondam minùs laudatus stipulata manu, politâ, ac singulari arte efformatam Helenæ effigiem æmulari promiserat. Quæ quidem effigies, quemadmodum Helena pulchritudinis prodigium, ità & ipsa artis miraculum, atque ab artifice, citra æmulum celeberrimo Apelle depicta erat. Omnem ille & industriam & artem adhibuit; videns verò, se vultûs speciem, ac lineamenta assequi non posse, omnem suam operam in effigiando affabre vestium ornamento locavit. Itaque ad hoc vivacissimis usus coloribus est, unionibus collum, pectus adamantibus totum quantum contexit. Sed quid? Contuens degenerem hanc Helenam Apelles, cachinnari, & *Quia*, inquit, *non potuisti pingere pulchram, pinxisti divitem.* Ità ille & malè colores, & inutiliter tempus perdidit: ista etenim festiva amictûs pompa, ac ornamenta si facies formosa non sit, ad nihil serviunt; Hæc verò sola, si speciosa est, omnium oculos & animos fascinat, nec extrinsecam vestium superbiam requirit. Hoc ipsum ego multis dico, qui reponunt pulchritudinem conscientiæ in multis verbis, in multis prosis, ideóque insumunt multum temporis in inutilibus verborum ambagibus. Relinquendæ istæ; ad principale, ad faciem veniendum est. De hac postmodum videbimus. Nunc ornamenta inutilium accusationum tollamus.

II. Vidimus jam formulas, quas Pœnitentes memoriter callent. Redeo nunc denuo ad confessionale: Adapto aures; peto vestram attentionem; referamus aliorum adhuc accusationes. Jam audio: in primo Præcepto: Pater, per gratiam DEI, nihil habeo in quo me accusem: In secundo: nunquam juravi; imò magnam abominationem habeo & horrorem ab hoc vitio. In tertio: audivi Missam non solùm diebus Festivis, sed etiam diebus ordinariis in septimana, & plurimùm adlaboravi, ut etiam illi audiant, qui sunt de mea familia. In quarto: per gratiam DEI, in nullo defui meis obligationibus, meis curis, & sustentationi meæ domûs, & mearum prolium. In quinto: sistite, sistite. Quis modus confessionis est iste?

iſte? Veniſtisne narrare veſtras virtutes? Confeſſio Phariſæi hæc eſt. Audite Chriſtum Dominum: Duo homines, dicit apud Sanctum Lucam cap. 18. aſcendebant in templum; unus Phariſæus, ex illis qui zelantes erant cultûs Divini, & Religionis: alter Publicanus, ex illis qui exigebant tributa & gabellas, & habebantur pro furibus. Quàm contraria exercitia? Phariſæus itaque ſtans ante Altare dicebat præ ſuperbia tumens: *Domine, ago tibi gratias, quia non ſum ſicut cæteri homines, injuſti, adulteri, raptores, velut etiam hic Publicanus.* Ego non; *jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.* Publicanus interim à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens: *DEUS propitius eſto mihi peccatori.* Quis ex his duobus vobis videtur obtinuiſſe gratiam, & condonationem? Phariſæus forſitan cum ſuis garrulis virtutibus? Neutiquam; ſed Publicanus cum ſuis peccatis cognitis, & humiliter confeſſis: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam*; Quia melior eſt in peccatis humilis confeſſio, quàm in virtutibus ſuperba jactantia, dicunt Sacri Canones: *Melior eſt in malis humilis confeſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio.*

III. Confeſſio, Dilectiſſimi, non eſt ad hoc, ut veniatis narrare in illa veſtras virtutes, ſed ut confiteamini humiliter peccata: *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* dicebat David Pſal. 31. v. 5. Et Job fatebatur ſe peccâſſe. Et vos non eſtis ſanctiores Jobo, nec magis pœnitentes quàm David. Quando arbitrabatur Moyſes imponere ſe manum in ſuum ſinum mundam, & ſanam, tunc illam extraxit plenam leprâ; & quando autumabat, quòd illam extraheret leproſam, illam extraxit omnino ſanam. Peſſimum eſt, quòd ab illis, qui ità ſe deprædicant in confeſſione, ideo id fiat, eò quòd non examinaverint conſcientiam; quòd ſi illam examinâſſent, forſitan tacerent, prout illorum obligationis eſſet, laudes, & dicerent, prout tenerentur, peccata. Certam mulierem, quæ ità ſe laudabat de ſimilibus virtutibus in confeſſionali (refert Cæſarius) longo tempore audivit Confeſſarius, & poſtquam eidem auſcultâſſet cum ſilentio & patientia, uſquedum omnia narrare finierat; Nihil aliud præterea habes? quæſivit. Nihil, præter hoc, habeo. Confeſſarius denuo: Nihil habes præter prædictas virtutes? Dic mihi, mulier, cujus conditionis aut ſtatûs es, aut quod munus obis? Ego vendo ferrum, reſpon-

dit illa. Bene. Nunquam fuisti negligens in dando pondere, ùt tenebaris? Ità fui; semper do aliquid minus, quàm deberem dare. Et nonne hoc est peccatum mortale? quare illud non confiteris? nam quantumvis hoc parum sit, tamen intentio continuandi hoc ipsum, est peccatum grave. Habuistine litigia & rixas cum tuis vicinis? Ità; omni die irascimur, lacessimus nos contumeliis, & omnia mala ac dæmonia invicem imprecamur. Et hoc nullum est peccatum? Quare hoc non dicis? Nónne murmurâsti de vita & moribus aliorum? Sæpissime. Et ista non sunt peccata? Et tu solummodo confiteris tuas virtutes? Itaque cum confessione tuarum virtutum, perges ad infernum unà cum tuis virtutibus. Dilectissimi mei, in confessionali peccata solummodo dicenda sunt; quandoquidem nullus est ità sanctus, qui illa non habeat; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Joan. 1. cap. 1. v. 8. Nullus tam rectè vivit, quin non habeat multos lapsus: *In multis offendimus omnes:* Jac. c. 3. v. 2. Et quomodocunque justus sit quilibet, ob hoc ipsum recordatur tantò magis etiam de levissimis peccatis, se accusare: *Justus prior accusator est sui.*

IV. Ulteriùs; Confitetur jam alius: In primo Præcepto me accuso: Pater, posito si non amâssem DEUM, prout teneor. In secundo me accuso: si fortè pejeraverim. In tertio, me pariter accuso: si si fortè omisissem audire Missam die festivo: si fortè laboraverim: si fortè non impendi diem piè & devotè, sicut teneor. In quarto me accuso: si fortè posito quòd. Sufficit, sufficit cum istis conditionibus. Quis modus est iste confitendi tam importunus, & sinè omni profectu? *Accuso me si juravi.* Quæro, & estote attenti: vel certò scis te jurâsse cum mendacio, vel certò scis te non juravisse, vel es in dubio an juraveris, vel an non juraveris: ex hinc non effugies. Si certus es, quòd juraveris cum mendacio, non sufficit dicere: *Me accuso, si juravi*, sed deberes clarè dicere: Me accuso, quòd juraverim cum mendacio: & si tali modo hoc non confiteris, vel aliud qualecunque peccatum mortale, confessio remanet nulla, & sacrilega; quia peccatum certum non confiteris ùt certum. Si es in dubio, pariter nec sufficit dicere: *Si juravi*, quia hoc non explicat sufficienter tuum dubium. Debes dicere: Me accuso, quòd sim in dubio, an juraverim, vel non, cum mendacio. Et tandem, si cer-

ſi certus es, quòd non juraveris cum mendacio, ad quid eſt iſta otioſitas dicere: Accuſo me, ſi juravi, ſi blaſphemavi, ſi furatus fui? Ad quid ſunt iſta *Si?* Pater, inquies, pro hoc, quòd poſſit eſſe. Ergo ſolummodo pro illo, quod poteſt eſſe, poteris pariter dicere: Accuſo me, ſi occidi mille homines, ſi combuſſi Eccleſiam, ſi furatus fui Sanctiſſimum Sacramentum; & cum ſimili conditione, ire per omnia, quantacunque peccata poſſunt committi, & non finire confeſſionem per totam diem. Concludamus itaque tales conditiones ad nihilum ſervire, niſi ad cauſandam nauſeam Confeſſario, & ad tempus gratis perdendum.

Ità eſt, Pater. Sed tantas inter anguſtias deprehenſa, in tantis neceſſitatibus conſtituta ſum, ut videar mihi ipſi, quòd cadam in multa peccata, quia onerata ſum tot prolibus: meus Maritus me dereliquit jam à tot annis, & non habeo fruſtulum panis, quod dare poſſem meis prolibus; nec unicum filum ſtupæ ut me veſtirem; iſta tunica, quam porto, eſt mihi commodata, & ſic mihi tranſeunt dies, ut ſæpiùs ad veſperum adhuc ſim jejuna. O DEUS! O DEUS! Ego fateor iſtas & ſimiles narrationes excitare compaſſionem; ſed confeſſio non eſt pro referendis miſeriis, moleſtiis, neceſſitatibus, ſed peccatis. Nunquid poſſunt quæri aliæ occaſiones pro exponendis ſimilibus dicteriis extrà Sacramentum: cùm hic habeant plura ac maxima pericula? De exæſtuante illo tum in DEUM, tum in proximum charitate mirifica, ac animarum Zelote Eximio S. Philippo Nerio, ejus vita teſtatur: graſſantis quondam famis tempore, ad pedes illius provolutam quamdam fœminam, eidem confiteri voluiſſe. Quæ quidem confeſſio id nequitiæ alebat, quod ſe, ope Viri Sancti, de pane ad Sanctum Hieronymum diſtribui ſolito, eleemoſynâ potituram ſperaret. Sanctus Philippus mentem illius divinitus cognoverat, & quin vel confeſſionem inceperit, in pace eam dimiſit, nihil panis pro ipſa adeſſe, innuens. Atque utinam & nos Confeſſarii de Pœnitentis interdum intentione augurari ac Metopoſcopi eſſe poſſemus! Addit Hiſtoricus: Præfatum S. Patrem, nè quis propter commodum, aut motivum temporale Sacramento Pœnitentiæ abuteretur, ſolicitè invigilâſſe. Et quamvis viſcera habuerit miſericordiæ, charitatisque pleniſſima, noluit tamen, ut ullus intuitu eleemoſynæ confiteretur. Quo factum: quòd ſi quandoque ex tenui quorundam V.

rundam fortuna, quam ſibi compertam habuit, ſimilem pœnitentiæ abuſum formidaret, dederit pecuniam aliis, ut eandem iis erogarent, qui ad ſummam redacti inopiam erant; ſublaturus hoc modo anſam, occaſionémque, nè de ſe præclaram apud Confeſſarium exiſtimationem acquirere, ac ſub ſpecie pietatis non levamen animæ quærere, ſed ſubſidium inopiæ venari vellent. O Sanctiſſimam Viri tam admirabilis Providentiam! Quot forſitan (& ſæpiùs quidem) confitentur, eo ſolummodo motivo ducti, ut Confeſſarius ipſis opituletur, eleemoſynam largiatur, dotem procuret, de Matrimonio proſpiciat, &c. Summa Eheu! vilipenſio Sacramenti hujus, de quo nobis nonniſi magnificentiſſimè ſentiendum foret! Mundare animam à peccato, eandem in gratiam DEI reſtituere; verbo: Bonum animæ, non corporis, unica Pœnitentiæ ac ſuprema finalis ratio eſt. Procul hinc mendicatio ſtipis, commoda caduca, emolumenta terrena. Atque ideo multis ſanè Confeſſariis, quibus palliata quorumdam virtus imponit, illud Prophetæ obtrudi poteſt: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Pſal. 48. v. 19. Ficta hæc morum probitas demùm eouſque durabit, quouſque Confeſſarius daturus eleemoſynam eſt; hac deficiente, ſuum pariter & illa finem ſortietur. Denin: Quid ſi Pœnitens nonnunquam, ne bonam apud Confeſſarium, quô indiget, exiſtimationem amittat, quoddam ex verecundia peccatum ſubticeat? Quid ſi ſubinde, quandoquidem nonniſi utilitatem temporalem quærat, debitam, & neceſſariam ad hoc Sacramentum diſpoſitionem non adferat? Quid ſi, locò quòd de peccatis doleat, ſuam nonniſi penuriam deploret, indéque, dum ſub confeſſione in fletus, & ululatus effunditur, doloris de peccatis penitùs obliviſcatur? Non ſic, O animæ! Non ſic; quin potiùs *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Pſal. 117. v. 1. Præter DEUM, cui denuo reconciliari volumus, aliud in confeſſione reſpiciendum non eſt, aliud attendendum non eſt. Confitenda peccata, non proponendæ miſeriæ ſunt; peccata deſleri, non deplorari penuria debet.

VI. Ultimò denique adhuc alia confitetur: *Pater! ego venio nunc ex confeſſionali, ſed non ſum bene confeſſa.* Ecquid? an omiſiſti voluntariè grave aliquod peccatum? Abſit. An habuiſti debitum dolorem; & emendationis propoſitum? Habui. Abſolvitne te Confeſſari-

feſſarius? Abſolvit; ſed me non objurgavit Pater. Itáne, quòd te non objurgaverit, ideo ſolùm de bonitate, de valore Confeſſionis dubitas? O ſummam amentiam veniâ tuâ dixero. Ubi audiiſti, aut legiſti, quòd objurgatio Confeſſarii ſit pars tam eſſentialis confeſſionis, ut ſi eam omiſerit, ideo non maneat bona confeſſio? Tranſeamus & redeamus à tam inſula ignorantia. Ego, dicit alia, non fui bene confeſſa, quia videor mihi, quòd me non explicaverim, quòd non ſatis intelligibiliter mea propoſuerim. O quæ inquietudo ſolet eſſe iſta adeò frequens ac planè futilis, inanis & otioſa! Tacésne aliquid in confeſſione ex malitia? Non; Quærisne ex malitia verba, quibus vis tegere hoc ipſum quod dicis? Minùs: Imò vellem ego invenire verba, & modos, quibus omnia poſſem dicere clariùs. Et tandem aperisne omnia Confeſſario, ſicut ſcis? Ità. Igitur nè turbare Anima, ſed quieſce; nam majorem obligationem non habes, nec DEUS à te plus, imò ſæpe forſitan nec quidem tantum petiit. Eſtò hoc: Sed video tamen, quòd aliæ longiſſimas faciant confeſſiones, & ego citiſſimè meam finio. Potésne aſſignari æquale temporis ſpatium? Et an in hoc conſiſtit confeſſionis valor vel nullitas? Quid tu ſcis, an alter forſitan non habeat vel majorem difficultatem, quàm tu in ſe explicando? vel, an non laboret ſcrupulis? vel, an non habeat neceſſe ob ſuam internam pugnam, ut Confeſſarius ſe cum illo diutiùs detineat, in dandis illi inſtructionibus & conſiliis? Multò meliùs de confeſſione dicere poſſum, quod antiqui Sapientes de fortuna dicebant. Dicebant illam eſſe ùt indumentum; quod quidem in genere cenſetur utique meliùs habere non ille, qui majus, ſed qui magis aptum ſibi, ac proportionatum habet. Meliùs, inquam, ego indumento Confeſſionem aſſimilavero: *Confeſſionem & decorem induiſti* Pſal. 103. v. 1. Illa etenim nec, quòd diutius prolongetur, melior; nec, quòd citiùs abſolvatur, pejor eſt. Debet Confeſſio qualitati ac ſtatui conſcientiæ commenſurata eſſe. Tibi, quia puſillus es, ſufficiunt pauciores ulnæ de eodem panno, quàm alteri, qui te major eſt. Tuum ergo indumentum ideóne bonum non erit, quòd tot ulnas non habeat quot alterius habet, qui majoris, ac magis proceræ ſtaturæ eſt? quid ain? Deſine; nec alienas conſcientias cum tua, nec tuam cum alienis confer, minùs metire. Rurſus alius dicit: Mihi

tamen videor nunquam bene confiteri. Facisne ex parte tua quantum potes, & debes, sicque obligationi tuæ in hoc Sacramento correspondes? Ità. Scito itaque, Anima, tuam hanc diffidentiam periculosissimam esse. Illud verum est, quòd nemo se debeat credere omnino securum, quia etiam de peccatis condonatis semper in timore vivere debemus: *De propitiato peccato noli esse sinè metu*, dicit Spiritus Sanctus Eccles. cap. 5. v. 6. In timore, inquam vivendum nobis est, qui nos exstimulet ad bona opera, ad fugienda nova peccata, ad repetendos actus contritionis; sed in *timore*, qui unitus sit magnæ confidentiæ de infinita misericordia, quæ, si, quod ex parte nostra est, fecerimus, nobis non deerit. Quòd si autem fiducia ista absit, omnia perdita sunt. Confessio Judæ fuit integra, fuit verax: *Peccavi; tradens sanguinem justum.* Matth. 27. v. 4. Demonstravit suum dolorem, redeundo, & projiciendo pecuniam. Quid ergo defuit huic confessioni? Fiducia, dicit Sanctus Bonaventura. Confessus est, sed desperavit de remissione: & ideo illam non obtinuit. *Vera fuit hæc, sed tamen impia, propter desperationem.* Et, ut quidem animos erigant, sed tamen pariter etiam timeant ità diffidentes, audiant, quod

VII. In prato spirituali refertur: Infamem quemdam Prædonem (David is dictus, suæque cohortis Dux, & caput erat) tot ac tanta latrocinia, direptiones, atque atrocitates alias perpetrâsse, ut, quemadmodum totam illam Regionem circa circum infestam habuit, ità enormium, quæ exercebat, facinorum fama longè latéque divulgata sit. Tandem desuper tactus, factô ex afflatu divino immutandæ vitæ propositô, ad quoddam strictissimæ observantiæ Monasterium se contulit, atque Abbatis copiam petiit; Cui cùm mentem suam intimâsset, in Sacram illam Familiam adscribi, de genibus precatus est. Ille provectam hominis ætatem trutinans, eidem tanquam ad ferendum Ordinis rigorem propemodum inhabili repulsam dedit. Institit tamen iterum iterúmque; iterum iterúmque Abbas renuit. Dein vehementiùs insurgens, ultima periclitatus est; itaque & nomen suum, & vitæ statum conditionémque prodit; Abbatis conscientiam onerat, eúmque ad Divinum Tribunal provocat, cum addito: se ab illo de animæ suæ interitu strictissimam coram Supremo Judice rationem exacturum: ac modò ad Commilitones suos, pri-

stinâ-

ſtináque flagitia reverſurum eſſe; ac demùm Monaſterii ultimam etiam ruinam, illud ſolo æquare, injectóque igne funditus exurere, atque extrema quæque minatur. Quo factum: ut Abbas pietate ductus eundem voti ſui compotem fecerit. Ità ille Corpori Monaſterii ſociatus eſt; ubi cum ingenti cordis compunctione, largísque lacrymis peracta confeſſione, mox aliis omnibus virtutibus prælucere auſteritatibus anteire, totus diſciplinatus, totus inſigne exemplum, ac perfectionis forma eſſe. Piam non minùs quàm auſteram hanc vitæ conſuetudinem aliquamdiu proſecutus, Angelum ſibi in cellæ angulo præſentem habuit; à quo peccata ſibi omnia dimiſſa, séque de reliquo patraturum miracula eſſe inaudiit. Ad nuncium hunc ipſe ſtupere: cúmque eidem fidem habere nollet, intimarétque: nequaquam ſe capere, ſcelera tam enormia, quæ ſuâ arenam maris multitudine ſuperarent, intrà exiguum adeò temporis ſpatium plenè remitti poſſe, Angelus ad illum: Quandoquidem, inquit, Sacerdos Zacharias mihi credere noluit, ipſum mutum reliqui, sícque incredulitatem illius intercepta voce caſtigavi: tua pariter impune non tranſeat, Igitur ex hoc illius pœnas dabis, amiſsóque vocis uſu elinguis eris. Ad hæc David ſeſe in terram proſternens, querulè, itáne, ait: Dum in ſæculo peſſima quæque facinora perpetravi, loqui potui; modò ubi in Divinis laudibus totum quantum occupare me vellem, vocem intercipies? Angelus denuo: utrúmque fiet: Laudem DEI, ſed nihil ultrà, dices. Ità factum: nam ad cantandos cum aliis Monachis pſalmos, ac pro aliis laudibus DEI, linguam liberam habuit, & omnia expeditiſſimè pronuntiabat; de reliquo quoad omnia omnino mutus, nec quidem unicum proferre verbum valens.

VIII. O vos incredulos! O vos diffidentes de infinita DEI Miſericordia! quâ condonat in confeſſione peccata. Serviat vobis pro exemplo iſta caſtigatio. Et maneat lingua muta propter diffidentiam; ſed ſoluta & libera ad laudandum infinitè Magnum DEUM, qui vero Pœnitenti ex ſua parte tantam facit gratiam. Quantum poteſt hoc magnum Sacramentum! In ictu oculi ſcit transferre Pœnitentem ex enormibus peccatis ad puritatem, ad fortunam, & ad dignitatem inexplicabilem gratiæ.

INSTRUCTIO XVI.

Ut sit bona Confessio, non debet habere Excusationes.

I. PRo recuperanda sanitate distinguit cum magna prudentia & sagacitate Medicina morbos ac venas, & assignat in Phlebotomia, secundùm diversitatem morborum, varietatem incidendarum venarum: sed in Phlebotomia cæsti, sinè ulteriori indagatione, pro omnibus infirmitatibus sola vena vitæ nobis in ore est: *Vena vitæ os justi*, dicit nobis Spiritus Sanctus per Salomonem Prov. cap. 10. v. 11. Quòd si autem ex ista vena, dum non bene aperitur per scalprum chirurgicum, exeat sanguis colatus & purus, remanente interiùs humore crassiori, & maligno; jam tunc os vena non vitæ, sed mortis erit. Hac de causa ibidem subditur: *Os autem impiorum operit iniquitatem.* Debet itaque sanguis ex vena ista libere prodire, ut cum illo simul humor malignus, & lethalis prodeat. Animadvertitis quid dicere velim? Os nobis pro vena vitæ est, per quam anima mediante confessione sanguinem (peccata sua) stillare, sicque acquirere vitam æternam debet. Quòd si in Sacramentali phlebotomia hac, in qua citra aliud remedium æterna nostra vita consistit, prodeant peccata velut sanguis colatus, colatus inquam, per excusationes, defensiones, aliósque prætextus, remanente intrinsecus humore malignò, quæ salus, quæ vita à tali confessione sperari potest? *Os autem impiorum operit iniquitatem.* Hoc ergo demonstraturus hodie docebo vos: quæ adhuc à confessione resecari & abesse debeant, ut bona sit. Igitur nè excusationis, defensionis, alteriúsve cujusdam prætextûs in confessione vitium subrepat, scalpro (doloris) benè vena secetur, & citra obstaculum indubiè liberrimè peccata prosilient.

II. Confessiones aliquorum nihil nisi confusiones sunt, dicit Petrus Damiani. Dein aliorum confessiones nihil nisi defensiones sunt. Denique confessiones aliorum nihil nisi offensiones sunt. Nec lusum esse in verbis arbitremini: Ità enim per proprietatem multorum confessiones vocari possunt; quæ, locò quòd cum vero dolore, ac cordis compunctione, cum claritate, cum humilitate, sui accusationes esse debeant, nihil aliud, quàm lues, ac contagio quædam animæ

mæ ſunt: quia, dum defenſiones allegant, malitiam palliant, innocentiámque prætendunt; in anima peſtem relinquunt, tantique Sacramenti Sactitatem diſſimulant: *Vel ſi quæ aliæ peſtes ſunt, quæ obumbratorio velamine tanti Sacramenti ſimulent ſanctitatem.* Ideoque ſi unquam, hodie præcipuè, & in hodierna Inſtructione ut me bene intelligeretis, vellem.

Aliquorum Confeſſiones nihil aliud, quàm offenſiones ſunt. Atque ut exinde ſtatim ordiamur: Veniunt aliqui ad confeſſionale, non propria ſua, ſed aliorum peccata confitentur. Equidem nævos ſuos proponere ſolent, ſed nonniſi facta prævie excuſatione aliqua, quâ in alios culpam conjiciunt; Quæ demum non confeſſio, quin potiùs aliorum offenſio & accuſatio eſt. Et quid ni? Quo enim collimant, quo tendunt integræ ſubinde hiſtoriæ, novalia penitus impertinentia, &c. quæ ex confeſſionali nunquam exterminamus? Accuſo me, Pater (permittant me, quæſo, nonnihil liberiùs explicare propter reſidua) accuſo me, Parer! quòd Compatrem habeam; huic ſoror eſt, contentioſa, peſſimæ indolis, ac nihili fœmina. Ille ab aliis certa quædam debita ad me ſpectantia, extra civitatem exegerat, multúmque temporis elapſum eſt, à quo ab ipſo nec quidquam recepi. Præterita die ibam eundem de iſtis convenire; quandoquidem autem domi non erat, ipſum præſtolari debui. Ecquis narrationis hujus finem exſpectet? In quo tandem finietur tota rei ſeries cum Compatre, circa debita iſta, circa ſororem, &c. Quid vult ſibi integra hæc hiſtoria? Ulteriùs: Pater! ſicut dixi, ego in domum Compatris mei ad mea recuperanda me contuli; Et quemadmodum ſoror illius fœmina litigioſa eſt, ità plùs quàm mille indecentiis me impetiit: ego viciſſim eadem illi menſurâ remenſa ſum. Et hócne totum eſt? Ità. Igitur dicito: *Accuſo me: quòd erga Proximum vehementer commota, eundem ex ira contumeliis affecerim, conviciata, aut imprecata fuerim*; Et dixiſti totum. Quid ad Confeſſarium ſcire: an Compatrem, an debita activa habeas, an illa tibi ſolvantur, an illuc acceſſeris, an Soror tui Compatris altercari ſoleat? Ad quid tota hæc hiſtoria? quæ nonniſi ad excuſandum tuum peccatum deſervit, ut hoc levius appareat. Et quid tandem ad confeſſionem, quòd alter tibi non ſolvat, & quòd altera jurgiis aſſueta ſit? Porrò: quid dicemus de narrationibus Uxorum, quæ pec-

III.

cata Marito imputant; Dominorum, qui de servis conqueruntur; Servorum, qui Dominos incusant? O confessiones, quæ nihil aliud sunt, quàm offensiones. Sanè mihi hi tales, qui in confessione mores aliorum & defectus exponunt, traducunt, cavillantur, non absimiles esse videntur Zonariis sectoribus, seu crumenisecis. Hi unam sibi ex ligno formare manum, eámque cum altera nativâ jungere & elevare solent, se séque in hominum turmas citra suspicionem ingerere. Ubi dein junctis ità, levatisque manibus devotissimè, ac velut ecstatici inter homines commorantur, manu altera, quæ ipsis exclam libera & nativa est, aliorum loculos visitant, scrutantur, excutiunt. Culpa aliena in conspectu Divino nostram nihil diminuet. Intermisit Saul exequi Præceptum Domini, quô Amalec penitùs extirpare præceperat, & pepercit optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: 1. Reg. 15. Cúmque hoc illi Samuel exprobraret: Ego? inquiebat; Ego *audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus, & Amalec interfeci; sed Populus* pepercit melioribus ovibus & armentis. Tulit autem de prædà populus oves, & boves primitias eorum, quæ cæsa sunt, ut immolet ea Domino DEO suo. 1. Reg. 15. v. 15. Ità ille *Populo* inobedientiæ culpam attribuit. Quàm aliter David, ùt verè pœnitens, quando vidit grassantem in populo suo luem ob peccatum quod commiserat, eò quòd curâsset populum dinumerari: Ego sum Domine, exclamabat, ego sum ille, qui peccavi, ego sum ille, qui delictum commisi; *Ego sum, qui peccavi, ego qui malum feci.* 2. Reg. 24. v. 17. Hoc est verè afferre ad confessionem verum dolorem, cognoscere proprium peccatum, & ùt proprium illud confiteri.

IV. Alii rursus totam in diabolum culpam transferunt, eúmque peccatorum suorum reum agunt: quamvis & ipse dæmon jam sæpiùs conquestus sit, falsò se insimulari, atque filios hominum à se ipsis in ruinam præcipitari. Alii iterum, ùt se à culpa immunes reddant, ipsum DEUM incusare videntur. Ideo, inquiunt, hanc à DEO indolem, ac genium nactus sum; DEUS mihi immisit tantam paupertatem; DEUS mihi dedit uxorem. &c. Ità dixit Adamus; *Mulier quam dedisti mihi*, Gen. 3. v. 12. Et quid prætendit dicere talis stulta, & insipiens excusatio? Quòd tu sis sanctus, & DEUS sit ille, qui culpam

culpam habet? Conquerebantur quadam vice Æthiopes, quòd ſol notanter adeò, & velut Barbaros ſe decoloret & denigret! Et nónne videbant, quòd aliæ nationes etiam magis à ſole peruſtæ, nihilominus non haberent nigram pellem, ſed albiſſimam? Quot cum pejori natura, cum majore paupertate, cum uxore multò plus importuna, & improba non committunt iſta peccata? Ad quid ſervit facere offenſam DEI per illud, quod debet eſſe confeſſio tuorum peccatorum?

V. Aliorum poſtmodum confeſſiones nihil aliud ſunt quàm defenſiones. Non apparet quòd veniant ut confiteantur, ſed ut defendant ſua peccata. Accuſo me quòd tota die vivam in impatientia continua, proferendo maledictiones, & fulmina; ſed eſt neceſſarium, & cogor hoc facere; quia in gubernatione familiæ domeſticæ, ſi taliter non fiat, nullus adeſt timor. Accuſo me quòd commiſerim tanta peccata laſciviæ, ſed tanta eſt mea miſeria, ut ſi hoc non faciam, nihil habeam ad manducandum; & ex altera parte video, quòd tales perſecutiones habeam, ut mihi nullam quietem ſinant. O DEUS! & ſi te perſequerentur ſtricto pugione, & te vellent occidere, nunquid fugeres? Ah excuſationes! Accuſo me, quòd faciam expenſas ſuperfluas, accipiendo ad illas ex meis debitis, & ſic præjudico meis prolibus. Sed non poſſum deeſſe meo puncto honoris, & meæ qualitati. Quæ defenſiones ſunt iſtæ, & quis modus confitendi peccata? Hoc eſt illa majora facere dicit Sanctus Gregorius: pejor eſt defenſio peccati, quàm ſit ipſum peccatum. Ibat per certam plateam Diogenes, & ecce videt exeuntem diſcipulum ex quadam taberna: ſubſtitit in porta Juvenis, quamprimum tranſeuntem advertit Magiſtrum; & ut ſe magis occultaret, ſe retraxit magis intrò in domum; ſupervenit ad hoc Philoſophus, & dixit Juveni; *Quantò magis te abſcondis, tantò interius ſtas in taberna.* Quàm bene! ubi tu procuras te excuſare, tantò profundiùs ſtas in peccato. Hic itaque ſunt duo, dicit Sanctus Gregorius, elige ex duobus: *Si te accuſas, DEUS te excuſat, ſi te excuſas, DEUS te accuſat.* Si te accuſas ſinè omni velamine, cognoſcendo tua peccata, DEUS te excuſat, recognoſcendo tuam humilem confeſſionem; ſed è contrario, ſi tu te excuſas defendendo tuas culpas, DEUS te accuſat, condemnando tuam malitiam. Elige nunc, quod tibi magis arri-

arridet. Audite Davidem: *Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim:* Psal. 24. v. 11. *multum est enim:* quare multùm est? quia est multùm grave, & multùm grande peccatum, ideo orat Dominum ut illud sibi condonet. Posset David allegare pro excusatione violentiam occasionis, repentinum assultum non prævisum, quòd aliàs lapsus non fuerit. Attamen nec unicam ex his allegat excusationibus. Ego Domine agnosco peccatum meum, quod valde grave est; *Multum est enim*; & propter hoc ipsum quia taliter illud confiteor, spero à tua pietate remissionem. Veniat ad confessionem dolor sincerus, qui debet adferri, & ego vos asseguro, non adfuturas excusationes; nec ambages, nec defensiones peccatorum; nam qui illa abhorret, abominatur ex toto corde (hoc enim est dolere) non quæret illorum defensiones.

VI. Pro ultimo, aliorum confessiones nihil aliud sunt nisi confusiones. Adhibent modos verborum ex industria exquisitorum ad omnia pallianda, ut non possit rescire confessarius statum conscientiæ: Solent in confessione multa nonnisi obiter insinuare & dicere, quæ placent, circa damna facta, & causata, circa fraudes, rapinas, & injustitias. O DEUS! ah quot, & quantæ Animæ tam aptæ pro inferno! De pisce Sepia, dicit Plinius, quòd sit difficillimum eum piscari, quia dum hamus in aquam injicitur, evomit ille ex ore certam tincturam nigram, quæ turbidam reddit, & obscuram aquam, & hoc facto aufugit. Sed taliter non effugiunt, imò eunt in profundum multæ Animæ in confessione ejicientes malitiosum attramentum, quod obscurat illud, quod debebat reddere clarum. Gravissimum punctum est, quod tango. Istud est maximè ordinarium in peccatis injustitiæ, volo dicere in illis, unde nascitur obligatio restitutionis; & idcirco in istis quæruntur phrases, verba, & modi adeò, ut, non intelligens Confessarius in quo damnum factum fuerit proximo, non obliget ad restitutionem. Audite Davidem: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi,* Psal. 31. v. 5. Confessus sum Domine, cum tota claritate delicta mea, non defendi, non excusavi. Et nónne hoc sufficiebat omnimode ad bonam confessionem? Quare ergo addit secunda vice: *Et injustitiam meam non abscondi?* Ratio est; quia in omnibus aliis peccatis, quæ non sunt contra justitiam, sufficit confiteri factum; juravi

ravi falsum, non audivi Missam die festo; non jejunavi toties quoties tenebar; sed in illis, quæ sunt contra justitiam, non sufficit pluribus vicibus confiteri factum, sed etiam manifestandum est damnum, quod inde secutum fuit, injustitia, quæ in hoc facta est. Confitetur Judex se accepisse donaria, addit hoc styli esse, alios etiam accipere: *& injustitiam meam non abscondi.* Attamen non dicit ratione horum donariorum se dedisse sententiam iniquam, & damna quæ exinde secuta sunt. Confitetur Advocatus litem, quam defendit, vel distulit, cognoscendo illam iniquam & injustam esse, tamen illam ut valde probabilem habuit; nec dicit deceptiones (Advocatis communes) astutias: modum non æquum, ac media illicita, queis ad evincendam causam usus est. *Et injustitiam meam non abscondi.* Hoc ipsum dico de Scribis, de Mercatoribus, si Confessario non explicent, in quo injustitia consistat. Si solummodo manifestatur actio, quæ se sola considerata, vel nullam injustitiæ apparentiam habet, vel verborum fucô coloratur, non manifestatur, imò tegitur & occultatur illud, in quo alterius damnum consistit. Quale commodum, quæ utilitas ex simili confessione nobis speranda est, quæ per hoc quòd peccatum integre, & candidè non confiteamur, irrita & nulla est? Ista non confessio, sed confusio est, nobis evasura aliquando in confusionem æternam.

VII. Denique si excusatio, quâ peccatum palliatur, vera non sit; & ratione illius Confessarius de peccato judicium mutet, confessio sacrilega est; quia hoc modô idem peccatum fatemur & non fatemur, confitemur & simul diffitemur. Apertiùs loquor: Sic dicit quis: Accuso me, quòd die præcepto non jejunaverim; cum addito: *Quia infirmus fui.* Quod si verum est, quòd infirmus fuerit, in non observatione jejunii peccatum non adfuit; sed si verum non est, quòd infirmus fuerit, ista excusatio falsa, negat peccatum jejunii, quod prævaricatus est: Sicque, etsi peccatum de non servato jejunio confiteatur; quia tamen falsam simul excusationem adjungit, inficiatur denuo, quod priùs confessus erat, atque adeò idem peccatum simul fatetur, simul etiam negat; quo quidem ex capite confessio nulliter & sacrilegè peragitur; Confessarius enim inaudiens: *Die præcepto non jejunavi*; Pœnitentem ad peccatum grave condemnat: postmodum dum de obstante infirmitate informatur, propter

pter comitantem hanc falsam excusationem judicium suum retractat, atque Pœnitentem à peccato liberum judicat, ut adeò idem sit, ac si ille peccatum suum penitus confessus non esset. Hoc ipsum dico de illo, qui se accusat, quòd non restituerit aliena, & addit: *Quia non habui, nec habeo, unde restituam.* Si enim hoc verum est, circa restitutionem non factam, nullum contractum peccatum est; Quòd si verò dicta allegatio veritate non nitatur, perinde est, ac si peccatum subticuisset, sicque iterum invalidatur confessio: quia idem affirmatur, & simul etiam negatur. Atque tales Leonem imitantur, qui vestigia, quæ pedibus in arena relinquit, caudâ abolet, & expungit.

VIII. Itaque si Catholica nobis Fides, & sensus est, si credamus vivaciter, quòd in confessione non homini, sed Divinæ Majestati loquamur; quòd in confessione non homini, sed ipsi DEO mentiamur: *Non es mentitus hominibus, sed DEO;* Act. 5. v. 4. quid nostra tamen scelera & delicta excusatio semper, & defensio comitatur? Quid semper inutilibus verborum phaleris fucum addimus: cùm videat etiam secretissima quæque scrutans corda & renes DEUS. Surio teste in vita Sanctæ Lutgardis ad diem 16. Junii. Vir quidam occultissimo simul, & gravissimo se peccato polluit; Cujus cùm confessionem quàm maximè gravaretur, mens mali conscia tantam illi religionem attulit, ut, quî se conscientiâ exsolvat, nec consilium, nec ratio suppeteret. Diu, multúmque inquieti animi curâ agitatur: cùm Peregrinus speciem pauperis simulans, ad ejus domum divertit. Accepit hominem perquam comiter; qui mox familiarior factus, hoc ab eo obsequii: ablueret sibi caput, petit, addítque: fore, ut DEUS præstito huic beneficio respondeat, atque ideo, qui pectus ejus pungit, aculeum evellat. Hîc unguis in ulcere. Obsequitur ille voluntati hospitis; ac inter capillos ejus, qui sinciput tegunt, pulcherrimum & splendidissimum oculum conspiciens, præ admiratione sui vix compos, ex homine quis esset, quidque in vertice portenti gereret, scisitatur? Cui Peregrinus: Oculus hic mihi insitus est, ut acclino reliquo capite suspicere possim, eóque te, cùm in occulto peccares, contemplatus sum. Num peccatum hoc tuum celare me poteris? Atque sub hæc disparuit. Ille

Ille totus attonitus animum ad se ipsum advocat, suúmque in confessione delictum aperire statuit.

IX. Cùm igitur, non tantùm dum delinquimus, sed etiam dum, quod deliquimus, confitemur, à DEO videamur, quid nostris excusationes confessionibus, quæ non aliud nobis, nisi damnationem adferent, admiscemus? Confiteamur peccata nostra candidè, prout nobis in mente existunt, prout illorum nostra nos conscientia arguit: sic enim in hoc Sacramento participes fiemus gratiæ, quæ futuræ pignus est gloriæ.

INSTRUCTIO XVII.

De Integritate Confessionis omnimode necessaria, ut bona sit.

I. *Bonum*, ut *bonum* sit, undequaque & omni ex parte perfectum sit, oportet. Ad rationem verò *Mali* quicunque defectus sufficit. Ità *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*, principium, & axioma est Philosophis communissimum, quod millena ab inductione argumenta ad evidentiam comprobant. Sic in *Artificialibus:* si in horologio quodam unica rota, vel in rota dens unicus atteratur, aut pereat, reliquis omnibus rite ordinatis, horologium integrum vitiatur, ac deficit. Sic in *Naturalibus, & Physicis:* Si modica corpori, quâ respiramus, aura desit, quamvis de reliquo quàm optimè valeat, tamen cum illo actum est, occumbet. Sic in *Politicis:* Quantumcunque providè omnia disponantur, de omnibus solicitè provideatur, omnia ad abundantiam procurentur, tamen si vel sola aqua desit, disciplina politica penitus reprehendenda. Sic in *Militaribus:* Quantumcunque firmissimis propugnaculis urbis portæ circumvallantur, tamen si minimus hosti aditus pateat, totum munimentum expugnabitur, atque in hostium potestatem devolvetur. Item *In intellectualibus:* Quodlibet metrum, cui unica syllaba, pes unicus desit, ex integro vitiosum est. In concentibus: quamvis omnes aliæ chordæ quàm optimè concordent, tamen si vel unica dissonet tota harmonia corrumpitur. O conditionem *Mali*, ad quod ut tale sit, minimus eti-

am defectus ſufficit! O excellentiam *Boni*, quod ut tale ſit, & perfectum, debet eſſe ex omni parte integrum, nihil illi deeſſe debet! *Bonum ex integra cauſa.*

II. Et hoc quidem quamvis univerſaliter verum eſſe conſtet, tamen præprimis *Bono* animæ congruit. Vidimus jam, quæ in confeſſione otioſa ſunt, quæ in illa inutilia ſunt. Interrogabitis me nunc, qualiter ergo fiet bona confeſſio? Reſpondeo uno verbo. Erit bona, ſi fuerit integra. *Bonum ex integra cauſa.* Quid autem ſignificare volumus, dum dicimus, quòd debeat eſſe integra? Ut omnia peccata mortalia cogitationum, verborum, vel operum, quæ in conſcientia inveniuntur, commiſſa ab ultima confeſſione antecedente, omnia dicantur cum claritate, cum diſtinctione: ità ut nec unicũ quidem ex induſtria taceatur, & malitioſè; quia ſi unicum ſolum peccatum mortale reticeatur, nihil eſt factum, omnia ſunt perdita, & confeſſio, non remanens integra, fit ſacrilega. Quot ſunt canales per quos fluit aqua ad hanc civitatem? Neſcio an quis ità curioſus fuerit, ut illos numeraverit. Multi ſunt. Jam ego dico: ſi unicus tantùm ſiphon ab altero diſcontinuaretur, & ſepararetur, pervenirétne aqua huc ad civitatem? Nec quidem unica guttula; licèt reliqui magno numero ſtent firmi, ſtent integri; licèt ſint illorum mille; Novies centeni nonaginta novem ſint illæſi, ſint intacti; unicus ſolus, ſi deſtructus ſit, non habetur de aqua nec quidem unica guttula. Jam me explicavi; qui, habendo in conſcientia viginti peccata mortalia, ex illis novemdecim confitetur, & ex malitia, vel ex verecundia, unicum ſolùm reticet, non intrat in animam ejus aqua gratiæ, confeſſio remanet ſacrilega, omnia iſta peccata etiam remanent in anima, accreſcente illis ſacrilegio. Serviat fictio veritati. Fingebant Poëtæ ſerpentem feriſſimum, cum quo pugnabat Hercules, ſeptem habuiſſe capita: ad illum vincendum neceſſarium erat abſcindere, & reſecare non ſolum unum, ſed omnia ſeptem capita unico ictu, quia ſi illi unum ſolùm reſecabatur, ex illo naſcebantur alia ſeptem; & ità Hercules truncavit illi omnia ſeptem capita unico ictu, & taliter de dracone ex integro plenam reportavit victoriam. Sed multò meliùs ob capita peccatorum mortalium hoc depinxit tali modo Vir quidam ſummè Spiritualis. Depinxit illum Draconem cum ſuis ſeptem capitibus, & appoſuit illi hoc emblema: *Ut omnia, aut nullum;* vel

vel reſecanda ſunt omnia in confeſſione, vel ſi unicum ſolum relinquitur, cùm renaſcantur reſidua in anima, nullum eſt amputatum; *Aut omnia, aut nullum.* Quanto meliùs hoc nobis exprimunt Divinæ paginæ? arguit Sanctus Auguſtinus: ille, ex quo ejecit noſter Redemptor ſeptem dæmonia, ſi tantummodo ſex ejeciſſet, relinquendo apud illum unicum ſolum, obſeſſus manſiſſet: *Expulit ſeptem*, dicit Sanctus, *expulit ſeptem, ut omnia crimina ſimul ejicienda doceret.* Ille, qui erat cæcus, ſurdus, & mutus, ſi liberatus à ſurditate, & donum linguæ illi datum fuiſſet, non fuiſſet effectus ſanus, quandoquidem adhuc remanſiſſet cæcus. Non novit DEUS facere defectuoſa ſua opera: *Totum hominem ſanum fecit.* Salus, quam DEUS confert, debet eſſe totalis. Ut itaque talis fiat in confeſſione ſalus animæ, non eſt occultandum nec quidem unicum peccatum mortale; quia ſi vel unicum reticetur, non datur remiſſio, nec gratia, dicit nobis Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. de confeſſione: *Qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponut; ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* In quem finem adduco ego hic experimenta? In quem finem mihi citanda ſunt exempla, quando ſunt innumerabiles Chriſtiani, qui ſunt damnati, & damnantur ob iſtam reticentiam infelicem in confeſſione? Hic diabolus omnes ſuas adhibet vires; hic grande lucrum facit ſuis peſſimis laqueis. Bene notus eſt caſus in vitis Patrum. Certo quodam die, in quo magnus erat ad confeſſionem populi concurſus, vidit quidam Sanctus Vir diabolum, qui valde ſolicitus ab uno ad alterum confeſſionale conferebat ſe, immiſcendo ſe inter populum qui advenerat. Quid facis tu hic maledicte? (Interrogavit illum vir Sanctus) & ille. Reſtituo iſtis illud, quod eis abſtuli. Et quid eſt illud, quod eis abſtuliſti, & quid illud, quod eis reſtituis? Abſtuli illis pudorem ad peccandum; & modò illis rurſum illum reddo, nè peccata ſua confiteantur.

III. Præcedente itaque, ùt fieri debet, diligenti Examine conſcientiæ, peccata mortalia, quæ inventa ſunt, illorum numerus, ſpecies, & circumſtantiæ etiam, quæ ſpeciem mutant quò ad malitiam, omnia ſunt confitenda, prout in conſcientia inveniuntur. Et quid volo dicere, quando dico: *Prout in conſcientia inveniuntur?* Pri-

mò: habere aliquid in memoria non eſt idem, ac habere aliquid in conſcientia, quia ſæpiùs recordamur peccatorum mortalium, quæ commiſimus, ſed quæ jam ſumus bene confeſſi, in quantum potuimus. Iſta ergo, quia eorum adhuc recordamur, vel quia recentem de ipſis memoriam habemus, rurſus confitendi nulla obligatio urget. Igitur per hoc: *prout ſunt, vel in conſcientia inveniuntur*, illa intelligo, quæ gravant conſcientiam, quæque nunquam, vel certè per culpabilem malitiam non bene confeſſi ſumus. Secundò per hoc: *Sicut inveniuntur in conſcientia*; volo dicere: certa ùt certa, an hoc vel illud ſit peccatum mortale, nec ne, an commiſerim vel non commiſerim, an confeſſus fuerim, vel non, confitenda ſunt ùt dubia. Et qui recordatur ſe commiſiſſe peccatum mortale, & non recordatur qualenam fuerit, tenetur tali modo confiteri: quòd commiſerit peccatum mortale, ſed ultra non recordetur quale fuerit. Tertiò per hoc: *prout ſunt vel inveniuntur in conſcientia*, ad eos collimo (atque utinam me intelligerent) qui confitentur peccatum non rarò, quod in ſe peccatum mortale non eſt, imò quandoque etiam nec quidem veniale eſt. Pono exemplum: Accuſo me, quòd non recitaverim Officium, vel Coronam Beatiſſimæ Virginis: hoc in ſe non eſt peccatum; ſed, dum quis recordatur illo die, quo debebat perſolvere talem devotionem, & ſtatuit illam omittere, cogitando & credendo eſſe peccatum mortale, ſi non recitetur, jam ex conſcientia erronea, quâ, dum hoc pro peccato mortali habuit, & tamen omiſit, peccatum mortale commiſit. O quot tales invenidi ſunt! Debet ergo confiteri iſtud peccatum, ſicut conſcientia dictat: Volo dicere; debet explicare: Accuſo me, quòd, credens eſſe peccatum mortale omittere recitare Coronam, nihilominus illam recitare omiſerim. Idipſum dico de muliere gravida, vel quæ lactat, vel quæ in veritate infirma eſt, quòd, cùm non ſit peccatum ommittere jejunium, aut commedere de piſcibus, tamen credendo per erroneam conſcientiam, quòd ſit, vel non jejunent, vel piſcibus utantur. Debent itaque hoc (quandoquidem non poſſumus exterminare iſtas ignorantias) ſicut in conſcientia inveniuntur, confiteri & declarare, quòd, habendo hoc pro peccato mortali, nihilominus fecerint. E contrario, multa peccata, quæ in ſe ſunt mortalia, nihilominus tamen, vel ex ignorantia invincibili, ratione cujus

cujus nec quidem occurrit dubium, quòd hoc eſſet peccatum, vel quantumvis ſciatur peccatum eſſe, ex motu repentino, ſinè deliberatione, ſinè advertentia fiunt, & committuntur. Hæc itaque, etiamſi in ſe ſint peccata mortalia, tamen non peccatur graviter, quando committuntur cum tali ignorantia, vel inadvertentia. Sicut Anicula quædam, de qua refert noſter inſignis Vaſquez, devotè (ùt autumabat) ſuffocare moribundos aſſueverat, nè diu in extremis anguſtias & dolores paterentur. Si quem periculosè decumbere reſcivit, ad eum ſe contulit, ſuſceptáque in ſe de infirmo curâ, eidem fideliter, & perquam officiosè adſtitit. Dein advenientibus paroxiſmis, curabat, ut in ejus aſſiſtentia confiſi, infirmum negligerent domeſtici: quo factum, ut dum ſinè arbitro eſſet, infirmo os obturaret, illúmque conſtricto gutture ſuffocaret. Ità ergo ſæpiùs evenit, quòd illud, quod in ſe peccatum mortale eſt, tamen vel quia neſcitur cum ignorantia invincibili, vel quia non advertitur, dum illud committimus, ideo peccatum non ſit. Eſt idcirco neceſſarium, ut ille qui hoc confitetur, explicet & declaret, an ad tale factum, vel tale peccatum habuerit advertentiam, vel non, an ſciverit fuiſſe peccatum, vel non ſciverit. Hoc eſt ergo confiteri peccatum mortale ſicut eſt, ùt invenitur in conſcientia: *Effunde ſicut aquam cor tuum*; Thren. 2. v. 19. Cor *tuum*, conſcientiam *tuam* manifeſtam exponere oculis Confeſſarii debes; ſæpius enim dicitur factum, ſed non effunditur, non manifeſtatur per hoc cor: *Cor tuum*. Sæpius neceſſarium etiam eſt manifeſtare finem, motivum, intentionem, quibus actio facta eſt, quibus verbum aliquod prolatum fuit, quandoquidem aliqua actio, aliquod verbum, in ſe vel indifferens, vel bonum, factum tamen ex motivo peccaminoſo, ex fine malo, etiam malum, & peccaminoſum eſt: ſicut eleemoſyna quæ datur ex mala intentione, accedere ad Eccleſiam ex malo fine, &c. peccata ſunt. Manifeſtetur itaque illud, in quo conſiſtit malitia, in quo cognoſcitur, vel timetur peccatum, ut taliter Confeſſarius poſſit monſtrare viam, dirigere, errores detegere, vel illuminare pro via cæleſti Animam: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur*, dicit Spiritus Sanctus Prov. 28. v. 13. *qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.*

IV. Quartò poſtmodum: debent etiam confiteri omnia ſicut ſunt in conſcientia quantum ad numerum, ſpeciem & circumſtantias. *Quoad numerum:* ſi certus habetur, certus eſt dicendus; ſi certus non habetur, ſed videtur, quòd talis vel talis ſit, vel talis cum exigua differentia, debet dici: *Toties*, adjungendo: *Plus minus*; & ſi, vel ob longum temporis intervallum, vel ob frequentem repetitionem peccatorum, non potuit in examine inveniri numerus, ſufficiet dicere: Lapſus ſum in iſta peccata tot vicibus quovis die, vel toties quavis ſeptimana. Caveant tamen illi, qui onuſti peccatis mortalibus veniunt, nè ſe ſupra numerum primùm in confeſſionali reflectant; Repeto enim mea dicta: quòd tales confeſſiones ſint ſacrilegæ ob periculum voluntarium, & cognitum, cui ſe exponunt, nè fiat confeſſio non integrè. Iſte numerus igitur explicandus eſt cum claritate: e. g. Accuſo me, quòd furatus ſim decem imperiales; & hoc non ſufficit, hinc debet quis addere, an illos ſimul furatus fuerit, vel factum fuerit tribus vicibus, vel quatuor --- furando modo duos, altera vice quatuor, quia iſta ſunt tria vel quatuor diſtincta peccata mortalia; & furari illam ſummam ſimul, eſt unicum tantum peccatum mortale. Plùs: debet Pœnitens diſtinguere peccata mortalia, à venialibus: Accuſo me, quòd furatus fuerim decem vicibus: hoc etiam non ſufficit; quia ſi in quatuor vicibus furatus eſt ſolummodo octo vel decem cruciferos, iſta ſunt peccata venialia; & ſi aliis ſex vicibus fuit furatus unicum imperialem, vel plures; iſta furta ſunt peccata mortalia. Debet idcirco illa diſtinguere; nam multùm intereſt dicere: Accuſo me, quòd furatus fuerim decies, ſed quatuor vicibus fuit furtum leve, ſex autem vicibus fuit in materia gravi; Protuli decem maledictiones, ſed octo erant ſinè deſiderio nocendi, & ſinè advertentia; duæ erant cum deſiderio nocendi: *Confitemini Domino in Cythara*; Pſal. 32. v. 2. Sit confeſſio ſicut ſonus Cytharæ, chorda quælibet ſonum ſibi proprium edat: ſuprema acutè ſonet, infima graviſona ſit. Diſtinguatur non ſolùm peccatorum numerus, ſed & ſpecies; diſtinguatur peccatum leve à gravi; atque adeò ſonus unius chordæ non confundatur cum ſono chordæ alterius. Ideo enim diſtinctas decem habet chordas pſalterium, cum quo cythara noſtra (confeſſio) concordet: *In Pſalterio decem*

decem chordarum pſallite illi. Et tantò magis exprimendæ ſunt circumſtantiæ, de quibus alia vice loquar.

V. Nihil remaneat in Anima, nihil retrahatur, nihil abſcondatur aut occultetur, ſi de peſſimo peccatorum morbo conſequi in confeſſione ſalutem æternam volumus. Etiam corporis morbus, qui abſconditur, qui ad interiora ſe recipit, habet contra ſe repetitas ſententias Principis Medicorum lib. 2. Coac. c. 15. *Ex anginoſis mortifera omnia, quæ dolorificum malum foras non edunt.* In angina, in conſtrictione faucium, eſt lethalis humor, qui per os non exſpuitur. Et alibi Idem: *Quando puris effuſio reſtagnat in pectore, lethale*; Hipp. in Coac. Malum ſignum quando materiæ remanent coagulatæ intra pectus: mortalis infirmitas! Et rurſus: quando tumor ſe abſcondit, & ſe ad intrà retrahit, tendendum eſt ad ſepulchrum: *Abſceſſuum lethales ſunt illi, qui plus effundunt intrò.* Exeat itaque per os in confeſſione omnis morbus peccatorum, nè nobis æternam afferat mortem.

VI. Sed jam pro fine poteritis mihi formare hoc argumentum. Sæpius videmus, quòd in morbo repentino, qui abſtulit alicui loquelam, in vulnere accepto, & in aliis anguſtiis, Confeſſarius ſolummodo ex ſigno, vel quòd petierit confiteri, vel quòd manum Confeſſarii conſtringat, vel aliud ſignum dederit, abſolvat immediatè talem. Quòd iſta ſit confeſſio, de hoc nullum eſt dubium; Ergo pro confeſſione non eſt neceſſarium dicere omnia peccata? Bene arguitis. Reſpondeo, quòd dicere omnia peccata, nullô omiſsô, ſit de integritate, ùt vocamus, materiali confeſſionis: & iſta eſt de Præcepto Divino; ità, ut, ſi quis poſſit confiteri, & ſi taceat aliquod, vel aliqua peccata, committatur peccatum mortale, cùm non fuerit obſervatum iſtud Divinum Præceptum; & quoniam iſtud peccatum mortale committitur in ipſa confeſſione, idcirco ipſa eſt nulla, eſt ſacrilega; quia jam manifeſtum eſt, illum, non poſſe habere verum dolorem de peccatis, qui dum illa actu confitetur, omittendo aliquod ex illis, committit peccatum mortale. Nunc itaque, quandoquidé dicere omnia peccata, eſt ſolummodo Præcepti Divini, & non de eſſentia Sacramenti, hac de cauſa illi in caſu anguſtiæ ſufficit illa, quam vocamus integritatem formalem, quæ eſt: in eo ſita eſt, ut dicantur peccata tali modo, quo quis poteſt. Et quia in iſtis anguſtiis

non potest illa omnia dicere, dicit illa sicut potest per signa, vel constringendo manum, vel aliis signis, & verbis brevibus; & hoc pro tunc sufficit, sed cum obligatione confitendi illa omnia postmodum si convaluerit, vel ad se redierit. Solummodo itaque excusat à confessione omnium peccatorum (relinquamus nunc alios casus Doctoribus) excusat dico, impotentia, vel quia defuit loquela, vel quia subitò desiit vivere, vel quando naturalis oblivio, facto necessario examine, non assequitur, nec recordatur unius vel plurium peccatorum; nam, quòd pro tunc confessio maneat bona ratio est, quia non est oblivio culpabilis.

VII. Hoc audiverat in Concione dici certus Nobilis, de quo jam refero eventum. Facit mentionem illius noster Pater Philippus Outreman, in suo Pædagogo Christiano p. 2. c. 14. §. 4. ut suis diebus facti. In Flandria annis ab hinc non multis, vir locuples ac potens, facinus quoddam admiserat, quod Confessarii auribus committere, morte ac damnatione pejus ducebat; agitabat tamen mens hominem, & conscientia ad virus evomendum exstimulabat. Inaudierat fortè è suggestu Antverpiæ, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoria exciderant; hinc nihil non molitus, ut fœtum illum conceptum expelleret memoriâ, ivit per varia voluptatum genera, scelera sceleribus cumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novo scelere concepto, quasi clavum clavô pelleret. Sed frustra omnia. Abit in exteras Regiones, quasi seipsum, & onus suum esset relicturus in Belgio; sed *Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt*, ut dicit Horat. l. 1. Epist. 11. Igitur animum fluctuantem ad studia appellit, quæ totum hominem petunt; ut sunt Mathematicæ, Astrologiæ, & his affines disciplinæ; sed frustrà. Audit tandem peccata contritione deleri; & ad bona opera, tanquam ad Sacram anchoram, pro felici portu confugit: dormit in cinere, & cilicio, multa in pauperes erogat; sed animus vel sic magis indies aggravatur. Quid agat? jam dolores ac stimulos ferre non sustinens, non alio, quàm fœdæ mortis interitu, vitam finire decernit. Itaque rhedam conscendit, domum, quam funestæ tragœdiæ locum designarat, repetit. Occurrit de via è nostris Patribus aliquis, quem ex rheda conspicatus, rogat ut currum conscenderet, vincitque recusantem importunitate. Pater de DEO, Divinisque

tias & accidentia narrat: cum magna ſolicitudine totam ſuæ infirmitatis originem, an hoc vel illud comederit, an in hac vel illa occaſione aquam biberit, fatetur: quando dolor venire, quando abſcedere, quando intendi, quando remitti ſoleat, pandit: occultam ſi quam habet indiſpoſitionem, quæ medicinæ effectum inhibere poſſit, detegit, verbô: de omnibus, & ſingulis, leviſſimis quibusque circumſtantiis Medicum informat? Ad quid autem tanta ſolicitudo? quia deſiderat ſanitatem: quia ſanari affectat. Et ſanè plena notitia de ſtatu morbi integre Medico explicato ad valetudinem recuperandam multum conferre poteſt. Ità pro reſtaurando corpore ſoliciti ſumus, Medicum adeò exactè informamus; & pro bono Animæ in confeſſione quæremus: an hoc vel illud, cùm circumſtantia tantùm agg avans ſit, confiteri teneamur? DEUS Bone! Ego me probabili opinioni non committo; ſed partem illorum teneo, quorum ſententia me magis de ſalute animæ aſſecurat.

II. Sicut ergo in negotiis temporalibus non rarò, ſi circumſtantia vel unica tollatur, aut immutetur, tota alia rerum facies, ùt ajunt, & conditio emergit, ità pariter in peccatis contingit; quorum malitiam ſubinde unica circumſtantia immutare, atque in aliam ſpeciem transferre poteſt. Compluribus in locis ludum vidi, ad fallendum tempus, animósque exhilarandos coram magna plerumque hominum copia produci ſolitum; quem ùt omnibus vobis notum eſſe opinor, ità ad explicandum intentum hoc meum plurimum deſervire poſſe arbitror. Igitur in puſilla aliqua lamina ſeu tabula nonniſi ſola & unica facies, ſeu caput depictum eſt; cui permulta ſucceſſivè, & ex ordine vitra ſpecularia, in queîs diverſa picturarum genera effigiata ſunt, dexterrimè ac citra aliorum advertentiam ſuperimponi ſolent: quò fit, ut per illud, quod hæc in ſe depictum gerunt, lamina illa multas variásque formas ac figuras habere, ac novam ſingulis momentis ſpeciem induere videatur. Sic laminæ huic vitrum ſpecularium imponitur; cùm illico prodit Epiſcopus multùm Venerabilis, Mitra, Lituóque decorus. Hoc ſublato, illico aliud ſubſtituitur; & apparet Turca ſua cidari amictus. Iterùm, hoc amoto, denuo applicatur aliud, & quantocyus armatus caſſide ſua Miles videtur. Huic ſubrogatur aliud, & derepente Domicella in mundo muliebri perquàm impendioſo conſpicitur. Mutato hoc adhibe-

na Matre ſua indumentum petiiſſe. Annuens hæc precibus filiæ, quòd æquum poſtularet; Sartorem acciri curat. Falcata ſeu crescens tunc luna erat, cùm ille veſtis menſuram ageret. Inde de ejus proportione periculum facturus, deprehendit, eandem arctiorem eſſe, quàm ut vel indui poſſet. Itaque ut mendam hanc corrigeret, illam ad menſuram magis amplam redigit: Lunâ interim iterum decreſcente; cui cùm denuo dein admetiri veſtem vellet, ejúsque ſecundò congruentiam periclitari, adeò illa oblongata fuit, ut ad uſque terram defluëret. Ità ille Lunæ in dies mutatæ nunquam adaptare togam potuit. Ecquis alius poſſit: cum jam creſcere, jam decreſcere, dimidiata modò, modò plena eſſe, atque adeò in horas variari ſoleat. Igitur inveſtis maneat; ſolúmque è variis mutationum ſuarum modis agnoſcatur. Peccator quoque ùt luna mutatur: *ſtultus ùt luna mutatur*; Eccleſ. 27. v. 12. Et ſicut luna, ità etiam peccatum mutatur, adeò ut hoc modò leve, modò grave, jam majus, jam minus (ſemper defectuoſum) frequenter admodum, ut ità dicam, veſtitum variet, ut cognoſci non poſſit, niſi varii ſimul, queîs ſe veſtit, modi cognoſcantur. Atque hic illas, quas peccati circumſtantias vocamus, indigito: quæ illud ità circumſtant, cingunt, ac veſtiunt, ut intra ſuam ſpeciem vel gravius reddant (ubi *circumſtantiæ aggravantes* vocantur) vel penitùs immutant, malitiam duplicant, atque ab una in alteram ſpeciem transferunt, & tunc *circumſtantiæ ſpeciem mutantes* dicuntur. Hæ itaque in confeſſione, ut hæc valida ſit & integra, citra dubium neceſſariò exponi, explicari, & addi debent: Ità expreſsè definiente Sacro Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 5. de Confeſſ. *colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe quæ ſpeciem peccati mutant.* Sed quò ad circumſtantias, ſolummodo peccatum aggravantes, excuſant non pauci Doctores ab obligatione illas confitendi. Attamen, cum in eo, in quo tantum, quantum ipſa Anima valet, nobis poſitum eſt, nunquam ſatis ſecuri eſſe poſſimus, meliores Theologi ad eas omnes confitendas obligant, ſive ſolummodo aggravantes, ſive mutantes ſpeciem ſint. Et in veritate, Chariſſimi, ſepoſitis rationibus, & ſubtilibus Scholarum argumentis vos ipſos conſulo; Quis veſtrûm inficias ibit: Nónne infirmus non informat ſolummodo Medicum de morbo ſuo principali, ſed & omnes illi morbi circumſtantias

tias & accidentia narrat: cum magna ſolicitudine totam ſuæ infirmitatis originem, an hoc vel illud comederit, an in hac vel illa occaſione aquam biberit, fatetur: quando dolor venire, quando abſcedere, quando intendi, quando remitti ſoleat, pandit: occultam ſi quam habet indiſpoſitionem, quæ medicinæ effectum inhibere poſſit, detegit, verbô: de omnibus, & ſingulis, leviſſimis quibusque circumſtantiis Medicum informat? Ad quid autem tanta ſolicitudo? quia deſiderat ſanitatem: quia ſanari affectat. Et ſanè plena notitia de ſtatu morbi integre Medico explicato ad valetudinem recuperandam multum conferre poteſt. Ità pro reſtaurando corpore ſoliciti ſumus, Medicum adeò exactè informamus; & pro bono Animæ in confeſſione quæremus: an hoc vel illud, cùm circumſtantia tantùm aggravans ſit, confiteri teneamur? DEUS Bone! Ego me probabili opinioni non committo; ſed partem illorum teneo, quorum ſententia me magis de ſalute animæ aſſecurat.

II. Sicut ergo in negotiis temporalibus non rarò, ſi circumſtantia vel unica tollatur, aut immutetur, tota alia rerum facies, ùt ajunt, & conditio emergit, ità pariter in peccatis contingit; quorum malitiam ſubinde unica circumſtantia immutare, atque in aliam ſpeciem transferre poteſt. Compluribus in locis ludum vidi, ad fallendum tempus, animósque exhilarandos coram magna plerumque hominum copia produci ſolitum; quem ùt omnibus vobis notum eſſe opinor, ità ad explicandum intentum hoc meum plnrimum deſervire poſſe arbitror. Igitur in puſilla aliqua lamina ſeu tabula nonniſi ſola & unica facies, ſeu caput depictum eſt; cui permulta ſucceſſivè, & ex ordine vitra ſpecularia, in queîs diverſa picturarum genera effigiata ſunt, dexterrimè ac citra aliorum advertentiam ſuperimponi ſolent: quò fit, ut per illud, quod hæc in ſe depictum gerunt, lamina illa multas variásque formas ac figuras habere, ac novam ſingulis momentis ſpeciem induere videatur. Sic laminæ huic vitrum ſpecularium imponitur; cùm illico prodit Epiſcopus multùm Venerabilis, Mitra, Lituóque decorus. Hoc ſublato, illico aliud ſubſtituitur; & apparet Turca ſua cidari amictus. Iterùm, hoc amoto, denuo applicatur aliud, & quantocyus armatus caſſide ſua Miles videtur. Huic ſubrogatur aliud, & derepente Domicella in mundo muliebri perquàm impendioſo conſpicitur. Mutato hoc adhibe-

hibetur aliud, & inopinatò Monialis exhibetur, &c. DEUS Sancte! à facie una tot aliæ? Tantum ſpecularia vitra poſſunt, quæ illam diverſimode adeò immutant. Atque hoc ipſum circumſtantiæ in peccato faciunt. Unum, idémque peccatum aliûs ſpeciei in Clerico, aliûs in Sæculari eſt: aliam ſpeciem in conjugato, aliam in ſoluto habet. Mutat ſpeciem ſuam, ſi in hoc vel illo loco, ſi his, vel illis mediis, ſi hoc vel illo ex fine fiat. Modus denique, quo fit, aut novam ſpecie malitiam addere, aut certè hanc non exiguè aggravare poſſunt. Ità circumſtantiæ peccatum mutant, quod proinde, ut à Confeſſario rite judicari poſſit, illæ in confeſſione citra fucum adjungendæ ſunt. Atque hìc jam illas ſeptem intimavi, quas communiter Doctores aſſignare ſolent:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

paucis explicabo:

III. *Quis?* Per hoc Perſona peccatum committens intelligitur; Qualis ſit; cujus conditionis, ſtatûs, aut dignitatis ſit: an in his vel illis circumſtantiis ad hoc, vel illud faciendum, aut omittendum voto vel juramento obſtricta ſit, ex quo deinde totà malitiæ ſpecies accreſcere peccato poteſt. In conjugato peccatum laſciviæ adulterium eſt, atque adeò ſpeciem injuſtitiæ adjunctam habet: in eo, qui votô caſtitatis tenetur, nova ſacrilegii ſpecies ſuperadditur: ille, qui tanquam Perſona publica, & ex officio adminiſtrare juſtitiam tenetur, dum ad furta, aliáque facinora tacet, conſentit, connivet; adjungit furto, cui cooperatur, injuſtitiam contra Rempublicam: *Principes tui infideles, ſocii furum*, conqueritur DEUS cum diſtinctione per Iſaiam cap. 1. v. 23. Is, qui alterum ad peccatum inducit, adjungit peccato, quod facit, ſcandalum quod cauſat, & tenetur illud exprimere quando confitetur. O pondus imponderabile officiorum, perſonarum publicarum, principalium, & nobilium. *Magnorum facta, dictáque rumor excipit*, dicit Seneca; Decl. c. 8. De perſonis principalibus, de iis qui ſunt in officiis, ſi vel unico verbo excedant, ſi actionem aliquam committant, in populo immediatè ineptæ exoriuntur locutiones. Quantam igitur debet habere curam circa ſuam vitam, qui vult & debet habere magnam famam? Vel magnam bonam famam ex ſuis actionibus, vel magnam malam famam, & infamiam ex ſua vita: *Et ideo*, admonet tales Gentilis:

tilis: *& ideo multis magis cavendum eſt, qualem famam habeant, quam qu qualemcunque meruerint, magnam habituri ſunt.* Perſona itaque dat novam ſpeciem malitiæ peccato, & quòd ſi DEO eſt conſecrata, O quanto major tunc eſt! *Criminoſior culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus*, dixit Salvianus de Prov. l. 4. *& ubi honoratior eſt perſona peccantis, culpæ quoque major invidia.*

Epiſcopus quidam in Germania, refert Cantipratanus lib. 1. Ap. c. 3. p. 4. malè utendo ſuâ dignitate ſcandaloſam vitam ducebat in impudicitiis, & rapinis. Immiſit illi DEUS varias caſtigationes ùt nuntios, & admonitiones. Sed ille, faciendo ex admonitionibus majorem ſuam pœnam, pergebat vivere ſinè emendatione in ſuis ſcandalis. Quadam nocte ergo, cùm ad Matutinum ſurrexiſſet alter Sanctus Epiſcopus illius vicinus, raptus in ſpiritu vidit in Tribunali ſedentem Judicem, & circa illum ejus Miniſtros. Manſit ſuſpenſus, & ecce tibi, videt inter magnam turbam dæmonum trahi Epiſcopum veſtitum Pontificalibus, ſed vultum habentem coopertum velô. Audivit ei fieri terribiles objectiones, contra quem poſtmodùm data ſententia fuit, & accurrebant diligentiſſimè diaboli. Abſtulerunt illi primò ex capite Mitram, poſtmodum annulum, poſtea caſulam, & ſic perrexerunt illum ſpoliare omnibus Veſtibus Sacris, & abjectis ad pedes Judicis omnibus Sacris veſtimentis, in ſuos illum impoſuerunt humeros, aſportantes ad infernum jam ex toto nudum; & tunc alta voce clamavit unus Miniſtrorum: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes:* dum opportunum adeſt tempus operemur bonum, & demus bonum exemplum omnibus. Viſio diſparuit, remanſit attonitus Sanctus Epiſcopus, & ecce intra breve ſpatium temporis advenit certus quidam ſervus totus pavore concuſſus, & properans intimare, ſuum Dominum vicinum Epiſcopum, vitam repente finiiſſe in loco hìc vicino. Tali modo dignitas illi ſervivit ob ſua nimia ſcandala pro terribiliori damnatione. IV.

Quid? eſt ſecunda circumſtantia. Eſt major vel minor gravitas peccati. Qui hanc committit, quandoque tranſit ex levi ad gravem, ſicut ſi quis furatus eſt duos julios, vel illorum furatus eſt octo. Aliis vicibus aggravat magis, ſicut ſi furtum fuit decem, vel centum, vel mille juliorum. Sed aliàs ſecundùm ſtatum Perſonæ, cui fit damnum, facit illa enormiter variare injuſtitiam. Pauci fructus, quos V.

non

non ſolvit cuidam pauperculæ Mulieri Joſeramnus, filius Linderici Comitis Flandriæ, fuerunt cauſa, quod illa, expectando ſolutionem, invenerit ad veſperum mortuos ſuos duos filios. Quod ex ſequenti ad oculum patet eventu, quem quidem jam in Secundæ Partis Inſtructione XLV. fol. 244. retuli, ſed quia aliqualiter mendosè, placuit eundem hic repetere. Refert ergo illum Buzelin. in Annal. Flandr. Ann. 955. p. 67. & ex eo noſter P. Engelgrave tom. 1. Luc. Evang. Dom. I. poſt Paſch. §. 2. Lindericus Comes Flandriæ, habitabat cum ſua familia ruri in domo quadam prope Civitatem Tornacum. Exivit de Civitate certa quædam Mulier paupercula, vendere in caniſtro certos paucos fructus, ad ſuccurrendum ex pretio ſuæ extremæ paupertati & neceſſitati, & quidem pro tunc maximè, ob tempus magnæ famis. Collocavit ſe ad pontem, ut fructus divenderet: Joſeramnus Linderici primogenitus, præclarâ indole Juvenis fortè cum ſociis prope Arcis pontem ſe luſu diſtrahebat, dum à Muliere ibidem conſidente, omnes fructus, quos in calatho habebat venales, emit, jubens hanc expectare, donec ex Arce nummos adferret. Interea fructus inter ſuos diſpertit, reliquos ad Matris pediſſequas in Aulam detulit. Indè ad colloquia, ad jocos dilapſus, pecuniæ, & Mulieris oblitus fuit. Hæret Mulier pecuniam expectans, quâ famem ſuam ac liberorum in ſumma rerum egeſtate, quæ tunc graſſabatur, ſoletur. Expectat in ſerum veſperum; dum nemo ex arce prodit, illuſum ſibi rata, domum divertit, & utrumque filiolum inediâ exſtinctum reperit. Hic cœperunt extremi dolores, hic rivi lacrymarum, ploratus & ululatus, nec poterat conſolari, quia mortui ſunt. --- Quod ut Lindericus reſcivit, Tornacum ſe contulit, ubi Joſeramni cauſam, tacitô nomine, Senatoribus exponit, qui Juvenem capitis damnârunt. Neque cunctatus eſt Lindericus, ſed ſingulari juſtitiæ exemplo, filium capite truncari juſſit. Ecce pauci fructus quantam ſtragem cauſaverunt! Quoties ex illo, quod exiguum videtur, eveniunt ſimilia damna? Alicui pauperi, qui non habet aliam ſuſtentationem, auferre duos julios, non rarò eſt peccatum mortale, & graviſſima injuſtitia; & neſcio an hæc circumſtantia ſoleat ad confeſſionale venire. Hac de cauſa huc reducunt Doctores circumſtantiam perſonæ, contra quam, vel cum qua committitur peccatum. Vulnerare aliquem gladiô, vel percu-

percutere ſecularem, eſt peccatum mortale; Sacerdotem autem, eſt ſacrilegium. Dicere verba graviter *injurioſa* alteri, eſt peccatum mortale; ſed Patri, vel Matri hoc addit circumſtantiam impietatis, quod explicandum eſt. Peccata luxuriæ veſtiuntur diſtincta deformitate ratione complicis. Si eſt cognatus, eſt inceſtus; ſi conjugatus, eſt adulterium; ſi cum voto caſtitatis, ſacrilegium; ſi inter eundem ſexum, ſodomia; ſi cum beſtia, beſtialitas. O quomodo in iſta fornace funeſtarum flammarum aſſumit diverſas vitrum figuras! Exuſtrina aliqua multa quidem vitra prodeunt, ſed cum diſtinctione: unum vitrum viride, alterum cæruleum, aliud violaceum; quàm diverſi colores ab eisdem ipſiſſimis flammis! *Ab igne multicolor*; debent igitur tali modo explicari.

Tertia circumſtantia eſt, *Ubi?* locus ubi peccatum committitur. Vulnus inflictum in via eſt peccatum mortale, in Eccleſia, eſt præterea ſacrilegium. Peccatum in ſecreto commiſſum, eſt peccatum; ſed in loco publico, eſt ſcandalum, & contrahuntur tot peccata quod illud cauſat, & ſic explicandum eſt. Converſatio aliqua inhoneſta inter adultos, eſt peccatum mortale; ſed præſentibus infantibus; vel in auribus Virginum eſt ſcandalum; & quanta hoc addit peccata? quanta peccata cauſat? *Laqueus juvenum omnes*, Iſaiæ c. 42. v. 22. VI.

Quarta circumſtantia eſt, *Quibus auxiliis?* quibus mediis executioni mandetur peccatum? O quæ circumſtantia tam neglecta in confeſſione! Si luxurioſus, ſi fur inducit quatuor, vel ſex perſonas, quæ auxilium præbent, vel ad ſuas turpitudines, vel ad ſua furta, hunc numerum perſonarum tenetur confiteri, quia ſunt diſtincta peccata, quorum ille cauſa eſt. Nec hoc ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad media, quæ adhibet: ſi, quamvis res, quæ prætenditur ſit bona, media ſint mala: ſi in lite, etiamſi procedatur per juſtitiam, utatur ſubornamentis, authoritate, quæ cogit, vel deceptionibus, quibus ſeducit: & hæc peſſima media, quando in confeſſione exponuntur? VII.

Quinta circumſtantia eſt, *Cur?* Quare? ob quem finem? quæ intentio erat, quæ in actione habebatur? O & quanta hic ſolent tegi! Non ſolùm mutat ſpeciem peccatum, quando aut medium, aut finis eſt malus; ſicut qui furatur ut poſſit dare meretrici, quan- VIII.

doquidem hoc furtum duas habet ſpecies, quæ debent explicari; eſt furtum in facto, & eſt laſcivia in fine, & in intentione; ſed etiam quando medium videtur bonum, ſi ad finem malum tendit. Et ex hoc capite multæ conſcientiæ puto quòd ex affectata ignorantia faciant confeſſiones ſacrilegas. Eleemoſyna de ſe utique eſt opus ſanctiſſimum; Sed ſi datur ex alio fine, erit turpitudo; de hoc tales ſe examinent. Ire ad miſſam, venire ad novenam, actiones ſunt ſanctiſſimæ pro Chriſtiano; ſed ſi intentio veniendi, ſi finis eundi, eſt illud, quod jam vos ſcitis, & ego non dico, erit graviſſimum peccatum mortale. Hoc tales ſecum perpendant, & videant. Ah fines, ah intentiones in hoc, & in alio parùm animadverſi, parùm vel non confeſſi, & in Divino tribunali non valebunt excuſationes, nec affectatæ ignorantiæ; *Ego juſtitias judicabo*: Pſal. 74. v. 3. Acus magnetica pro navigatione ſervit ad monſtrandum iter ex Hiſpania huc, & è contrario hinc in Hiſpaniam. Tali modo, qui iter arripit, quo dirigitur in omnibus actionibus acus intentionis, illuc reſpicit. Certus quidam Sanctus Anachoreta priuſquam qualemcunque actionem aggrederetur, elevabat ſemper oculos versùs cælum, & remanebat ſilentioſus. Interrogârunt illum alii quid faceret? & ille reſpondebat: procuro & ſtudeo dirigere jactum ut tangam ſcopum; nam ſi ſagittarius non reſpicit ſemper fixiſſimè ſcopum, non attinget illum. Reſpicio igitur ad DEUM ut ſecurè tangam ſcopum.

IX. Sexta circumſtantia eſt, *Quomodo?* Modus quò fit actio, vel peccatum, non modus quem peccatum in ſe ipſo habet, hic enim jam intelligitur in ipſo peccato; qui non jejunavit, jam intelligitur, quod hoc fecerit comedendo, non ergo ille modus, ſed modus quem addit cura, vel malitia hic intelligitur. Qui abſconditè furatur, eſt furtum illud, quod committit; ſed qui furatur auferendo cum violentia, eſt rapina, & eſt alia ſpecies. Qui malè loquitur de honore alterius in abſentia, eſt detractio; ſed qui eidem ipſi in faciem detrahit, eſt contumelia. Modus mutat peccati ſpeciem, & modus non rarò facit illud, quod aliàs ſinè tali modo non eſſet peccatum; ratione modi eſſe peccatum. Ah mali modi tam uſuales in Mundo, & tam parùm in confeſſione appoſiti. Vigent deceptiones, quæ vocantur ſubtilitates; fictiones, quæ dicuntur artes; fraudes quæ vocan-

vocantur diligentiæ; excogitationes, & mala consilia tandem ad tollendam alterius substantiam: ut credatur, ut fidatur, ut concedatur lucrari, consequi, aucupari, adipisci convenientem dignitatem, Cathedram &c. Istis modis, & in istis servit Mundus. Multi ex illis sunt peccata mortalia, multi sunt injustitiæ, multi sunt violentiæ. Et quando ad confessionale veniunt similes modi?

Ultima circumstantia est, *Quando?* Ista est clarissima. Vel labor qui factus est, vel Missa, quæ intermissa est die festivo: comestio carnium die prohibito: omissio jejunii die de præcepto; istæ temporis circumstantiæ bene intelliguntur. Attamen dantur alia *quando*, quæ ùt plurimùm vel non intelliguntur, vel non intelligi simulantur. Dicis: solvi debitum. Sed quando? postquam per duos vel tres annos injustè retinuisti? Istud *quando* debet clavibus in confessione subjici. Dicis: feci, maturavi justitiam. Sed quando? post longas adeò dilationes, ut ratione illarum, creditor vel jacturam, vel certè detrimentum capitalis passus sit? Quando damnô factô, sententia jam vel nihil ampliùs profuit, vel per injustam dilationem, plus perditum fuit, quàm per sententiam recuperatum sit? Istud *quando* in confessione manifestandum est. Et quòdsi multoties est peccatum mortale, & injustitia, cum obligatione restitutionis, seponere, & differre per octo dies illud, quod poterat & debet fieri odie, quid erunt in solutionibus certis *quando* tam prorogata? & quid erunt *quando* in litibus certis in infinitum dilata? X.

Postremò tandem committere qualecunque peccatum mortale cum scandalo diebus majoris, & magis piæ solemnitatis, sicut die Jovis, & Veneris Sancto; etiamsi dentur doctores, qui judicant confitendam esse istam circumstantiam, sunt in hoc multi alii tamen, qui ab hoc excusant. Attamen illud, quod nobis demonstrant justæ experientiæ, est, quòd de peccatis commissis in talibus festis ipse DEUS magis, quàm de aliis sæpius conquestus sit. Jam apparuit certo die veneris Vita nostra Christus JESUS, plenus plagis, & vulneribus spargendo recentem sanguinem, & dixit, quòd ista vulnera sibi inflixerint illo die certi blasphematores, qui erant in certa domo lusoria ibi propè vicina. Et nè longiùs vagemur: Hoc die, quem hodie celebramus, *Corporis Domini*, contigit etiam, quòd apparuit JESUS Dominæ Sanctæ Carriglio, & illi dixit: quòd hodie ipsum XI.

pſum tractaverint Chriſtiani per ſua peccata pejùs, quàm tractatus fuerit à Judæis. Hodie ergo, & per iſtam octavam ſit *quando* noſtræ pietatis, noſtræ Religionis, & noſtri ſpiritualis Jubili; eò quod uſq; adeò inſenſibile mare non neget exultationẽ & hilaritatem exhibere ratione hujus Divini Myſterii; prout hoc dicet ſequens prodigium.

XII. In Gallia, quæ proxima eſt Britanniæ, refert noſter Jacobus Hautinus de Euch. n. 1064. quòd in Civitate Concarnenſi, Civitate maritima, quæ habet extra muros in diſtantia unius quadrantis milliaris adjacentem Vicum cum Parochia, hoc contingat, nimirum: ex Parochia vici exit tali die, ſicut hodie eſt, Proceſſio ſolemnis cum Sanctiſſimo Sacramento, quæ venit uſque ad Civitatem, ſed cum miraculo prodigioſiſſimo: quandoquidem mare, quod omnibus diebus intrà annum per ſpatium quatuor horarum aſcendendo per ſuum fluxum, implet totum illud ſpatium, quod ibi eſt à vicino, uſque ad Civitatem; die hodiernæ feſtivitatis, & Proceſſionis, ſe retrahit, dando locum triumpho noſtri DEI Sacramentati. Tam obediens eſt, ut ſæpius evenerit, quòd nondum ex integro in mare ſe retraxerit, & hoc non obſtante determinatum fuerit Proceſſionem ducere; & vix iſta ad ripam pervenit, ecce tibi cum omni feſtinatione, colligendo ſuas aquas, illi relinquit liberum aditum: *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti?* interrogarem ego illud cum Davide: Pſal. 113.

XIII. Sed de hoc jam ego non quæro; quis igitur tibi nuntiat diem ô mare triumphi tui DEI? quis tibi dicit horam? quis tibi determinat hoc *quando*, quandoquidem ità punctualiter obedis? ſcitisne quis? Ille ipſiſſimus, qui à nobis ô animæ Chriſtianæ, quærit, & expetit in iſto die ſui triumphi corda plena gratitudinis; Ille, qui ab hoc *quando* temporali, in quo illud celebramus in terra, nobis ſervit pro pignore illius *quando* æterni: *Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Pſal. 14. quando ſperamus illô nos fruituros in gloria.

INSTRU-

INSTRUCTIO XIX.

De fortiſſimis Rationibus, quæ convincunt irrationabilem verecundiam illorum, qui tacent aliquod peccatum in Confeſſione.

MUtat faciem, quantùm mutat colorem, verecundia, & tam diversè, ùt medium non habeat. Vel illa eſt melior, vel pejor. Vel illa eſt, quæ defendit à culpis, in qua accipit optimum colorem honeſtatis, & honoris: vel eſt illa, quæ defendit & reſervat culpas, in qua veſtit ſe colore imbecillitatis, & ignorantiæ. Binis vicibus de die ſuam coloribus cælum depingit faciem. Rubeſcit manè, & rubeſcit veſpere; ad ortum ſolis, & ad occaſum, ſed cum qualibus diſtinctis crepuſculis? Manè cum tam elegantibus, ut exornent totum cælum faciens cum lætitia greſſum ad diem. Veſpere cum tam horridis, ut per illa incipiat obſcuritas mœſta noctis. Non alio modo diſtinguuntur in verecundia ſeu pudore colores, dicit Spiritus Sanctus Eccleſ. 4. v. 25. *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Eſt una verecundia, quæ, ſicut ſplendores matutini trahunt ſecum cælum, ſolem, diem, & pulchritudinem; ità iſta verecundia, quæ ante admiſſionem peccati, illud diſturbat, à peccato retinet, & illud tollit, hominem ſerenat. Eſt & altera verecundia, quæ eſt ſicut rubra operimenta veſperæ, ſervientia locò macularum pro cælo, per quæ incipit triſtitia noctis, quæ illa ſequitur cum ſuis tenebris. Iſta eſt illa verecundia, quæ poſt admiſſum peccatum, illud abſcondit, & illud tacet in confeſſione, ut remaneat ſinè remedio. O quanta diſtantia à laudabili verecundia ad ignominioſum pudorem! Quantum diſtat ortus ab occidente; quantum intereſt inter diem & noctem. Confeſſio verecunda peccatorum, eſt ſicut diluculum matutinum, quod, peractâ confeſſione, finit noctem peccatorum, nos in alium ſtatum ponit, & tollit ab anima illas nigras umbras. *Quantum diſt t ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras:* Pſal. 102. v. 12. Sed illa verecundia: nolle confiteri peccata, eſt ſicut mœſta rubentia umbracula veſpertina, quæ, tegendo fuſcitatem peccatorum, introducunt in animam tenebras cujusdam nigræ noctis, 1.

ctis, in qua beſtiæ ferociſſimæ omnium peccatorum ſpatiantur & pertranſeunt libere in corde: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ*; Pſal. 103. v. 20.

II. Iſta ergo pernicioſa, infelix verecundia, quæ in tantum ex toto tollit remedium animabus, eſt illa, quam deſidero convincere per ſex evidentiſſimas, fortiſſimas rationes, in his Inſtructionibus, ut, ſi quiſpiam eſſet ex meis Auditoribus (confido in DEI bonitate nec unicum quidem talem hic fore) qui tacuiſſet aliquod, vel aliqua peccata mortalia ex verecundia in confeſſione, lucretur jam portum unicum ſuæ ſalutis per confeſſionem integram, diſſolvat jam ſtrictum nodum ſui gutturis, qui tam miſerabiliter illum ſuffocat, rumpat capiſtrum, quò illum pendentem de manu ſua diabolus trahit ad infernum: *Solve vincula colli tui captiva Filia Syon* Iſa. 52. v. 2. Iſte eſt ille ſcopulus funeſtiſſimus, & inſauſtiſſimus Animarum, quo innumerabiles, & quaſi infinitæ in ipſo momento ultimo vitæ, & ſalvationis, perduntur, & damnantur. O maledicta verecundia, quæ dum poſſet tolli cum tanta facilitate, per quatuor verba confeſſionis, durabit æternùm in dolore, in tormento, & in infamia, ſi modo non vincitur. Iſte eſt ergo, Animæ, laqueus potentiſſimus diaboli: *Ecce lupus*, dicit Sanctus Auguſtinus tract. 48. *guttur ovis apprehendit.* Facit diabolus id ipſum, quod lupus, qui immediatè dum aggreditur oviculam, primum quod illi opprimit, eſt guttur, ut dum nullum emittere poteſt balatum, nec illam audiant, nec illi ſuccurrant canes, aut paſtores. Tali modo diabolus claudit peccatori fauces in confeſſione, & ubi hoc conſecutus eſt, non remanente pro Anima alio remedio, nihil aliud illi reſiduum eſt, præter damnationem; hoc ſuum intentum conſequitur in innumerabilibus diabolus. O quæ damnationes tam lacrymabiles! Damnantur in ipſiſſimo Tribunali miſericordiæ, & gratiæ! Per ipſiſſimam Portam Cæli ire ad infernum! perdere Paradiſum ob non dicta quatuor verba! Et diabolum facere ſuum maximum triumphum ex noſtro ipſiſſimo remodio! Æqua eſt ponderatio Sancti Ambroſii lib. 2. de Pœnit. cap. 11. dicentis: *Remedium noſtrum ſit ipſi diabolo triumphus.* Quod vincat diabolus per ſua arma, per inſidias, per ſuos aſſultus, per ſuas violentias, infortunium, & infelicitas eſt; ſed quòd noſtris ipſis armis, quibus illum poteramus peſſimè tractare, nos proſternat, nos

nos capiat; quòd noſtra maxima defenſione nos offendat; quòd noſtrô maximô remediô nos perdat; imponderabilis calamitas!

Nunc igitur: *Aut vincendum, aut moriendum*, dicebat famoſus Belli Dux ſuis Militibus. Vel vincere, dicam ego, vel vincere in confeſſione pudorem, ut non taceatur nec quidem unicum peccatum mortale, vel abſque remedio æternùm mori. O quæ duo extrema! Unum eſt tam facilè, ut in unico inſtanti ſuperari poſſit, vincendo pudorem & confitendo peccatum. Et quòd ſi hoc non eligitur, alterum eſt tam terribile, ut per totam æternitatem nullum ſit habiturum finem tormentum. O ſi nunc daretur talis electio illis, qui propter hoc patiuntur in inferno! *Aut vincendum, aut moriendum.* Aut vincendus eſt pudor per unicum inſtans, confitendo illud peccatum; vel moriendum per totam æternitatem, patiendo inexplicabiles pœnas: *Aut vincendum, aut moriendum.* Poſſem hic finire, ſi vos recogitaretis & bene ruminaretis hanc veritatem. III.

Attamen illam adjuvemus ratione. Sex rationes evidentes non admittunt replicam circa iſtum tam irrationabilem pudorem. Prima eſt ex parte DEI; Secunda ex parte diaboli; Tertia ex parte Confeſſarii; Quarta ex parte ipſiusmet peccati; duæ ultimæ ex parte illius, qui tam pernicioſo pudore malè tractat ſtatum ſuum, & facit venenum mortiferum ex ſuo maximè ſalutari remedio. Ex omnibus partibus invenitur iſte pudor convictus. O & utinam taliter etiam ab omnibus animabus exularet! Videbimus nunc duas primas rationes. IV.

Ex parte DEI, quæro: Quis eſt ille cui abſcondit? Quis eſt ille qui tacet? Quid eſt illud quod occultat iſte pudor? Cui abſcondit? Tibi Domine, exclamat in ſuis libris Confeſſionum lib. 10. cap. 2. Sanctus Auguſtinus, cujus oculis eſt nuda, eſt patens tota abyſſus humanæ conſcientiæ: *Quid occultum eſſet in me, etiamſi nollem confiteri Tibi?* Quid poſſem ego tenere occultum, quid poteſt remanere occultum tuis oculis, in corde meo, etiamſi ego illud nolim confiteri? *Te enim mihi abſconderem, non me Tibi.* Illud quod ego per hoc committerem, eſſet, non quòd ego me tibi abſconderem, ſed abſconderem Te mihi. Eſſet privare me viſione Tua pro ſemper, non privare Te, qui cognoſcis uſque adeò occultiſſimas mei cordis cogitationes. Jam ergo, ſi DEUS, ô Anima, intuetur V.

illud

illud ipsum peccatum, quòd tu tantopere taces; si DEUS est illud publicaturus toti Mundo, quid facis illud tacendo? Hoc: Verecundia unius instantis, quâ horres dicere illud uni homini soli, convertetur in id, quòd istud peccatum, quod tibi videtur tam pudendum, dicendum cum omni strepitu, & publicandum sit omnibus hominibus, qui sunt, fuerunt, & erunt in mundo? Infinities itaque majorem pudorem es habiturus tacendo nunc istud peccatum Confessario; quàm haberes illud confitendo. Argumentum istud est Magni Augustini lib. 2. de Visit. infirm. c. 4. *Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die Judicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere.* Dic mihi, dic anima infelix, videtur tibi gravis pudor dicere uni Sacerdoti in confessionali sub tam summo secreto istud peccatum? Videtúrne tibi hoc multum? Dices quòd ità. Sed dic mihi: quantò majorem verecundiam tibi causaret, si nunc in hoc publico, audientibus omnibus, & te præsente, diceretur palàm istud tuum peccatum, sicut illud in corde habes? Hic, vel illa, commisit tale peccatum, admisit talem & talem turpitudinem. Essétne major iste pudor, quàm dicere ibi uni soli confessario? Cuivis res patet, quantò major foret. Jam, quantò major erit, quando hoc ipsum peccatum deteget & publicabit ipsemet DEUS: *Tu fecisti occultè*, dixit ad David 2. Reg. c. 12. v. 12. *ego autem faciam in conspectu omnis Israël, & in oculis solis*: quantò major pudor erit quando coram congregatis omnibus nationibus Mundi in judicio publicabitur istud, quòd tu modo tam presse taces? *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam*; Nahum 3. v. 5. Et pro tunc illa publicatio fiet cum tanta infamia, ideo, ut tu sinè omni remedio irridearis à dæmonibus. Et pro nunc confessio tui peccati coram unico solo homine est ideo, ut tu, consequendo gratiam, sis æternum honoratus ab Angelis. O quæ differentia!

VI. Quoties evenit, quòd aliqua filia honoratæ familiæ, oblita suæ animæ, & sui honoris, utroque perditò per peccatum, sese sentiat gravidatam; & immediatè quæ solicitudines pro occultanda sua infamia, quæ diligentiæ, qui secessus, ut nec res audiatur, nec sciatur. Vivit tacens; advenit tempus partûs, deprehendit illam solam, & impræparatam, & fit publicum ejus vituperium, quando amit-

amittit vitam in partu. O ſilentium tam ſtultum! quandoquidem ſi confidiſſet rem alicui perſonæ familiari, nec publicatum fuiſſet ejus opprobrium, nec perdidiſſet vitam, & ob taciturnitatem, perdendo vitam, fit publicum illud quod tacet! Ecce hoc uſuvenit illis, qui reticent peccata in confeſſione: *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei:* Oſe. c. 13. v. 12. Quæ utilitas, quod nunc aliquot paucis diebus res ſilentiô prematur, ſi ad vim & violentiam maximè terribilium dolorum in tribunali DEI publicanda eſt cum amiſſione honoris, cum amiſſione animæ, & cum amiſſione æternæ ſalutis?

VII.

Sed dicetis mihi: In die Judicii etiam publicabuntur peccata bene confeſſa. Ità hoc ſentiunt aliqui Sancti Patres. Hoc tamen pro majori honore, pro majori gloria illorum, qui illa commiſſa confeſſi ſunt. Quid perdit nunc Sanctus Paulus, quod ex ſuo ore ſciamus illum fuiſſe perſecutorem Eccleſiæ? Et quid amittit Sanctus Auguſtinus eò quòd reliquerit nobis manu ſuâ ſcriptam tam publicam confeſſionem. Gloria hæc eſt Sanctorum tam inſignium. Admirabilis Virgo Sancta Gertrudis in die feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ vidit iſtam Sanctiſſimam peccatricem veſtitam ornatu ditiſſimo, & pulcherrimo. Advertit, illum ornatum totum eſſe certis lapidibus pretioſis intextum, qui lapides videbantur eſſe ſtellæ ratione ſuæ ſcintillationis; & fuit illi dictum, hos lapides tam elegantes eſſe peccata, quæ illa admiſerat, & de quibus fecit tam veram & ſeriam pœnitentiam. Iſta ergo jam formabant tam nobile & inſigne ornamentum. Hic inter nos vidimus quandoque in die magnæ Feſtivitatis publicæ, curare ſibi fieri Nobilem aliquem, veſtitum ex panno rudi & vili; ſed poſtmodum ob repetitas obductiones fimbriis ex auro contextis, exhibebat obductio veſtem aurô textili ſplendidiſſimam, & multi valoris. Veſtitus, qui ſolummodo eſt ex panno ſimplici, totus lacer & diſciſſus, certum eſt, quòd eſſet quidam floccus, etiam in corpore alicujus pauperis; ſed obductio facit illum fieri pompam Principis. Jàm iſte veſtitus non fimbriatus ſunt pecata; attamen ſi per confeſſionem expientur, confeſſio eſt obductio, & hæc veſtis feſtivalis erit illa, quâ mediante reſplendebunt etiam maximi Sancti: *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Sed ſi peccatum tacetur, tunc in oculis DEI & mundi

erit verecundia istius panni lacera, & vilis, æternus floccus pro inferno.

VIII. Secunda ratio contra istam pernicioſam verecundiam eſt ex parte diaboli. Istud peccatum, quod tu pro nunc taces, ratione cujus, quia illud non dicis, facis tantas confeſſiones ſacrilegas; quod tam occultum, tam abſconditum eſſe cogitas; Ecce illud videt clariſſimè tuus maximus inimicus, illud ſcit quàm optimè diabolus, & illud ſibi retinet valde bene annotatum, & idcirco te quàm maximè irridet; Ego illud ſuo tempore dicam, inquit; ego illud proclamabo, ego illud publicabo. Et hoc ità futurum eſt abſque omni dubio, quando te viderit in Tribunali Divino. Quæ igitur irrationabilior verecundia, quàm tacere te illud, quod abſque omni dubio proclamandum eſt à diabolo. Hoc peacatum reſtat accuſandum, hoc nullum habet dubium, vel hic in confeſſione, vel ibi in Tribunali Divino; vel tu hic te accuſes de illo pro tua ſalute, vel ibi de illo te accuſabit diabolus pro tua damnatione. Elige nunc & videbis convictam irrationabilem tuam verecundiam. In vita Sancti Norberti, refert Surius 6. Junii; quod dum adjurâſſet iſte Sanctus Prælatus certum quendam Energumenum in Eccleſia coram magno concurſu Cleri & Populi, diabolus in illo publico cuilibet dixerit cum clamore omnia peccata, quæ non erat confeſſus, ità ut peccata jam confeſſa tacuerit, & nec quidem unicum verbum de illis, ſed non confeſſa omnia diceret alta voce. Et hac de bauſa exibant fugientes ex Eccleſia omnes illi, qui non adeò bonam habebant conſcientiam, timentes eandem confuſionem in illo publico concurſu. Sed quorſum poteris tu fugere, quando in præſentia DEI, & Angelorum ejus clamabit diabolus, accuſando te de hoc peccato, quod tu pro nunc ità ſilentio premis? Quomodo poteris te liberare, nè iſte tuus feriſſimus inimicus illud dicat, accuſet, illud publicet? Iſte eſt modus occludendi os dæmoni; hoc eſt æternum ei imponere frænum ut taceat: *Qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis*, dicit Sanctus Auguſtinus Serm. 66. de temp. *hunc diabolus non habet iterum accuſare in die Judicii.* Dic mihi nunc, quidnam eſt illud quod maximè timere debes in illo Tribunali Divino tam horrifico; Accuſationem de tuis peccatis? iſta ibi erit tota materia pavoris, & horroris. Jam autem ſi ab hac uſque hora potes obturare fauces dæmoni, ut nihil ipſi re-

mane-

maneat de quo te accuſare poſſit, ſi illum potes facere obmuteſcere, quanta hæc eſt tua utilitas & emolumentum? Lucraberis præventione: *Nè expectes te arguentem*, dicit Sanctus Chryſoſtomus, *ipſum præveni, & rape ſermonis principium, ut accuſatoris linguam muteſcere facias.* Jam ſi iſta obturatio oris diaboli debet fieri per confeſſionem peccatorum tuo ore, quæ irrationabilior verecundia quàm illa, quòd auferendo tibi ex manibus arma tuæ defenſionis, illa des tuo inimico in tuum damnum?

IX. Vixit Romæ, refert Vincentius Bellovacenſis, ex quo deſumpſit Speculum Exemplorum *V. Confeſſ. Exem.* 7. vixit Romæ certus quidam Nobilis, Præclarus, & dives, Matrimonio junctus certæ Mulieri æqualiter Nobili, ac virtuoſæ; quibus, de cætero omnibus abundantibus, ſolummodo deerat filius, ùt conſolatio deſiderata ſui Matrimonii. Exclamârunt ad DEUM orationibus, & bonis operibus. O utinam ſemper peteremus à Domino illud ſolummodo, quod ille ſcit nobis convenire & prodeſſe. Illi in tantum illum precibus fatigaverunt, ut illis conceſſerit filium, in cujus nativitate fecerunt exceſſivas demonſtrationes exultationis & lætitiæ. Repoſuit uterque in infante ità certatim omnem amorem, ut Parens oblitus hac de cauſa, vel tepefactus in amore DEI, neglexerit jam ratione amoris filii, curam & obſervationes, quas priùs exercebat, circa animam ſuam. Ità vitam egit aliquo tempore, uſquedum ad ſe rediens, recogitavit ſuam tepiditatem, & timens majus damnum, determinavit omnia relinquere, ſéque vitæ mancipare in una ſolitudine longè diſtanti & remota à Roma. Propoſuit hoc ſuæ Uxori: hic intervenerunt difficultates; vicit tandem, & obtento ab Uxore conſenſu eidem valedixit cum multis lacrymis. Et videte hic Matrem ſolam, cum ſolo filiolo, & cum omni ſuo amore erga illum in unum recollecto. Erant continuæ blanditiæ, amor jam ſinè termino, non elongabat ſe infantulus per diem à Matris latere, nec per noctem ab ejusdem lecto. Crevit taliter, & jam evaſit juvenis; interim in Matre vitiatus eſt amor naturalis in abominabilem & turpem; O DEUS! quid non poſſit vicinitas, inconſideratio, occaſio, incendium! evenit tandem, quòd ex ipſiſſimo proprio filio concepcrit Mater cum horrore ipſiusmet naturæ. Interim occultabant tam turpem & beſtialem abominationem in externo, honeſtas familiæ,

apparens modeſtia, eleemoſynæ, & alia opera pia. Erat illa Matrona exemplo & admirationi toti Romæ. Sed nihilominus quomodo erat conſtituta ejus anima? Advenit ergo tempus in lucem edendi infelicem fœtum, & non eſt enixa illum, niſi ad æternas umbras; ſiquidem incitata à verecundia, ùt fera tigris, vix natum infantulum, ſuis manibus ſuffocatum, projecit in cloacam fœtidiſſimam. O præcipitium peccati, quod non ſiſtis uſquedum in profundum præcipites! Ità tempus tranſigebat perditiſſima; & ecce tibi! apparuit Romæ homo quidam in ſpecie Doctoris, erat autem diabolus, qui intrudens ſe converſationibus, & conventiculis, cœpit lucrari talem confidentiam, & æſtimationem de ſua ſcientia, ut illi omnes adhærerent, & eundem venerarentur. Patefaciebat res occultiſſimas, & furta ſecretiſſima, & per hoc non ſolùm apud omnem populum; ſed etiam apud ipſum Senatum acquiſivit omnem excogitabilem æſtimationem. Et quando jam taliter omnem æſtimationem lucratus fuerat, certo quodam die, congregato Senatu toto, dixit, ſe habere certam rem graviſſimi momenti manifeſtandam pro bono totius Reipublicæ; cum magna Miſericordia DEI fuerit, eò quod illam non ſubverterit, ob quoddam peccatum, quod admiſſum eſt. Petierunt ut hoc patefaceret; & ille immediatè: Berta, nominans illam Matronam, commiſit iſtud grave delictum. Et retulit illud totum à ſuo principio. Attoniti omnes hoc audiendo; quomodo hoc poteſt eſſe? dicebant: Domina tam Nobilis, tam virtuoſa, quam tota admiratur Roma; quomodo hoc poteſt eſſe? Inſtabat, & urgebat maledictus accuſator, & ad ejus inſtantiam curant venire ad ſenatum illam Dominam. Venit, & in præſentia omnium eam de delicto interrogant, referentes eidem totum ſuum exceſſum. Quæ illi tunc mens fuerit audienti rem tam enormem, & tam horribilem in illo publico confeſſu vos cogitate. Recollegit ſe ipſam, & reſpondit ſapienter: hanc materiam non eſſe tam levis momenti, ut ſic proponatur, nec eidem ſe poſſe in inſtanti reſpondere; petiit ergo ut ſibi concederetur tempus, & aſſignaretur dies, in quo rediret ad reſpondendum pro ſe. Ità ipſi omnia ſunt conceſſa. Exiit illinc; ſed quô animô? Quale remedium pro tam publica infamia? Fuit immediatè reſoluta in mare lacrymarum, quæſivit quendam Sacerdotem, Lucium dictum; retulit eidem ſuum infortuni-

tunium. Animavit illam Sacerdos quantum poterat per bonas rationes, & maximam esse, & efficaciſſimam, dixit illi, ut omnia peccata ſua confiteretur cum dolore vero, ut ſe recommendaret Sanctiſſimæ Virgini, Refugio, & Matri peccatorum. Fecit illa hæc omnia ut inſtructa fuerat. Aderat dies præfixus, confeſſa eſt omnia quæcunque deliquerat, invocavit MARIAM Sanctiſſimam, & ſe ad Senatum contulit. Jam ibi erant omnes Judices congregati. Accuſator acerrimus, innumerabilis Populus, in cujus hic caſus notitiam venerat. Collocata eſt in medio Matrona: jam dicas tu, dixit Præſes accuſatori, dic omnia illa de quibus habes accuſare iſtam Matronam. Ille præter conſiderationem Matronæ nihil aliud faciebat, illam hinc inde aſpiciebat, & rurſus conſiderabat cum ſignis admirationis. Intermitte nunc ſimilia, dic, quidquid tibi de illa notum eſt. Non eſt iſta, reſpondit, inceſtuoſa, laſciva, & infanticida, quam ego accuſavi, non eſt illa; quia iſta eſt mulier ſancta, pulchra inter filias Jeruſalem, & illam reſpicit, cuſtodit, & defendit MARIA; Et hoc dicto, reſolvendo ſe in fumum, diſparuit dæmonium. Proruperunt omnes in voces, acclamationes, & applauſus Matronæ, remanente illi impoſterum auctiore honore, & fama. Iſta eſt Confeſſionis veræ & integræ efficacia.

Et cùm nos omnes expectet illud maximè terribile tribunal DEI; ad efficiendum ibi diabolum mutum, vincamus nunc pudorem, ut peracta confeſſione peccatorum, nos immutet taliter gratia, ut in deſpectum noſtri accuſatoris, lucremur pro tunc honorem verum, & gloriam. X.

INSTRUCTIO XX.

Aliæ duæ Rationes convincentes irrationabilem verecundiam illius qui tacet aliquod peccatum in confeſſione, deſumptæ ex parte Confeſſarii, & ipſiuſmet peccati, quod reticetur.

PAſſum fuiſſe, & multa ſuſtinuiſſe eſt optima ſchola compaſſionis. Qui ſcit de aliquo dolore, moleſtia, afflictione, infortunio, amiſſione, ex eo, quòd in ſe expertus ſit, ap- I.

prehendit, & discit compati aliis. *Non ignara mali miseris succurrere disco*; dicebat illa ad compassionem mota erga illos, qui peregrinabantur; quia vidit seipsam etiam fugitivam, & exulem. Plùs, quàm ex aliorum experientiis, discit & apprehendit medicus, ex suis propriis infirmitatibus; & melior chirurgus est, qui sæpius fuit vulneratus, illo, qui plura legit. Non habemus idcirco Pontificem, dicit nobis Sanctus Paulus ad Hebr. 4. v. 14. qui non possit compati nostris infirmitatibus; *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Quid mirum, dicetis mihi, cùm ille sit (nostra Vita Christus) DEUS infinitæ misericordiæ, si in sinu ejus immenso adunatæ sint abyssus pietatis? Ità est; sed modò non repono in hoc securitatem ejus compassionis. In quo ergo, Apostole Sancte? In hoc dico: *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Quòd factus Homo sit, vestitus nostra carne, sciverit de nostris molestiis, expertus per seipsum nostras miserias, pugnaverit cum omnibus exterioribus tentationibus, est totum ideo etiamsi non potuerit in peccatum cadere, ut experiretur in se, in quantum illi erat possibile, nostrarum miseriarum, & infelicitatum similitudinem: *Pro similitudine.* Magna igitur consolatio, dicit Sanctus Chrysostomus; siquidem, si noster Judex, noster Pontifex fuisset Angelus, bene sciret, & bene cognosceret nostras miserias, sed cùm illas non sensisset, nec passus in se fuisset, non posset compati: *Si Angelus nobis datus esset Pontifex, scire posset infirma nostra, sed non compati, quia nec pati.* Sed cùm sit noster Pontifex, quamvis verus DEUS, etiam Homo sicut nos, qui scit de omnibus nostris molestiis, & afflictionibus, qui expertus est nostras miserias; totum istud pati fuit ideo, ut sciret tantò melius compati. Et quid inde sequitur? Eruit consequentiam Sanctus Paulus: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Debemus ergo accedere cum tota confidentia ad ejus Tribunal totum plenum gratiæ. Ità hoc explicat Hugo: *Habemus tam misericordem Pontificem; ergo adeamus.* Habemus Pontificem, qui per seipsum expertus ità compatitur; igitur nihil aliud nobis remanet nisi ut nos præsentemus ad ejus Tribunal pro acquirenda misericordia. Forte argumentum pro cordibus diffidentibus, & timidis. Sed qualenam tribunal est istud, ubi tam securam sperandam habemus misericordiam? Illud confessionis.

Ex

Ex hinc facio ego etiam nunc fortiſſimum, efficaciſſimum, & evidentiſſimum argumentum contra illos, qui ex timore, vel pudore, tacentes peccatum aliquod mortale, faciunt ex iſto tribunali gratiæ, tribunal ſuæ majoris damnationis. Si, eò quòd Chriſtus JESUS expertus ſit, factus homo noſtras miſerias, & tentationes, præterquam, quòd non potuerit cadere in peccatum, eruit, & agnoſcit Sanctus Paulus tam ſecuram ejus compaſſionem quo ad noſtra peccata. Urgeo ampliùs: ſi hoc tribunal, ſi hoc judicium reliquit ſua Majeſtas in manibus hominum miſerabilium, fragilium, & peccatorum; quantum augetur noſtra ſecuritas remedii, de conſequenda condonatione, & de obtinenda compaſſione? *Ideo non Angelis*, reſumit Sanctus Chryſoſtomus hom. 80 *hæc poteſtas eſt commiſſa, qui nunquam peccaverunt; ſed homo paſſibilis ſuprà homines ordinatur, ut dum in aliis ſuas recolit paſſiones, mitem ſe præbeat, & benignum.* Iſta eſt ergo tertia ratio ex parte confeſſarii, quæ convincit irrationabilem pudorem animarum infortunatarum, quæ reticent propria peccata in confeſſione: *Quid erubeſcis*, contra te argumentatur, & te convincit Sanctus Auguſtinus in Pſal. 66. *ô homo confiteri? peccator ſum ſicut & tu.* Quare erubeſcis homo infelix, miſera Mulier, Virgo refractaria, infans inſipiens? Anima, ſis quæcunque velis, qua de cauſa erubeſcis confiteri hoc vel illud peccatum, cùm ego ſim tam bene peccator, ſicut tu, *confitere ergo homo homini, homo peccator homini peccatori.* Si ego ſum homo ſicut tu, fragilis, miſerabilis, & veſtitus tuis ipſiſſimis paſſionibus, fragilitate ac miſeriis; quid mihi dices (ſit illud quidcunque velit) cui ego eodem modo non ſim ſubjectus ſicut tu? Si ſum tantus peccator ſicut tu, quod nam peccatum mihi confiteberis, quod ego non ſciam, quod jam non audiverim, vel quod nondum legerim? Et vel ſit per experientiam, vel per malitiam, quid mihi potes dicere, etiamſi ſit peccatum graviſſimum, quod mihi faciat vel minimam novitatem? Quæ turpitudo? quod flagitium? quale delictum, quod videatur à me alienum ut homine, cùm ego ſim homo? *Quid times confiteri? homo ſum. humani nihil à me alienum puto.* Jam, ſi nihil tu potes mihi dicere, quod mihi cauſet etiam vel leviſſimam novitatem; eſt ergo irrationalis tua verecundia. Ità convincit Sanctus Auguſtinus. II.

Sunt

III. Sunt igitur in Confeſſario quatuor advertenda, quæ omnia deſtruunt, convincunt, & diſſipant pudorem illius, qui aliquod reticet peccatum. Primum: eſt Confeſſarius perſe, homo miſerabilis, & ſit ille quomodocunque Sanctus, vel eſt lapſus, vel cognoſcit, & timet ſe poſſe labi in qualecunque peccatum; & in hoc nullum eſt dubium, Dicite mihi nunc: Illi, qui morbum communem timet, ſicut e. g. eſt, dum graſſatur febris maligna, ſi alii dicant, quòd iſte morbus corripuerit hunc vel illum, nunquid hoc cauſat aliquam novitatem, vel admirationem? Non; ſed compaſſionem circa alterum, & novum timorem circa ſeipſum. Et quid? Si, qui furatus eſt multos milliones, audit dici, alium furatum fuiſſe decem vel viginti imperiales; nunquid illi immediatè occurrunt ſua furta? Jam conſidera, ſcisne, an iſtud peccatum ipſiſſimum, quod tu taces, & teipſum ideo damnas, forſitan non commiſerit ipſe confeſſarius, & audiens illud te confiteri, locò iræ, & ſtuporis forſitan illi cauſares in anima ſua novum dolorem, & novam contritionem? Pariſiis, dum ſe in illa univerſitate ſtudiorum causâ detineret glorioſus meus Patriarcha Sanctus Ignatius, ùt refert Garzia in vita, 3. c. 13. erat quidam Sacerdos, & Confeſſarius diſſolutiſſimorum morum. Affligebat hoc graviſſimè fervidum zelum illius ſpiritus totius ignei; ſed quia ille ſemper erat tam diſcretus, & prudens, pari modo ùt zeloſus, & pius; cogitabat fore defectum reſpectûs, ſi laicus præſumeret corrigere Sacerdotem. Hoc illum retinebat; attamen deſiderium remedii illum impellebat. Quid fecit? O quàm zeloſa eſt charitas! Recommendavit illum DEO; & quâdam Dominicâ, qua volebat Sacram communionem ſumere, intravit cellam dicti Sacerdotis, & rogavit quatenus ſuam vellet excipere confeſſionem. Provolutus ad pedes illius, abſolutâ confeſſione defectuum quotidianorum, petiit licentiam confitendi aliqua peccata vitæ præteritæ, quæ ſe magis premerent. Incepit confiteri peccata graviora ſuæ juventutis, & ſimul flere, & ſuſpirare taliter, ut illi lacrymæ verba præpedirent, & ad magis aggravanda, & exaggeranda ſua peccata, ponderabat infinitam Majeſtatem Offenſi, & vilitatem offenſoris, Miſericordias DEI, & ſuas ingratitudines. Cœpit compungi Confeſſarius per lacrymas pœnitentis, & ex peccatis, quæ audiebat, in memoriam redibant propria peccata. Si iſte, dicebat

cebat intra se, si iste deflet taliter peccata jam præterita suæ Juventutis, quomodo ego mea debeo deflere? quàm diversus est meus status? quantò majores meæ obligationes? Finivit Ignatius suam confessionem, se humillimè commendavit, & tactus manu DEI ille Sacerdos exivit foras & assequitur Ignatium: Ista confessio Ignati non fuit de tuis peccatis, sed de meis: illas lacrymas, non tua, sed mea peccata merentur. Ego volo vitam mutare; & tali modo hoc fecit, vivendo imposterum valde exemplariter. Quid igitur tu scis, an istud peccatum, quod ità silentio premis, si illud confitearis, locò stuporis, forsitan non sit facturum istos, vel similes effectus in Confessario?

IV. Secundum, quod considerandæ in Confessario, sint notitiæ & experientiæ. Quales non audiverit varietates gravissimorum & turpissimorum peccatorum aliquis Confessarius, qui per unum vel alterum annum excipit confessiones tam multarum animarum, tam diversorum hominum, in concursibus tam copiosis? Jam quid ipsi debet videri nunc istud tuum, quod tacuisti, peccatum, & sit illud qualecunque velit? Amplius. Quid non legerit iste Confessarius in Authoribus, ubi non est peccatum, nec modus, nec circumstantia, illud exequendi, quæ non sit ibi invenienda? Ergo, si quantum potest ideare humana malitia, vel audivit, vel legit, cur tu nunc tuum abscondis peccatum? Est ergo irrationabilis tua ista verecundia. Sanctus Philippus Nerius, ùt in vita ejus legitur lib. 3. cap. 8. per Lumen supernum, quod eundem illuminabat, cernebat peccata, quæ tacebant sui pœnitentes. Hectori Modio, qui intermiserat una vice confiteri certas cogitationes inhonestas, illi Sanctus eas dixit, & quod negligens fuisset in illis repellendis. Alius ejus Pœnitens, posteaquam passus fuerat quadam nocte tentationes valde graves, forsitan quia se non gessit in illis sicut debuisset, verecundabatur apparere coram Sancto. Intermisit hac de causa confessionem illo manè, accessit ad Oratorium post prandium, & quamvis se collocaverit in loco ubi non poterat videri, non poterat se tamen abscondere oculis Philippi, qui vocans eum, dixit: *Bone Vir! tu me fugis?* Dixit eidem postmodum totam præteritam tentationem Sanctus Philippus. Alius quidam Juvenis tacuit in confessione, præ pudore, certa peccata turpia, & in fine confessionis dixit illi San-

ctus: *Fili non proceſſiſti ſincerè, omiſiſti iſta peccata*, & dixit illi omnia illa; de quo attonitus & in lacrymas reſolutus, confeſſus eſt bene & integre. Alia Perſona repugnante verecundia noluit confiteri certum peccatum; cœpit ergo hærere, tremere, & conturbari. Cur ſubſiſtis? interrogavit Sanctus; & illa, quia verecundor confiteri unum peccatum; & tunc, ad miſericordiam motus, arripuit eam manu, & dixit: *Noli timere, ego tibi illud volo dicere:* & illud perſonæ retulit prout factum fuerat. Nunc ergo dicam ego tibi: Puderétne te confiteri tua peccata Confeſſario, qui ſic illa ſciret, etiamſi tu illa eidem non diceres? Eſſet hæc brutalitas, & non pudor. Ecce dum ſic illa ſcit & videt DEUS; dum quilibet Confeſſarius, etiamſi non habeat lumen tam excelſum, ut Sanctus Philippus Nerius, tamen ſcit te eſſe ſubjectum omnibus peccatis, ſis tu quiſcunque, in ſtatu, in dignitate, in negotiis, & obligationibus, in quibuſcunque veſtis; ad quid jam eſt, ſuppoſitâ tali notitiâ, tua taciturnitas? quam vim, & quam novitatem poteſt facere tua humana infelicitas?

V. Sequitur tertium, quod convincit tuum pudorem reſpectu Confeſſarii: & eſt ejus obligatio tacendi omnimode, & penitus nihil dicendi. Sigillum Sacrum Confeſſionis tam ſtrictum eſt, ut non detur caſus ſub cælo, in quo poſſit Confeſſarius patefacere unicum ſolum peccatum, etiamſi ex taciturnitate ſequeretur ruina totius alicujus Reipublicæ, vel totius alicujus Regni; ſub tam horribilibus pœnis præceptum eſt, ut dicere Confeſſario peccata, ſit idem, ac ſi dicta non fuiſſent pro notitia; ſit idem, ac ſi tu ſolus loquendo cum trunco illa trunco diceres, vel alicui lapidi. Puderétne te de hoc? Ecce hoc ipſum eſt dicere illa Confeſſario. Audi Sanctum Auguſtinum in Pſalm. 66. *Id quod per Confeſſionem ſcio, minùs ſcio, quàm id quod neſcio.* Non eſt quid poſſit ultrà dici: *Minùs ſcio quàm id quod non ſcio.* Ità eſt; & clarè hoc videtis: quia illud quod non ſcio, ſaltem poſſum loqui de illo, vel de illo interrogare, vel inquirere, vel diſcurrere in aliqua converſatione; ſed de illo, quod ſcio ex confeſſione, vel unicam interrogationem, nec unicum verbum, nec unicum nutum, nec unicum ſignum, nec actionem aliquam poſſum facere, per quam demonſtrem, vel patefaciam talem notitiam. Hoc in veritate eſt omnino ex omni parte eſſe mutum.

Alii-

Aliqui Principes in ſuos ſervos, ſibi mutos aſſumpſerunt, nè illorum ſecreta ab aliis reſcirentur; & hoc dicunt de Solimano Turcarum Imperatore, eum decem habuiſſe ſervos mutos, qui intimè Imperatori aſſiſtebant; ſed ſi illi non loquebantur linguâ, poterant ſaltem loqui ſignis; ſed Confeſſarius ex integro, & omnimode mutus eſt. Nec quidem minimum ſignum, nec indicium vel leviſſimum poteſt edere. Unde nec ad forum externum ſcientiâ ex confeſſione hauſta, ullô modô uti poteſt, ùt præclarè docet Hiſtoria, quam refert D. Petrus de Sancto Romualdo, chronologici & hiſtorici theſauri Part. 3. ad annum 1559. Confeſſarius quidam in Eccleſia Toloſana, morte turpiſſima damnatus eſt, in hunc modum: Urbis illius Civis emerat à quodam Caupone quinque aut ſex vini dolia; paulò poſt ad eundem miſit, ut curet ea in ædes ſuas devehi, antea tamen prælibat, cenſétque non eſſe idem vinum, quod priùs ſelegerat. Unde Cauponi ſuccenſet, qui Civi cùm crudius reſponderet, à verbis deventum eſt ad verbera; hinc qui fortè ad manum erat, Caupo malleum ferreum adeò validè in Civis caput impegit, ut mortuus illico conciderit: atque eo in ipſa cavea ſepulto, ad domeſticos ſuos, vultu planè ſereno revertitur. Complures abierunt menſes, dum inſtans ſolemnitas Paſchalis hominem commonet, ut animum confeſſione expiet, & manus à ſanguine innoxias reddat. Præcepto obtemperat, séque apud Sacerdotem de homicidio, adjectis omnibus circumſtantiis planè ac plenè accuſat; pœnitentiam acceptat, & rite abſolutus, ſibi ac DEO reſtituitur. Dum ecce Sacerdos hic, exiguo temporis intervallo, unum aliquem ex Civis demortui filiis conſpicit, cui per tranſennam ſubindicat, animæ Parentis memor eſſet, illum jam pridem vivis ereptum. Avida hæc aure & animo bibit filius, atque unà jurejurando Sacerdotem obteſtatur, exponat quis Parentem ſuſtulerit. Quod detrectat, arcano ſe confeſſionis ſigillo teneri affirmans. Interim non acquieſcit filius, ſed die proximo inſequenti rurſus Confeſſarium convenit, eíque erumenam, nummis fartam obtulit, quibus animum illius expugnavit, omnémque, prout peracta eſt, tragœdiam enarrantem audivit. Hic illico rem ad Judicem deferre, condictis teſtibus, Cauponis ædes ac caveam interiorem luſtrari poſtulat, cadaver deprehenditur, Caupo tenetur, Parlamento ſiſtitur, homicidium à ſe perpetratum ultrò fate-

tur, séque ipse reum mortis condemnat; sic tamen ut palàm omnibus libere conteſtetur, neminem nisi ſolum DEUM & Confeſſarium, ſceleris ſui conſcium eſſe. Hac proteſtatione facta, conſilium urget, ut filius edicat, quâ viâ in cognitionem homicidæ devenerit; qui dum tergiverſatur, in carcerem conjicitur, ubi Confeſſarium tandem incuſat. Comprehenditur & hic, negátque à ſe crimen manifeſtatum; graviora veritus, fingit nudo gladio filium ſibi jugulum petiiſſe, ut parricidam exponeret; adeóque metu, qui cadit in virum conſtantem, adactum fuiſſe. Quæ circumſtantia negotium nonnihil ſuſpendit, donec tandem res tota innotuit, atque hæc juſtiſſima in eum Judicum ſententia decreta eſt: Confeſſarius hic laqueô præfocatus exureretur; Caupo verò quaſi omnis flagitii, de quo via ordinaria nihil conſtabat, immunis, domum ſuam liber dimiſſus eſt. Juſtum certè & dignum hoc Parlamento judicium. Accedit: non ejusmodi duntaxat peccatum mortale, ſed vel leviſſimum veniale, ſinè graviſſima culpa & pœna manifeſtare non licere. Sigillum Confeſſionis tam arctum, tam firmum eſt, ut ob nullum unquam privatum vel publicum incomodum ullo unquam caſu liceat revelari: *Greg. Papa de Pœnit. Diſtinct. VI. cap. 2. Innoc. III. extra. de Pœnit. & Remiſſ. cap. 12. Omnis utriuſq; ſexus:* ubi hæc verba addit: *Caveat autem omnino, nè verbo aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.* Jam: cum & ſub tanto ſecreto quæ verecundia tibi remanet? quis timor te conturbare poſſet?

VI. Nihilominus tamen hucuſque dictis additur ultimum, quod tibi reſpiciendum eſt in Confeſſario; & eſt, quòd ejus authoritas, & poteſtas, quam illi dedit Vita noſtra Chriſtus JESUS in iſto Sacramento, non ſit ad aliquod malum tibi inferendum, ſed ſolummodo ad faciendum tibi bonum infinitum; non ſit pro tuo damno, ſed pro tuo juvamine & emolumento: *In ædificationem. non in deſtructionem,* In Tribunalibus hujus mundi, dicit Sanctus Chryſoſtomus Hom. 3. de verb. Iſai. extorquere tam atrocibus tormentis confeſſionem delicti ex Reo, ideo fit, ut poſtmodum confeſſo, inferant vel mortem, vel flagella, vel exilium, vel infamiam: ſed in iſto Tribunali Sanctiſſimo Confeſſionis confiteri peccatum, eſt accipere condonationem, ut immediatè illi imponatur pulcherrima corona gratiæ. Nunc ergo Confeſſarius non habet aliam authoritatem, quàm conferendi tibi infinitum bonum abſolutionis à tuis culpis,

pis, ſi tu pœnitens cum dolore illas confiteris. Tu ergo ipſemet es ille, qui tibi facis infinitum malum, tu es ipſemet ille, qui tibi infers pœnam æternarum flammarum, ſi culpas taces: *Novum ſupplicii genus*, exclamat Sanctus Zeno Veronenſis Serm. 2. *in quo reus, ſi excuſaverit crimen, damnatur; abſolvitur ſi fatetur.* Jam ergo cum tota authoritas Confeſſarii, ſit ad tuam liberationem, ſit pro tui abſolutione, quis ſtolidior timor? quis magis ferus & brutalis pudor quàm ille, qui, dum taces peccatum, te facit reponere omnem tuam ſolicitudinem in tua damnatione?

VII. Quarta ratio contra irrationabilem pudorem ſumitur ex ipſiſſimo peccato, quod taceturin confeſſione. Sit iſtud peccatum graviſſimum, ſit inauditum; depingat illud iſte tuus pudor coloribus quibuſcunque velit, ferum, turpe, horribile, abominabile: Iſtud peccatum, dicit Sanctus Bernardinus Senenſis, Tom. 4. cogitas tu non eſſe perpetratum in mundo? Ecce, non tantùm illud commiſerunt alii peccatores ex illis, qui hic adſtant; ſed etiam magni Sancti ex illis, quos veneramur in Altaribus, illud commiſerunt, & per veram pœnitentiam illud eluerunt, & conſcientiam ſuam mundaverunt. Eſtne luxuria iſtud peccatum? Maria Ægyptiaca, Tais, Pelagia, antea meretrices publicæ, & poſtmodum Sanctæ, quid putas non commiſerint? Sanctus Bonifacius adulter; Sancta Anaſtaſia, Sanctus Cyprianus, & plures alii antea venefici. Latrones: unus Diſmas, Mutius, Moyſes Abbas, David Monachus, Landelinus, & alii. Eſt contra Fidem forſitan hoc peccatum? Marcellinus Summus Pontifex Eccleſiæ, illam negavit ob timorem tormentorum, & confeſſus eſt ſuum peccatum, & eſt Sanctus. Jam ſi ob confeſſionem peccata maximè enormia & turpiſſima ſunt hodie honor & gloria magnorum Sanctorum, ſit illud peccatum qualecunque, quod taces, eſt irrationabilis iſte pudor; & ſi non datur peccatum, quomodocunque illud grave ſit, & ſi eſſent omnia unita quot-quot peccata commiſerunt omnes diaboli, & omnes damnati, ſi illud quis confiteatur cum vero dolore, quod non condonetur; quæ irrationabilior verecundia, quàm illa, quæ tali modo nullum lucrum ſibi ſumit de tanta infinita abyſſo miſericordiæ?

VIII. Refert noſter Henricus Engelgrave Part. 2. Lucis Evang. Dom. 2. poſt Paſch. §. 2. ex P. Uwens in Jonam c. 2. Lect. 11. ſtupen-

dum casum, qui accidit sæculô elapsô, cujus verba genuina hic refero. Erat Salmanticæ Mercator olim prædives & opulentus, qui aleæ lusu omnibus fortunis exutus, simul pietatem, Deique timorem prorsus exuerat: quare odio plusquam vatinianô in ipsum DEUM, ac Dominum nostrum concepto, quò eum ampliùs offenderet; ô diabolicum commentum! in animum induxit, omnibus quibus posset modis, & scelerum generibus, quàm gravissimè DEUM lacessere, illi nihil non injuriarum inferre, nullis eum non maledictis impetere, quidvis impietatis comminisci; omnia denique in se ex ordine flagitia admittere, ut exacerbare optimum Dominum ampliùs posset: & velut paratam in se vindictam provocando, eum animare, & ultro ad pœnas de se sumendas hortabatur. Quo fine ut potiretur, deliberatò summam casuum Navarri sibi comparat, quæcunque in eo libro, pro conscientiarum arbitris sunt, ad institutionem aliquam pro cognitione scelerum descripta, hæc ipse omnia, singulâque opere explere contendens, in cœptis suis præfidenter pergebat. Pervenerat ergo jam ad tractatum de instituenda Confessione, agendâque Pœnitentia; ubi immane sacrilegii piaculum sese obtulit, quod ut cæteris, quasi palmarium, adjungeret, Sacerdotem accedere statuit, ut, interim graviora quæque celando, novo peccato, & sacrilegio accumularet; neque aliter fecit. Verùm, in Palæstra tractandorum animorum diu exercitatus Sacerdos, protinus observavit, esse aliquid, quod hominem vehementiùs angeret, & affligeret, neque liberum in denunciandis vitæ suæ rationibus esse pateretur. Itaque suspicatus ex criminum enormitate, præposterum pudorem succrevisse, multa egregiè de DEI infinita bonitate, ac misericordia primò disseruit, hunc velut viridem olivæ ramum ovi deperditæ porrigens; quam gratiæ virtutem ruminando, ubi altiùs in animum immisisse deprehendisset, comiter ad detegendum omne, quod latebat in pectore, venenum, benigna prece, & commonitione provocavit. Hic commoveri sensim Marcator, dare victas DEO manus, gemere, suspirare, imo ex pectore, atque inter lacrymas & singultus sciscitari à suo, quem præter mentem nactus fuerat, optimo consiliario & Patre: *Ergóne peccatis meis major DEI clementia est?* Ubi etiam infinities esse majorem ex illius ore cognovit in copiosiores solutus lacrymas, ruptô jam velut obice, recogi-

cogitare cœpit in amaritudine animæ ſuæ, omnes graviores vitæ anteactæ noxas: ſumptóque ſimul pœnitendi, ac ſingula eluendi ſpatio aliquo tempo is, non ſegniter ſe comparavit: comparatus edixit, auſim dicere, etiam eluit, ſua prolocutus, ferè quot verbis, tot lacrymis. Ac tum demum, quaſi ſolutus vinculis, animum Religioni adjecit, in qua vixit, jam m tatus in virum alterum, non ampliùs triennio; poſtmodum tentari morbo cœpit, qui illi extremus fuerat. Quod ubi, diminutis paulatim corporis viribus, ſibi eſt viſus ſentire, Crucifixum amplexus, affuſis ac collacrymantibus ſociis, hæc ſingultiens, ac lacrymans, noviſſima verba pronuntiavit: *O quàm me præteritæ vitæ pudet, pigétque; horreo me ipſum conſiderans, ſed & ad amorem tuum liqueſcit Anima mea, bone JESU! Agnoſco, agnoſco immenſam bonitatem tuam. Prorſus talis debebat eſſe Dominus, qui tantum in gratiam reciperet peccatorem. Tantus verò peccator non poterat, niſi à tali Domino admitti in gratiam, & veniam ſuorum accipere peccatorum.* Dixerat, cùm infinitam DEI, quam corde & ore teſtatus eſt bonitatem, eâdem, ut credere fas eſt, fruiturus in cælis, ex hac mortalitate pie, & feliciter ad immortalitatem demigravit.

IX. Nunc ergo dico tibi: Eritne iſtud peccatum, vel iſta peccata, quæ taces, tam grande, vel tam grandia, ſicut illa quæ audivimus in exemplo? Erúntne tanta? Scias quòd pro omnibus, ſint innumerabilia & peſſima, ſi illa dolens confitearis, in confeſſione habeas ſecuram condonationem, ſecuram miſericordiam DEI, ſecuram gratiam, quæ te aſſecurat de gloria.

INSTRUCTIO XXI.

Duæ aliæ Rationes, quæ ex parte ipſiusmet, qui reticet aliquod peccatum in Confeſſione, convincunt: pudorem illius irrationabilem eſſe.

I. EX ſuis propriis viſceribus laborat bombyx anguſtum carcerem, qui illum incarcerat; facit ſuò propriò corde omnes expenſas pro filiis, quæ illi formant compedes, & omnem ſuum

ſuum moleſtum laborem impendit in fabricando parvulo tuberculo, vel glomere, ſuo mœſto habitaculo. Quicunque illum videt in ſua anguſta officina tam inquietum, tam ſolicitum, tam ſedulum, poſſet interrogare: Miſerum animalculum, pauper vermicule, in quem finem tantus labor? In quem finem te totum eviſceras? Tanta fila pro tuo carcere? Tot revolutiones & involutiones ut ſint annuli pro catena tibi? Tantus labor pro tuo mœſto habitaculo? Sed ex quo verme quæro ego iſtud? Ex peccatore verme, quem ille repræſentat, & ad vivum exprimendo, effigiat. Quid aliud facit peccator, quàm quòd ſibi formet ſuis peccatis ex ſuis propriis viſceribus carceres? Quid aliud facit, quàm quòd ex ſuo proprio corde fabricet maximè ſtringentes annulos pro catena ſibi? Et quid facit, niſi quòd contorqueat ſuum cerebrum, involvat ſuas cogitatioes, confundat ſuas ſolicitudines, prodigat ſuos labores, conſumat capitale, perdat tempus, deſtruat vitam, damnet animam; uno verbo: omnia faciat pro formando ſibi ex ſuis peccatis feraliſſimo carcere, & loco tormentorum? *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*; Prov. 5. v. 22. Quandoquidem ergo bombyx ità repræſentat peccatorem, per ſe ipſum captivum in ſuis peccatis; utinam peccator etiam illum ità imitetur, & exprimat pœnitens. Incluſo illi vermiculo tali modo ex omni parte in ſuo tabernaculo, deficientibus illi omnibus neceſſariis pro vita, non habenti jam exitum pro alimento, quale remedium illi remanet in tanta anguſtia? Solummodo in ſuo ore. Rodit glomum illum ipſum quem formavit, & ſic aperiendo ſibi ſuo ore portam ſui carceris, conſequitur non ſolùm libertatem, ſed natis illi alis, prodit in tam novam vitam, ut ex verme converſus quaſi in columbam, evolet in aërem liber ille, qui antea tam conſtrictus ſtabat in glomere captivus. *Novum mutor in alitem.* O quæ transmutatio! O quæ metamorphoſis ex una in aliam vitam! ex captivitate in libertatem, ex compedibus ad alas, ex anguſtiis unius tuberculi, in omnem latitudinem aëris, & ex uno verme, qui repit, columbula, quæ volat. Tantum conſecutus eſt per os ſuum, eò quòd tantum perdiderit per ſuos malè applicatos labores.

II. Nunc ô Anima! te alloquor, quæ in iſto glomere, quod ratione tui peccati tibi formavit tua verecundia, abſcondita, melius dixe-

dixero, incarcerata, consumis absque remedio tuam vitam, non supereſt tibi alia porta ad exitum ex isto infelici carcere, præterquam os tuum proprium, quod, confitendo istud peccatum, te extrahere immediatè potest ex hac anxietate, dare tibi libertatem fortissimam, & conferendo tibi alas pro nova vita, te facere volare beatam ad Coronam. Istæ ergo sunt duæ rationes, quæ mihi residuæ sunt pro convincendis infelicibus animabus, quæ ex timore, vel verecundia reticent aliquod, vel aliqua peccata in confessione. Jam non amplius vobis argumentor ex parte DEI, qui videt quàm optimè hoc peccatum; nullam ponderationem & reflexionem volo facere ex parte diaboli, qui hoc peccatum sibi memoriâ retinet, & de quo te absque omni remedio est accusaturus: non volo te, vel vos, amplius convincere ex parte Confessarii, quia est homo miserabilis & fragilis sicut vos, cui nulla potest accidere novitas, vel quia ipsemet est lapsus, vel quia lapsum timet; non volo vos amplius informare ex parte ipsiusmet peccati, quod reticetis, sit illud qualecunque, quia hoc ipsum commiserunt, ante vos, alii multi, & forsitan illi, qui nunc sunt inter majores Sanctos. Solummodo argumentor nunc ex parte vestra: *Pro anima tua non confundaris dicere verum*; Eccles. 4. v. 24. Est argumentum Spiritûs Sancti. Saltem pro tua ipsissima anima non erubescas confiteri veritatem: *Pro anima tua.*

Pro tua ipsissima Anima? Ità est; pro tua ipsissima anima; & fortè non? dic mihi, quæ angustiæ, quæ anxietates, qui cordis dolores, qui timores te non accusant de hoc peccato? *Non est pax impiis dicit Dominus*, Isa. 48. v. 22. Non potest habere pacem, dicit DEUS, non potest invenire requiem peccator, cùm in sinu suæ animæ teneat absconditum peccatum. Quales voluptates tibi non destruit, quales delectationes non facit amaras? Quales recreationes tibi non inficit veneno iste remorsus conscientiæ? Quales mœrores? Quas afflictiones? Quas anxietates? Ah conscientia! quando tu te discrucias, nihil alleviat, nihil distrahit, nihil consolatur. Vide, cognosce, & crede, si Fidem habes, quòd, dum taces hoc peccatum, deperdas omnia bona opera, corrumpas omnia Sacramenta, nullas consequaris indulgentias. Vivis vitam bestiæ, & pateris continuam mortem alicujus damnati. Inquietum III.

cor! ſicut illæ inſulæ, de quibus dicit Plinius, quòd ad concuſſionem maris ſemper tremant: *Cor impii quaſi mare fervens.* Iſai. c. 57. v. 20. Ità in mari inquietudinis continuæ, ſi audis de infirmitate, times, ſi vides mortem, concuteris, & demùm in nullo habes requiem; quomodo ergo te liberabis à toto hoc cruciatu? quomodo poteris conſequi quietem, guſtum, pacem? Facillimè; confitendo iſtud peccatum cum dolore: *Pro anima tua non confundaris dicecere verum.* Pondera ergo, æſtima exactè nunc omnia illa, quæ pateris tacendo peccatum, cum illo, quod pateris dicendo illud. In dicendo illo erit ſolum unicum momentum pudoris; Unicum momentum. In tacendo, ſunt unus, & alter dies, unus, & alter menſis, unus & alter annus cruciatuum, inquietudinis, timoris, & anguſtiarum, quæ omnia tibi amara faciunt, omnes voluptates diſturbant. Jam quis non eliget unicum ſolum momentum pudoris, ut ſe liberum faciat ex menſium, & annorum tormentis? Etiam beſtiæ hoc nos docent.

IV. De certo Leone narrat Plinius lib. 8. cap. 16. ſequentia. Mentor Syracuſanus in Syria Leone obvio ſuppliciter volutante ſe, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret ſe ſe, & veſtigia lamberet adulanti ſimilis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnúsque, & extracto ſurculo, liberavit cruciatu; & fera lambendo illi pedes, conteſtata eſt, prout illi poſſibile fuerat, ſuam gratitudinem, & cum lætis demonſtrationibus reverſa eſt in ſylvam. Jam ſi aliqua beſtia ità vincit, ratione doloris, omnem ſuam irrationabilitatem, ſi unum brutum, ut ſe liberet à continua moleſtia tali modo deponit ſuam feritatem, ſi una fera ſylveſtris, tali modo abjicit ſuos ſylveſtres mores, ſolummodo ut illi extrahatur ex pede ſpina: quid non facies tu in vincenda modica verecundia, ut tibi extrahas ſpinam peccati, quæ tantis anguſtiis perturbat, & transfigit tuam animam? Et, omiſsô pro nunc eô, quod te manet circa damnum æternum, certum eſt, quòd te non ſinat facere tempore hujus vitæ, vel unicum greſſum hilarem, & voluptuoſum. Et pejus eſt, quòd in hoc non ſiſtat; ſed accreſcentibus omni die, ratione hujus peccati, quod tacuiſti, novis peccatis, accreſcent eodem modo in anima tua anguſtiæ. Percipis Sacramenta, ſed cum illis tuam æternam perditionem; peragis tot, & tantas confeſſiones; & cum illis

illis tot, & tam horribilia ſacrilegia; tantas Communiones, & cum illis tantas ſententias damnationis; & anima tua tali modo deſerta à gratia, quot, & quanta alia peccata non committet? quantos lapſus? Et ſi fidem habes, quantas afflictiones? De certo miſerabili Paſtore in Taraſcono refert Gaſſendus in vita Pariaſch. l. 5. n. 1536. quòd, dum illi intrâſſet una ſpina in pectus, timens illam immediatè extrahere, continuavit differre hoc ipſum de uno in diem alterum, uſquedum inviſcerata egiſſet radices; incepit creſcere, penetravit interius in carnem ſpargendo ramos, in tantum, ut jam infelix, nec potuerit manducare, nec dormire, nec quieſcere, uſquedum inter dolores inexplicabiles, in tranſverſum per ſpinas viſceribus omnibus intortis, perdidiſſet vitam. Hoc facit unica ſpina, quæ non extrahitur; melius dixero, unicum peccatum, quod quis non confitetur, quod ſicut ſpina maledicta in profundum radices mittit in corde, germinat, & creſcit in novas ſpinas, in nova ſacrilegia, quæ súsque déque omnia invertunt, transfigunt, cruciant, & occidunt. Nunc ego jam te, anima infortunata, quæ tali modo tuum peccatum taces, interrogo; vel es determinata nunquam iſtud peccatum confiteri, & ſic mori ſinè confeſſione illius? horrorem ſentio ſolummodo hoc dicendo; & ſi res ſic ſe habet, jam ab hac hora es in inferno. *Tacitus damnaberis, qui poteras liberari confeſſus:* deflet te unà cum tuis exequiis ſempiternis Auguſtinus in Pſalmum 66. Non eliges, hoc eſt manifeſtum, tam immenſum infortunium. Quodſi autem es determinata ſemel cum tempore confiteri iſtud peccatum, quare non modo? Quare non immediatè nunc? In quem finem ſunt iſti termini, qui omni die magis & magis te periculo ſubjiciunt? In quem finem retardas, quando hoc ipſum de die in diem tibi eò difficiliùs accidit, & indurando animam in una obſtinatione infortunata, aufert tibi vires pro capeſſendo tuo remedio?

V. Portenti loco eſt, quod vir perquàm Eruditus Aubertus Miræus in Chron. ad ann. 1531. oculatus teſtis, in annales ſuos retulit: Mulierem Senonenſem (cui columbæ nomen erat) per dies complures nullo naturæ niſu, aut obſtetricum adminiculo, fœtum in lucem edere valuiſſe. Tenuit parturientem dolor annos omnino tres lecto affixam. Exinde confirmata nonnihil valetudine aſſurgere, ac per annos quinque, & viginti uterum geſtans, in publicum prodire viſa

eſt. Tandem poſt longa vitæ tædia, ubi è vivis exceſſit, uterô reſectô infans in lapidem obduruiſſe compertus eſt; quem ſaxeum puerum ſe Pariſiis vidiſſe Anno 1609. citatus Author conteſtatur. Conſternationem incutit hoc prodigium in phyſicis, & naturalibus: attamen idipſum in moralibus accidit, dum quis ex verecundia reticet peccatum mortale in confeſſione; nam dum omni die magis, & magis obturatur, fit lapis in obſtinatione; & cauſando ſemper continuos dolores partûs, ſemper facit anguſtias, & modò quod in tantum occultatur, denudabitur, & patefiet poſt mortem. Jam autem, cùm omnes iſti dolores, anxietates, & cruciatus poſſint tolli in unico momento per confeſſionem talis taciti peccati; iſta eſt quinta ratio, quæ ex parte tuæ ipſiusmet animæ convincit eſſe irrationabilem hunc timorem, & tuam verecundiam: *Pro anima tua non confundaris dicere verum*; ùt ſuprà Eccleſ. 4. v. 24.

VI. Ergône vos creditis, liberationem ab iſto cruciatu in hoc ſolo terminari? Non; quandoquidem hoc eſt exire ex ſervitute ad libertatem, ex carcere ad regnum, ſe ſolvere ex compedibus, & manicis ferreis ad conſcendendum ſolium, & adipiſcendum ſceptrum. O quæ ratio, quæ cùm ſit ultima, non ſinit effugium pudori pernicioſo! Quid non faceret captivus apud Algieros, vel in Marocco, vel Tuneti, ut poſſet liber exire ex illis tam infelicibus carceribus? Quid poſſet proponi illi ut fugere poſſet, quod non exequeretur? Quæ non tentaret, qui in carcere, onuſtus catenis expectat de momento in momentum, ut extrahatur cum publica infamia, ad perdendam vitam? Quid non faceret, pro ſui liberatione remex, qui ad remum, & ad tabulam gemit ſinè refrigerio? Ecce iſte, & infinities pejor eſt tuus ſtatus, anima captiva, & mancipium diaboli propter iſta peccata, quæ tali modo retices. Et ſi talibus diceretur, quòd per ſolam confeſſionem, & prolationem ſuorum peccatorum immediatè liberarentur, dicerent illa abſque dubio, il a publicarent, & vociferarentur. Et tamen à te tantum non petitur; ſed ut in ſummo ſecreto tuum confitearis peccatum uni, & ſoli homini, ut liber evadas. Fertur Dux de Oſſouna Vice-Rex Neapolitanus, amæno vir ingenio, quadam die conſcendiſſe Triremes, ac fœcem hominum contemplatus quemque percunctatus, quid deliquiſſent, quòd ad Triremes damnati eſſent? ſinguli ſe operosè excuſare, innocentiam

tiam ſuam multis perjuriis conteſtari: cùm in unum aliquem tandem incidit, qui ingenuè confeſſus eſt, à prima juventute ſe hominem nullius frugis fuiſſe, à Parentibus profugum, vitam furtis ac rapinâ ſuſtentâſſe. Quod ùt dux audiit, è veſtigio eum de Triremi exſcendere juſſit: tu unus nequam in hoc tam honeſto proborum virorum conſortio, facilè alios corrumperes, atque hoc lepido dicto, hominem confitentem libertate donavit. Ille liber diſceſſit propter ſuam confeſſionem, & alii ob ſuam taciturnitatem remanſerunt apud remum. Jocus fuit iſte, qui nobis ſua lepiditate intimat maximi momenti veritatem; peccator quamdiu retinet in anima ſua peccatum, quid aliud eſt quàm remex diaboli, qui ſub flagello illius gemit, & languet; viſitat DEUS miſericors iſtam Triremem in Sacramento confeſſionis, quemlibet interrogando; ſi tacet, remanet in ſuo tormento; ſi confitetur, prodit in momento liber & abſolutus. Jam quis non vellet acquirere libertatem tam facili pretio?

VII. Et éſtne ſolummodo libertas? Non; Corona? Non; ſed regnum, illud, quod quis conſequitur confitendo cum dolore omnia ſua peccata. Eſt corona, quæ plus valet quàm omnes coronæ mundi hujus. Iſtud eſt illud diadema quo cingit animam gratia: diadema, quod illi confert jus filiationis divinæ, quod illam facit Dominam gloriæ. Jam pro iſta corona quis non eligat breve ſpatium verecundiæ, confitendo ſuum peccatum? Carolus Valeſius, Regis Philippi Primogenitus ùt narrat P. Giannetaſius, S. J. in Hiſtor. Neapol. nuper edita tom. 2. p. 36. deperibat Clementiam filiam Caroli II. Siciliæ Regis; ſed quia Carolus claudicabat, timuit Princeps, nè fortè in prolem claudicatio derivata eſſet, & ementito greſſu, Clementia vitium ſimularet; quare, ubi de nuptiis conventum fuit, ea clauſula appoſita eſt, ut virgo coxendicis commiſſuram pateretur inſpici: nefas enim fore, Reginam Franciæ claudicare; & voluit, ùt Martialis ait lib. 3. epigr. 42.

Similiter pateat vitium; fortaſſe puſillum,
quod tegitur, majus creditur eſſe malum.

Erubuit ad hoc virgo nuntium; ſed ubi reſcivit hac nuditate aperta Regnum Galliarum parari, exclamat; parata ſum examen ſubire, dummodo regno potiar: *Clementia*, ùt refert author, *ubi coram Matre, & Matronis fuit, induſium diſcidit inquiens; non amit-*

tam Franciæ Regnum pro iſta interula. Accepit Regem in ſponſum, cujus diademate texit pudorem. Et quali diademate? qualis hæc fuit corona? corona ex vento, quæ jam diſparuit ſicut aër. O quanto plus meretur corona gloriæ, corona æterna, ut pro illa, vincendo pudorem hunc irrationabilem, confiteatur quilibet illud peccatum, qualecunque illud ſit, pro obtinendo regno ſempiterno?

VIII. DEUS intuetur illud peccatum; tacendo te ab illo non liberas; diabolus retinet illud regiſtratum, quòd tu illud non confitearis, ideo non manebit ſecretum; confeſſarius, quem tibi eligere potes quemcunque velis, eſt homo ſicut tu, itaque per hoc nihil excuſaris. Iſtud peccatum, ſit illud qualecunque velit, alii jam commiſerunt. Quid ergo te retinet? Tua ipſiſſima anima tibi argumentatur, & te convincit, quod ſua quies conſiſtat, ſua pax, ſua libertas, in confeſſione. Quid ergo habes quod reſpondeas, cum tu hoc ipſum agnoſcas? Gloria te invitat, quod per confeſſionem poſſis conſequi coronam. Quid recuſas, ſi hoc credis? Cùm ergo te omnia convincant, & ex omnibus partibus deprehendas tuam verecundiam eſſe irrationabilem, finias tandem, ô anima, & libera te; quære Confeſſarium, qui te non noſcit, & qui te nec videat dum confiteris, Dic illi ex hoc momento, abſque omni alia dilatione, ante omnia alia peccata hoc tuum peccatum. Adhúcne confunderis? ſaltèm illi dicas: *Pater, verecundor:* per hoc enim Confeſſarius, ut dexter & miſericors Medicus, tibi viam aperiet cum dulcedine, & ſuavitate. Adhuc times? Ecce vide: ſcribas iſtud peccatum in aliqua ſcheda, extrade illam Confeſſario, & dic illi: *Pater iſtud eſt meum peccatum*, & cum detrectas ob verecundiam illud pronuntiare, ille poterit tali modo illud intelligere, addendo tibi animum. O DEUS! anima, utinam per aliquod medium ex iſtis, tandem te extricares ex tua infinita infelicitate. Ah noli te damnare tam lacrymabiliter, & finè profectu, dum habes tuum tam facilè remedium.

IX. Sanctus Joannes Climacus refert in Spec. Exempl. V. confeſſio, exemp. 3. quòd certus quidam Latro, qui magnam partem ſuæ vitæ conſumpſerat in furtis, & latrociniis, tactus manu Divina, ſtatuerit deſerere cum ſua perverſa vita mundum, & fieri Monachus.

Hæc

Hac de cauſa ſe contulit, pro petendo habitu, ad certum magnæ obſervantiæ Monaſterium, cujus Abbas, ad probandam ejus vocationem, retinuit illum in principio per ſeptem dies incluſum, & in pœnitentia. In fine dierum illorum, quæſivit ex illo: quænam vita fuerit illa, quam hucuſque traduxit in ſæculo? Et ille abſque omni trepidatione, & pavore retulit omnia Abbati ſua peccata. Et arrepta exinde occaſione Abbas, faciendi majorem probam de latronis vocatione, interrogavit illum: an haberet animum confitendi in publico coram omnibus Monachis omnia, & ſingula ſua peccata? Quomodo eſt hoc? repoſuit ille, ſic qui jam peccata ſua abhorrebat vera & perfecta contritione; quomodo eſt hoc? Non ſolum illa dicam voce alta coram Monachis, ſed ſi opus fuerit, illa vociferabor omnia in medio fori Alexandriæ. Conſtituit ergo Abbas diem, & hic ubi adveniſſet, finitâ Miſsâ, & congregatâ tota Communitate, quæ conſtabat ducentis, & triginta Monachis, in Eccleſia, intravit ille cum fune ad collum appenſo, proſtratus in genua in medio, cœpit dicere voce alta omnia ſua peccata, turpitudines horribiles, beſtialitates brutiſſimas, & res tam enormes, ut etiam exinde atramentum, ſi omnia ſcriberentur, erubuiſſet, & omnia hæc cum tantis gemitibus, & ſuſpiriis animæ, cum lacrymis tam abundantibus, ut inundaret illis pavimentum. Attoniti audiebant omnes, & compuncti, ſtupefacti non ob peccata latronis, ſed ob ipſius pœnitentiam. Finitô iſtô actu, contulit illi Abbas lætiſſimus habitum; & tunc poſtmodum quidam ex ſenioribus interrogavit S. Abbatem, quodnam motivum habuerit faciendi demonſtrationem tam inſolitam? Ad quod Abbas reſpondit: duas rationes habui; prima, ut illi ſua confuſio, & ſua verecundia foret pro ſatisfactione ſuorum peccatorum; & hoc ità factum eſt, ſiquidem quando ille ſua dicebat peccata, diabolus, qui lateri illius adſtabat cum magno libello conſcripto, eadem delebat, uſquedum ille finiviſſet enarrare, quô factô remanſerunt partes libelli diſcerptæ ibi à diabolo, caſſatis omnibus peccatis. Secunda, quia in iſta Communitate aliqui Monachi erubeſcunt, & tacent aliquos defectus, & ſic ut videntes hoc, expellant illorum pernitioſam verecundiam. O, & utinam ab omnibus animabus exularet, nec unquam aliquem locum inveniret.

Pon-

X. Pondera tu interim, & perpende ô anima, quot commiſerunt majora, magis enormia, magis horrenda peccata, quàm ſit iſtud quod tu taces; quia autem illa confeſſi ſunt, gaudent nunc lætantes in Paradiſo. Et tu vis eſſe inter millia, & millia æternum infortunata? Ah! abſit hoc. Statue quàm citiſſimè & determina, degluti as hanc ſorbitiunculam, confitere iſtud peccatum, & videbis immediatè quantum ſit tuum ſolatium, quanta tua pax, quanta tua voluptas. Exi de hac ſervitute, & lucrare tibi per bonam confeſſionem coronam, quâ frueris æternum in gloria.

INSTRUCTIO XXII.

De Confeſſione Generali; quandonam obliget, & quomodo inſtituenda ſit.

I. ANguſtiæ judicii humani ſuperflua poſſent videri illa, quæ ſunt repetitæ executiones Divini judicii. Cùm DEUS, diceret noſtra ignorantia, bis non decidat unam cauſam; cùm bis non caſtiget idem delictum; *DEUS non judicat bis in idipſum:* quare judicio particulari, quod facit de quolibet in ſua morte, adjungit judicium generale, & univerſale de omnibus in fine mundi? Si in judicio particulari non remanet nec quidem cogitatio leviſſima, nec verbum, nec opus cujusvis totius vitæ, quod non examinetur, & ſententia proferatur; quid ergo ultrà remanet faciendum in ſecundo Judicio Univerſali? Si ibi omnes, & quilibet, recognoſcentur jam cum decreto inappellabili à momento mortis, ad quem finem debet eſſe ille actus tam publicus, & tam ſolemnis? & ſi ſententia data in judicio particulari cuilibet nec poteſt variari, nec minui, nec revocari, cùm jam ſit irrevocabilis, & æterna: quare præterea decrevit Dominus illud univerſale, & generale judicium? Variæ ſunt rationes quas ſpeculantur Doctores, & Sancti in iſto articulo noſtræ Fidei, ùt videre eſt in Cathec. Rom. Art. 7. Aliqui hoc futurum dicunt p·o majori honore, & Gloria JESU Chriſti, quem, quandoquidem propter nos fuit proſtratus, & ſpretus, abjectus, & humiliatus, inter homines, ut videant exaltatum, & ſublima-

limatum in ſuo Throno Judicis ſupremi, omnes homines, & omnes nationes Mundi. Alii, DEUM oſtenſurum pro tunc divinationes ſuæ Providentiæ, rectitudinem ſuæ juſtitiæ, ut æternùm obmuteſcant noſtræ ignorantiæ, querelæ; & videat tunc ille, qui vixit pauper, quare hoc factum fuerit; ille qui paſſus eſt moleſtias, & afflictiones, in quem finem iſtas DEUS direxerit; ille, qui longam habuit vitam; ille qui brevem cognoſcat pro tunc, quare iſti hanc abbreviaverit, quare autem alteri prolongaverit. Ut tandem demonſtret Dominus admirabiles divinationes ſuæ prodigioſæ, & admirabilis gubernationis. Alii dicunt, futurum illud tam univerſale Judicium, pro majori gloria Juſtorum, pro majori cruciatu damnatorum, videndo ſe in tanta publicitate totius mundi, iſti deſpectos & contemptos, & depreſſos; alteri celebratos, exaltatos, & applauſibus honoratos à Rege ſublimiſſimo ſupra omnes cælos.

Sed ſupra omnes has rationes adjungit aliam meo propoſito aptiſſimam Angelicus Magiſter Scholarum Sanctus Thomas. Nullus moritur, inquit, qui non relinquat etiam poſt ſuam mortem dependentias vel in filiis, in illorum educatione bona vel mala quòad illorum ſtatum ad quem illos deſtinavit, vel quòad finem; vel in ſuppellectili & ſubſtantia, applicata quoad hoc, vel quòad illud; vel in ſcriptis ſuæ manûs, vel in exemplis ſuæ vitæ. Judicatus itaque in puncto ſuæ mortis, & perceptâ ſententiâ in judicio particulari de omnibus quæcunque hucuſque fecit; nihilominus ob dependentias, quæ poſtmodum remanent, non poterit plenum de eo, & perfectum formari judicium uſque in fine mundi. Ideo appoſitè, dicit Angelicus Doctor, inſtituit Majeſtas ſua Divina Judicium Generale, quod omnia complectitur, ut clariùs videatur pro tunc æquitas ſuæ ſententiæ: *Propter hoc oportet eſſe finale judicium, in quo id, quod ad unumquemque hominem pertineret, perfectè & manifeſtè judicetur.* Ut etiam dependentiæ, quæ remanſerunt, conſequentiæ, quæ ſecutæ ſunt poſt mortem, omnes ad juſtam menſuram redigantur, & omnia ſuam conſequantur ſententiam. II.

Jam iſtud Divinum Judicium adeò horribile, adeò ſeverum, eſt illud, quod debet prævenire noſtrum judicium in Sacramento Confeſſionis. docet, & inculcat hoc nobis ille Magnus Magiſter Spiritualis Ludovicus de Ponte. DEUS judicabit noſtras animas primò III.

in Judicio particulari in fine noſtræ vitæ, & poſtmodum in Judicio generali in fine mundi. Tali modo pariter nos debemus judicare noſtram propriam animam; antecedenter in Confeſſionibus particularibus; in quibus, ſi illas bene peragimus, confertur nobis ſententia noſtræ libertatis; & poſtmodum in confeſſione generali, in qua illa ipſiſſima ſententia nobis confirmatur. Et ſicut in libris rationum, ſeu computationum ſummuntur ad calcem computus cujuslibet paginæ, & talis pagina juſtificatur, ſed nondum ratiocinia concluſa ſunt; imò poſtmodum transfertur illa ſumma ex una in alteram paginam, uſquedum reducatur illud, quod intereſt ad computum, in quo vel remanet juſtificatus totus computus, vel in quo deprehenditur & revidetur, ſi ibi fuit error, ut corrigatur; an ibi ſit lucrum, an ibi ſit amiſſio. Ità componendo bene in qualibet confeſſione particulari noſtra ratiocinia cum DEO poſtmodum omnes iſti computus adunati in confeſſione generali, erunt pro faciendo conceptu, pro formando judicio adæquato de tota noſtra vita; ut, taliter viſis omnibus, & perſpectis noſtris culpis, & exceſſibus, concludamus ſeriò finem imponere æternum omnibus peccatis; & hoc erit propoſitum valdè ſerium, & firmum emendationis.

IV. Certum eſt, confeſſionem generalem non eſſe de Præcepto, nec de obligatione, nec de neceſſitate ad ſalutem univerſaliter omnibus; non; imò valde bene diſtinguunt tali modo Doctores; confeſſio generalis pro aliquibus eſt damnoſa, pro aliis eſt ità neceſſaria, ut ſinè illa non ſint conſecuturi ſalutem: pro aliis nec eſt damnoſa, nec eſt in tantum neceſſaria; ſed eſt ſummè proficua. Procedamus cum iſta diſtinctione. Pro quo eſt damnoſum facere confeſſionem generalem? pro illis, qui, poſtquam jam feciſſent alias, in quibus adhibuerunt tantam diligentiam, quantam poterant, ad bene peragendas, nihilominus non acquieſcunt, vel quia, ſinè alia ratione, præter illorum inquietudinem, illis videtur non bene ſe confeſſos fuiſſe, vel quia cum errore multò graviore, errore dico, cogitant, quòd, ut condonentur peccata, non ſufficiat illa ſemel bene confiteri, & iſte eſt error graviſſimè pernicioſus. Eſt damnoſum pro illis, qui vixerunt inter abominabiles libidines, vel in odiis, & inimicitiis, quas bene jam ſemel confeſſas, rurſus evolvere, eſt evolvere lutum, & cænum putridum, quod exhalat vapores peſſimi odoris. Eſt finali-

naliter damnoſum pro ſcrupuloſis, qui poſt repetitas confeſſiones, in quibus quærunt requiem, adaugent ſibi inquietudinem. Animæ turbatæ, pulveres, qui aſſurgunt dum ſcopatur domus, non tolluntur ſi rurſus domus ſcopetur, non; ſed ſinendo illos quieſcere. Aliqua piſcina, cujus aqua turbida ſit, ut rurſus clareſcat, debet permitti quieſcere; per hoc rurſus ſedatur. Confeſſio Generalis eſt ſicut aliqua purgatio; illi, qui illâ opus habet, quia plenus eſt malis humoribus, confert ſanitatem, reſtituit vitam; *Data tempore proſunt*; illi autem, qui purgatione non indiget, illa ipſſima præbet occaſionem gravibus morbis, & ſolet etiam quandoque afferre mortem: *Multa mota nocent, quæ ſi non moverentur, non nocerent.* Etiam diem, & etiam conjunctiones, & occaſiones obſervat dexter Medicus pro purgatione. Hinc de helleboro, dicebat Plinius, quod ſi ſumebatur die nebulosô, & turbido, cauſabat dolores intolerabiles: *Cavendum eſt nè nubilo die detur, quippe impatibiles cruciatus exiſtunt*; Plin. l. 25. c. 5. quòd ſi eſt illa anima nubiloſa propter ſcrupulos, ſubjiciat ſe dictamini docti Confeſſarii, qui tali tempore confeſſionem generalem æſtimabit damnoſam?

Sed pro quo ergo eſt omnino neceſſaria? Omitto caſus, qui ſe tenent ex parte Confeſſarii, quia ſunt valde rari; loquor ſolummodo ex parte Pœnitentis. Ille, qui in aliquibus confeſſionibus, vel in omnibus, vivendo in peccatis mortalibus, acceſſit ad confeſſionem, ſinè prævio examine, & per conſequens intermiſit culpabiliter confiteri aliqua peccata mortalia; quandoquidem ſunt abſque omni dubio omnes iſtæ confeſſiones ſacrilegæ, habet ſtrictam, & præciſam neceſſitatem illas repetendi, peragendo Confeſſionem Generalem. Secundò ille, qui confeſſus eſt ſinè dolore neceſſario de ſuis peccatis, ſaltem attritionis ſupernaturalis, & ſinè habito propoſito firmo emendationis; e. g. retinendo injuſtè aliena, non habuit ad pedes Sacerdotis verum animum illa reſtituendi; vel, ſtando in occaſione proxima peccati, non habuit in confeſſione firmam, & reſolutam intentionem omnimode illam relinquendi: cùm ergo fuerint, ſicut fuerunt abſque omni dubio, nullæ, & ſacrilegæ iſtæ confeſſiones, debent repeti, formando de omnibus confeſſionem generalem. Tertiò: qui ex timore, vel verecundia tacuit ex malitia, & propoſito (non dico ex oblivione, vel naturali, vel invinci- V.

bili inadvertentia) tacuit, dicebam, ex malitia in aliqua confeſſione, aliquod vel aliqua peccata mortalia, quæ vel credit eſſe talia, vel tacuit ex malitia aliquam circumſtantiam ex illis, quæ mutant ſpeciem, & tenemur extra dubium illas confiteri, vel, qui numerum peccatorum mortalium, bene illum ſciens, & in memoria habens, dixit minorem præ illo quàm fuerit: vel qui dixit peccata tali modo, & verbis ſtudio excogitatis, ut illa Confeſſarius non intelligeret; vel qui quæſivit ex malitia Confeſſarium, qui illa non intelligeret. In omnibus iſtis caſibus, ùt loquitur Suarez in 3. p. c. 4. Confeſſio Generalis eſt ità neceſſaria, ut ſinè illa non detur ſalus; ità neceſſaria, acſi quispiam nunquam ſua fuiſſet peccata confeſſus, quia tales omnes confeſſiones nullæ fuerunt, & ſacrilegæ. O Pater, non fuerunt multa, ſed unicum ſolum peccatum mortale, quod reticui, per decem vel viginti annos! Hoc ſolum, & unicum ſufficit ad intricanda omnia ratiocinia, quòd ſint ſacrilegæ tot confeſſiones. In ratiociniis unica ſola facies in colligendo errata, facit quod erratus ſit totus computus; & quod ſi hic in ratiociniis alicujus momenti rubricatis jam paginis non admittuntur numeri deleti, vel correcti; non; ſed deſcribi de novo debent omnia ratiocinia; in ratiociniis cum DEO, omnes iſti computus, omnes iſtæ confeſſiones, quæ prodierunt erroneæ, & malè factæ, omnes repetendæ ſunt in confeſſione generali. Ob unicum nodulum, qui non intrat in ocellum, qui illum tangit, ut ſuo loco aptetur, & accommodetur, neceſſarium eſt diffibulare integram pectoris interulam; ſint decem, ſint triginta annorum tempora, omnium iſtorum annorum, prout in memoria haberi poterunt, confitenda ſunt peccata, ac ſi nunquam omnia confeſſa fuiſſent.

VI. O DEUS, & quis cumulus tam formidabilis, quis acervus tam terrificus! Peccata ſupra peccata, quantam confuſionem non cauſabunt Animæ, quæ tot millenis vicibus fuit perfida? fuit & ingrata? Erat mos in Ordine Sancti Benedicti in fine menſæ colligendi micas panis. Certus Monachus, ſpernens hoc quaſi quid exiguum, nec illas colligebat, nec hanc ſuam negligentiam confitebatur; advenit hora mortis, & inter ſuas anguſtias vidit diabolum, qui ei monſtrabat ſaccum plenum micis, & ſaccô illô minabatur Monacho; & ille, dando gemitus ob viſionem, plenus turbatione expiravit.

Jam

Jam ſi taliter colligit diabolus etiam micas, quid facturus eſt de gravibus peccatis? Quos ſaccos peccatorum mortalium tenebit collectos contra animam, quæ per viginti, & triginta annos facit confeſſiones ſacrilegas? O DEUS! *Signaſti quaſi in ſaculo delicta mea:* Job. 14. v. 17. Et tantus cumulus peccatorum, quas anguſtias, quos cruciatus non cauſabit in hora mortis? Jam autem pro hoc nullum aliud remedium habetur, præter confeſſionem generalem, quæ peccata omnia complectatur, & illa conſumet. VII.

Sed dicet mihi quiſpiam: Ego, Pater, pro tunc, dum eſſem puer recordor me in tribus, vel quatuor confeſſionibus tacuiſſe ex verecundia certum peccatum, quod ego habebam pro mortali. Poſtmodum omnimode oblitus fui tam peccati, quàm illius reticentiæ, & in ſequentibus confeſſionibus, quas peregi per totam meam vitam, videor mihi bene confeſſus fuiſſe, & nihil tacui in hanc uſque horam, in qua reminiſcor illius peccati, quod tacui in illis tribus, vel quatuor confeſſionibus. Quæro nunc: ſúmne obligatus faciendi confeſſionem generalem omnium confeſſionum totius meæ vitæ? Dico quòd non. Ità Salas Curſ. Moral. tom. 1. tr. 6. de Pœnit. c. 9. ſed ſufficiet repetere ſolummodo illas tres, vel quatuor confeſſiones, quæ fuerant ſacrilegæ, & non plures. Quia reſiduæ totius vitæ, quandoquidem cum iſta oblivione non adfuit malitia, & peractæ ſunt bona fide, remanſerunt bonæ: quòd ſi autem malitia perduravit per omnes confeſſiones, neceſſarium eſt omnia peccata repetere, & confiteri de novo, acſi nunquam fuiſſent confeſſa. Catholicus Rex Philippus II. magnam partem temporis cum magno labore conſumpſit in ſcribendo quadam nocte, ſua propria manu, negotio graviſſimo ad Summum Pontificem. Finivit literas jam ſera nocte, ſubſcripſit, mandavit Ephebo ut pulveres ſpargeret ſupra ſcripturam. Ille, medius ſoporatus, locò pulveris, invertit atramentarium ſupra ſcripturam, & integram atramentô oblit eravit. Rex autem prudens imperturbatus, nihil ultrà dixit, præter iſta verba: *Neceſſarium eſt de novo litteras deſcribere.* Ecce hoc tibi evenit cum omnibus iſtis malis confeſſionibus. Effudiſti ſupra omnes nigrum atramentum ſacrilegiorum, taliter, ut neceſſarium ſit illas de novo facere in confeſſione generali, & tam neceſſarium, ut ſinè hoc nulla ſit ſperanda ſalus. VIII.

IX. Nunc autem, qui per misericordiam DEI non recognoscit in sua conscientia tales fuisse in suis confessionibus defectus, habebitne nihilominus obligationem faciendi confessionem generalem? Nullo modo; obligationem nullam habet. Sed, ô DEUS! hìc incipit proficuum, hìc serium & magni momenti, hìc salutare negotium. Si in lucris mundi tantum prodest facere in tempore computus capitalis, ad justum redigere rationicinia, exactè illa examinare; quantò magis proderit quòad hoc ipsum se accusare in capitali animæ per confessionem generalem? Est ergo ista summè proficua & utilissima illi, qui talem totâ suâ vitâ nunquam fecit. Est utilissima illi, qui à longo tempore illam non fecit, & qui vivit inter curas, & negotia semper intricatus; & cùm, pro adveniente morte, nullæ dentur occupationes, nec negotia, quæ illam sistant; cur pro præparanda anima dabuntur impedimenta? Addo, quòd pro illo, qui non facit confessionem generalem ex necessitate, & obligatione, sicut sunt illi, de quibus jam dixi; sed solummodo ex devotione, fit major securitas, sit ista confessio illi facilior. Primò: quia quando confessio generalis peragitur ex sola devotione, non est obligatio faciendi tam exactum examen, quia quando etiam recordatur peccatorum jam confessorum, liberum illi est confiteri hæc, & intermittere alia; liberum illi est dicere numerum, vel non dicere, quandoquidem ista peccata jam sunt clavibus subjecta. Secundò: est facilior, quia ista confessio generalis, quæ fit ex devotione, potest fieri per partes; volo dicere: potest quis confiteri in qualibet confessione particulari peccata vitæ præteritæ, commissa contra unum Præceptum, in altera confessione commissa contra aliud Præceptum, & sic suavissimè, & sinè tanto labore peragetur confessio generalis. Et si hoc fit cum Confessario ordinario & fixo, & qui jam cognoscit conscientiam, & recordatur illius, quod illi confessus est; maximâ facilitate per pauciſſima verba potest quis generaliter confiteri. O! utinam sibi omnes inseulperent hunc sanctissimum & maximè proficuum & utilissimum morem faciendi confessionem generalem saltem omni anno, intra duos, vel tres annos! Qualis quies esset animarum, quæ pax conscientiarum, & quæ emendatio vitæ. Ista confessio generalis juvat quòad præteritum, si fortè aliqui fuissent defectus commissi, vel negligentiæ in confessionibus; istæ supplebuntur: pro-

proponit ob oculos, & ad unum intuitum ſimul omnia peccata pro majori confuſione, & emendatione. Non invenit certus quidam Parens aliud remedium pro corrigendo ſuo filio, quàm quòd illi monſtraverit omnem illam in cumulo pecuniam, & ſuâ manu illam filius numeraverit, quam in luſu amiſerat. Ità contigit; & attonitus videns tantam ſummam; totáne ſumma hæc pecuniæ eſt, dicebat Patri, quam ego ludendo perdidi? Non ultra ludam, non ultra ludam, & continuavit ſummam numerare. Ecce hoc ipſum fiet in anima vidente & perpendente tot & tanta peccata. Juvat etiam quòad præſens pro quiete animæ, pro pace, & gaudio inexplicabili animæ. Hoc ità expertus eſt certus quidam Vir Nobilis, de quo refert noſter Pater Barry in ſolitud. qui peractâ confeſſione generali totius ſuæ vitæ, non comprehendente poſtmodum jubilum & exultationem animi, fortunata & benedicta hora, dicebat poſtea, in qua ego peregi iſtam confeſſionem; ſiquidem ego nunc vivo, ac ſi ex me quiſpiam ſuſtuliſſet pondus gravius & majus quocunque monte; & intra quinquaginta annos, quibus vixi, nunquam talem ſenſi voluptatem & gaudium, prout nunc ſentio. Juvat iſta confeſſio generalis in futurum, quòd ſi nos repente mors opprimat. O DEUS! poſſum atteſtari, quòd omnes quibuſcunque aſtiti in illo tranſitu, cum magnis anxietatibus voluiſſent pro tunc peragere confeſſionem generalem totius vitæ. Omnes repetunt: accuſo me de omnibus peccatis totius vitæ meæ, & optarem pro nunc recordari omnium, & omnia confiteri; hoc dico, repetunt ſemper. Jam quantò major conſolatio, quantò major ſecuritas pro illo tranſitu erit, ſi quandóque hoc factum fuit per confeſſionem generalem? Juvat denique iſta confeſſio generalis ad vincendum diabolum, & liberandum nos ab ejus aſſutiis.

X. Boñæ, civitate Germaniæ, refert Cæſarius Spec. Exemp. *V. Confeſſio*, Exemp. 2. quidam Parochus, qui vivebat in turpi amicitia cum quadam muliere, dicta Aleyde, in pœnam tantorum ſcandaloſorum ſacrilegiorum, fecit tandem publicam ſuam damnationem ſua morte, ſiquidem ſuis propriis manibus ſeipſum ſuſpendit. Cauſavit in Aleyde tantum horrorem viſio hujus ſpectaculi tam horribilis, & conſideratio, qualiter jam in Tribunali Divino facta fuerit mentio ſuorum peccatorum, ut illô ipsô momentô cum vera diſplicentia, & hor-

horrore illorum, deſeruerit mundum, & intraverit Monaſterium ad ſanctam peragendam vitam. Inceperat jam ibi novam cum ſummo fervore vitam; ſed quodam die, dum proſpiciebat ex feneſtra, quæ proſpectum habuit ad clauſuram Monaſterii, conſpexit diabolum, qui firmus ſtans ſuper oram alicujus putei, extendeb t ungues, volens eam apprehendere, & in profundum putei demergere; ſed illa defendendo ſe, cecidit retrorſum tota extra ſe facta. Accurrerunt Moniales, deportârunt illam ad lectum, iterum ad ſe rediit: ſed ab illo tempore non ceſſavit diabolus illam perſequi, objiciendo ſe viſibiliter illius oculis, & modò per blanditias, modò per minas adlaborabat, & procurabat eam attrahere in perditionem. Quid agis iſthic? dicebat illi; malè tractando divitias, & abundantiam, cum quibus poſſes vivere læta, dives, & in deliciis? Illa autem: totus meus dolor eſt de illo tempore, in quo tuis credidi mendaciis, & tuis deceptionibus? Abſcede hinc maledicte. Exinde in illam crudelitates adhibens, continuò illi cauſabat iteratas moleſtias. Suadebant illi Moniales, ut aquâ benedictâ ſe adjuvaret, cruce ſe ſignaret; ſed quantumvis ad aliquod tempus diabolus diſceſſiſſet, immediatè tamen redibat. Dixit illi quædam ſenex Monialis, ut videndo illum pronuntiaret immediatè clara voce: *Ave Maria.* Fecit hoc taliter Aleydis, & illico indignabundus ſe ſubducebat diabolus, & clamabat voce magna: Ignis ſit in ore iſtius Vetulæ, quæ tibi hoc ſuaſit. Hoc ergo facto, etiamſi non ceſſaverit diabolus ſe illi monſtrare, nec illa eum videre, & audire, tamen jam ſinè timore, & omni horrore, nihil ipſum ultra curabat. Narravit occaſionaliter, quod ſibi contigerat, cuidam Sacerdoti, & hic eidem conſuluit, ut faceret confeſſionem generalem totius ſuæ vitæ; & certè experturam omnimodâ, atq; ex toto libertatem ab omnibus infernalibus moleſtiis. Statuit hoc ſic exequi Aleydis; examinavit quàm exactiſſimè ſuam conſcientiam; & quando jam exibat ex ſua cella ad confeſſionale, proceſſit illi obviam diabolus, & dixit irâ maximâ repletus: *Quo vadis?* Et illa intrepida: *Vado confundere me, & confundere te.* Ità factum fuit; quia immediatè, peracta ſua confeſſione generali, nunquam ampliùs ſuum vidit inimicum, tranſigendo abhinc poſtmodum in imperturbata pace ſanctam ſuam vitam. Iſta eſt rationum

transactio, per quam cassamus diabolo omnes processus quoscunque contra nos potest habere; nimirum confessio generalis.

O! & utinam omnes animentur lucrari istam adæquationem & compositionem beatam rationum animæ! Confessio est clavis cæli. Igitur confessio generalis, est clavis generalis, quæ aperit animæ totam suam quietem; pacem in vita, requiem in morte, & post mortem gloriam. XI.

INSTRUCTIO XXIII.

De tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Satisfactio.

SUperabundans amor fuit supremi naturæ authoris, quòd, quando nobis præparabat tam amabilem pro sanitate medicinam, fecerit nobis pariter tam odiosa gustui omnia medicamenta; ità, ut pari passu, quò appetitur per medicinam deperdita sanitas, illa sciatur æstimari, ideo experiatur appetitus in medicamentis suas amaras sorbitiones pro illa reparanda. Quis immoderatus retraheret manum suam à suis excessibus, & immoderationibus? quis gulosus heluo sibi temperaret à suis intemperantiis, si omnes morbi immediatè curarentur per sorbitionem congelatorum refrigerantium, vel per favum mellis? Non; experiendum illi est post pessimos mores dum infirmatur, *id*, quod amarum, insipidum, & molestum est medicamentorum; & hic timor refrænat non paucas intemperantias, & excessus. Fuit ergo amor: facere remedia tam odiosa gustui, ut timorosus se contineret appetitus; ut sciatur æstimari sanitas, priusquam amittatur: *Ità hoc quoque, quod odimus, hominum causâ excogitatum est*, dixit admirabiliter Plinius lib. 23. Et jam, sicut ille ipse, qui est author naturæ, est etiam author gratiæ, hoc ipsissimo amore disposuit optimam medicinam pro anima in confessione; & quando in illa nobis præparavit totum amabile gratiæ in gratia, ut illam sciamus æstimare, nè tam facile in morbum incideremus peccatorum, copulavit eidem amarum satisfactionis, & Pœnitentiæ. I.

II. Ista est pars in hoc Sacramento ex illis, quæ tangunt Pœnitentem, quam jam nunc aggredimur. Vidimus jam duas primas partes essentiales, *Contritionem*, videlicet & *Confessionem*; sequitur *Satisfactio*; quæ est tertia pars hujus Sacramenti, quam vulgariter vocamus Pœnitentiam, quam nobis imponit Confessarius, ad quem ob suam authoritatem spectat illam nobis imponere; cum illi Vita nostra Christus JESUS concesserit in hoc Sacramento utramque jurisdictionem, ligandi, & solvendi; non solum solvendi Animas à peccatis suis per absolutionem; sed etiam ligandi per Pœnitentiam. Ista ergo, etiamsi pars sit confessionis, non est tamen pars essentialis, sed integralis; volo dicere, quòd pro valore Sacramenti, ut in illo quis consequatur gratiam, illam posset consequi Pœnitens, quantumvis illi non imponeretur Pœnitentia, sicut contingit in naufragio, in casu mortis repentinæ, quo casu confertur absolutio sinè impositione pœnitentiæ; sed extra tales casus peccaret Confessarius mortaliter si illam non imponeret; & pœnitens, si illam nollet acceptare, præsuppositô: illam esse rationabilem, & justam, non posset absolvi; demonstrando taliter suam exiguam dispositionem in tali inobedientia; acceptatâ ergo tunc pœnitentiâ, & perceptâ absolutione, remanet validum Sacramentum, etiamsi postmodum non adimpleat pœnitentiam, & nec est necessarium istam repetere confessionem; attamen erit obligatus confiteri peccatum commissum de non adimpleta pœnitentia, & erit peccatum istud mortale, si pœnitentia gravis fuit, & pro peccatis gravibus imposita, si defuit justa excusatio illam peragendi. Homo sinè brachio, homo est; sed deest ipsi magna pars ad operandum, & se defendendum. Ità pariter dico, confessio sinè satisfactione, confessio est; sed deest illi brachium, vel ad operandum hìc per satisfactionem pro suis peccatis cum pœnitentia; vel ad defendendum se in altera vita à terribilibus purgatorii pœnis.

III. Jam ergo insinuavi, quid sit satisfactio. *Est*, dicit Catechismus, *Persolutio per opera pœnitentiæ pœnæ debitæ nostris peccatis etiam post absolutionem.* Qui alium offendit, ad satisfaciendum ei facit omnes illas actiones, quæ, cum sint illi gratissimæ, tendunt ad tollendam injuriam, ad recompensandum damnum, ad delendam offensam. Et etiam post recuperatam jam amicitiam, videmus du-

rare

rare ſimilem ſolicitudinem ſatisfaciendi in illo, qui cor nobile gerit. Refert Joan. Hubert. in Hiſt. Polon. Anno 1331. Vincentius Samoſutus Palatinus ab Vladislao Rege Poloniæ, Præfecturâ ſuâ privatus, adeò hoc dedecore exacerbatus eſt, ut ad hoſtes defecerit, multásque clades Vladislao intulerit; quo factum, ut Rex Vincentium ad reditum ſolicitaret. Hic ſuam pertæſus perfidiam, fidem Regis tentaturus, omnibus inſciis ſolum Regem convenit, & pronus, anteactæ vitæ perfidiam ingenuè confeſſus, ſpondet ſe cum lecta militum manu, tantam ſtragem hoſti i laturum, ut injuriam Regis, ac Regno partam, abunde compenſaturus ſit. Vladislaus Palatinum ſupplicem comiter excepit, & priſtino honori reſtituit. Et tunc ille tantò magis pœnitens, videndo in Rege tantam clementiam, id quod promiſerat, executus eſt oblato omni ſuo ſanguine ad ſatisfaciendum illi Regi tam benigno. Utinam ſic, cum infinities majore ratione, nos hoc faceremus cum DEO, quando etiam benigniùs nos recipit, poſtquam fuimus ejus traditores & rebelles. Certum eſt nunquam poſſe dignè ſatisfacere homines DEO offenſo; attamen dum nobis dat ejus Bonitas infinita illud ipſum, quo ei poſſimus ſatisfacere, quod eſt nimirum ejus gratia, cum hac omnia noſtra bona opera, ſive illa ſint mortificationes corporis, ſive actus aliarum virtutum, omnia illa admittit & acceptat pro ſatisfactione, & omnia hæc opera pœnitentiæ hìc vocantur: *Perſolutio per opera pœnitentiæ*;

Sed eum in modum, quo arbor Myrrhæ duplicem dat fructum. Unum dat per ſe, abſque eò, quòd tangatur; alterum verò dat vulnerata, & diſciſſa; & licèt primus fructus ſit myrrha magis odoroſa, tamen ſecundus eſt myrrha uberior: *Inciſione uberior*; Ità, etiamſi omnia opera bona, mortificationes, pœnitentiæ, quas nos facimus ex noſtra voluntate, ſint ſatisfactoria; illa tamen quæ nobis imponit Confeſſarius in Sacramento, ſunt, quia hìc uniuntur cum ſpeciali titulo meritis JESU Chriſti, ſunt inquam, efficaciora majoris meriti, & majoris ſatisfactionis. Quamobrem jejunium factum, eò, quòd nobis impoſitum fuerit pro pœnitentia; meretur plus, & ſatisfacit plus quàm jejunium peractum ex noſtra voluntate. Unde eſt conſilium utiliſſimum, & maximè proficuum, ut quilibet petat à Confeſſario, quatenus illi aſſignet, & imponat pro pœni- IV.

tentia omnia illa bona opera, quæ fecerit ab hac uſque ad ſequentem confeſſionem.

V. Bene, Pater. Sed tamen nondum intelligo, quomodo ſit cum iſta ſatisfactione, ad quam ità obligati ſumus; & dicam meam rationem: quia, ſi confeſſis cum vero dolore, cum abſolutione, nobis, jam condonantur peccata, ſi nos DEUS in ſuam admittit gratiam, in ſuam amicitiam; condonatis peccatis, quid nobis reſtat ſatisfaciendum? Hoc ego dicam: in quolibet peccato mortali duo mala ſunt: *Duo mala fecit populus meus*; Jer. c. 2. v. 13. Unum eſt, vertere tergum DEO, relinquere illud bonum infinitum, incommutabile & æternum; Alterum: convertere ſe ad vilitatem, turpitudinem, & improbitatem alicujus creaturæ. Iſtis ergo duobus malis correſpondet juſtiſſima pœna: averſioni à DEO, à bono æterno, correſpondet pœna damni, quæ eſt privatio viſionis DEI pro ſemper; converſioni ad creaturam, correſpondet pœna ſensûs in ſenſibilibus tormentis in inferno; utraque pœna erit æterna, quia æternus & infinitus DEUS eſt, cui tergum vertit peccator, & unde ſeipſum privat viſione DEI. Omnia iſta fecit unicum peccatum mortale. Jam autem pœnitenti peccatori in Sacramento Confeſſionis, dum confitetur ſuum peccatum cum dolore, illud DEUS ei condonat, & admittit illum in ſuam gratiam; hoc eſt: illum rurſus admittere ad ſuam viſionem, & condonare omnem pœnam illum non videndi, quæ debebat eſſe æterna; ſed condonatâ taliter pœnâ æternâ, non ſemper condonat in confeſſione pœnam temporalem, quâ vult ſibi à nobis ſatisfieri ex parte noſtra, vel in hac vita per mortificationes, vel bona opera; vel in purgatorio per inexplicabiles cruciatus, & terribilia tormenta. Non ſemper, dixi; quia quandoque poteſt eſſe uſque adeò perfecta, intenſa, & pura contritio peccatoris, ut non ſolùm illi condonetur pœna æterna, ſed etiam temporalis, & evolet in unico momento in Paradiſum. Ità hoc ſcimus de aliquibus glorioſiſſimis Pœnitentibus; quia tamen non eſt noſtra contritio in tantum accenſa, & perfecta, etiamſi per confeſſionem nos reponamus in gratiam DEI, etiamſi ſimus jam amici ejus, & etiamſi nobis hac de cauſa condonetur pœna æterna, nihilominus tamen remanet nobis ſolvenda hic pœna temporalis per pœnitentiam, vel luenda in purgatorio per immania tormenta. Poſito:

Aliquis

Aliquis Pater, qui ob gravia delicta expulit filium proprium ex VI.
ſua domo, illum exhæredavit, non amplius recognoſcens eum pro
filio; ſi ille jam reſipiſcens, & compunctus redit, & illum Pater
admittit, in ſuam gratiam recipit, & ad hæreditatem, per hoc jam
oblitus delictorum præteritorum, jam illi condonavit pœnam, quâ
illum exhæreditaverat; ſed ab illo petit, quatenus, priusquam illi
detur hæreditas, eat ad bellum, ut factis heroicis deleat, quòd
maculaverit ſuam famam juvenilibus ineptiis & exceſſibus; nunquid
talis petitio juſtiſſima eſt? Jam ſi DEUS ſuô proprio Filio naturali,
ſuo Filio DEO, ſolummodo ideo quia in ſe noſtras aſſumpſit culpas,
non pepercit, ſed fecit ut illas exſolveret tantis tormentis, imò ipſa
morte; à filiis adoptivis, quos de novo recipit in ſuam gratiam,
cùm condonet æternam pœnam, quæ illorum merebantur peccata,
admittit ad ſuam infinitam hæreditatem; nunquid multum petit, po-
ſtulando ab illis, quatenus pœnis temporalibus ſatisfaciant ſuæ juſti-
tiæ? Iſtud argumentum eſt Sancti Pauli. Sumus Filii DEI per grati-
am? Ità eſt. Ergo ſi ſumus filii, ſumus etiam hæredes: *Si autem fi-
lii, & hæredes*; ad Rom. 8. v. 17. Sed ſi ſumus hæredes DEI, eri-
mus cohæredes JESU Chriſti; de hoc nullum eſt dubium: *Hæredes
quidem DEI, cohæredes autem Chriſti.* Omnia iſta certa ſunt. Jam
autem quid exinde ſequitur Sancte Apoſtole? Quid? Sequitur: quòd
ſi Filius naturalis DEI, ſolummodo ideo, quia in ſe noſtras culpas aſ-
ſumpſit, debuit tanta pati; debemus nos ipſum comitari per pœni-
tentias, eò quòd in ſocietate illius debeamus conſequi gloriam: *Si
tamen compatimur, ut & conglorificemur*; ibid. Videte hic igitur,
qualiter poſt conſecutam gratiam in confeſſione, qualiter poſt con-
donata peccata, cum his omnibus, etiamſi nobis condonetur pœna
æterna, nihilominus remaneat pœna temporalis, quæ à nobis ſol-
venda eſt vel hic per ſatisfactionem, vel illic in Purgatorio per ſatis-
paſſionem horribilium tormentotum.

Certus quidam Peccator perditiſſimus, qui commiſerat pluri- VII.
ma, & enormiſſima peccata, timidus ratione pœnitentiæ, recuſa-
bat illa confiteri. Dixit hoc Sanctæ Lidvinæ, & etiam eidem retu-
lit omnia ſua peccata, quantumcunque Sancta recuſaverit illa au-
ſcultare; tamen illi prudens Virgo dixit: Vide, ſi ego Confeſſarius
eſſem, pro omnibus iſtis peccatis nihil plus tibi darem, quàm unicam

ſuaviſſimam pœnitentiam. Facerésne illam? Ità ego illam faciam. Ecce nihil à te plus peto, niſi ut per unam noctem in tuo molli & delicato lecto jaceas ſupinus, abſque tui verſione ad unum vel alterum latus. Hoc, reſpondit ille ridendo, abſque omni dubio perficiam. Cœpit nocte ſequente hoc exequi, & in lecto collocatus, poſt elapſum breviſſimum ſpatium temporis, cœpit nauſeare, & volebat ſe vertere. Reſiſtebat tamen, & creſcente magis & magis moleſtia, videbatur illi lectus totus ſpinis eſſe repletus, quæ per omnes partes illum pungebant. Sufferebat tamen, & tali modo creſcente ob diuturnitatem temporis anguſtia: incidit illi cogitatio; ſi bene me habente, & vivente ſano, ſinè aliquo dolore, in lecto tam molli, inter lectiſternia hollandica, tantum me cruciat ſolummodo iſtud, quod me vertere non poſſim; quid erit in inferno inter flammas, inter cruciatus, circumdatum viperis, & buffonibus, non poſſe me vertere nec quidem in minimo per totam æternitatem? Iſta cogitatio illum in tantum rapuit, ut mutato ſuo corde, vix orto ſole, volaverit quærere Confeſſarium, cui confeſſus eſt omnia ſua peccata, paratus peragere pœnitentias, etiamſi forent toleratu graviſſimæ, & maximè terribiles. Ah Dilectiſſimi! ſi formaremus debitum conceptum de illo, quid ſit in inferno pœna æterna; quàm ſuaves, quàm dulces nobis hic viderentur, etiamſi aſperrimæ pœnitentiæ; & quàm ſit infinita Miſericordia, quâ DEUS nobis illas commutat in Sacramento Confeſſionis.

VIII. Nihilominus tamen dicet mihi aliquis: cùm in Baptiſmo nobis condonet DEUS, non ſolùm omnia peccata, ſed etiam omnem pœnam; quare in Confeſſione, ſicut condonat peccata omnia, non condonat etiam omnem pœnam? Propter hoc ipſum, reſpondet Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 8. de Pœnit. quia cùm jam nobis fecerit in Baptiſmo tam infinitum beneficium, quandoquidem miſericors vidit ante Baptiſmum peccata fuiſſe ignorantiæ, hac de cauſa condonavit illis etiam totam pœnam; poſt Baptiſmum dum ſumus facti jam ſui filii, liberati à diabolo, & effecti templa Spiritûs Sancti, ſcientes id: quod perdidimus, cognoſcentes noſtrum damnum, nihilominus tamen cum omnibus his illum offendimus, meritò igitur ejus exigit juſtitia, ut poſtquam rebellis noſtra voluntas in graviora peccata relapſa fuerit, redeat debita ſatisfactione per pœ-

pœnitentiam in gratiam. Quia autem misericordia DEI supe omnia opera ejus, justitia cedere debet: voluit igitur persolvere nos istam partem pœnæ, ut illa nos refrænaret, nè altera vice redeamus ad culpam; siquidem, sicut jam dicebam sanitas, quam cum majori labore reparavimus, & cui restaurandæ majorem curam adhibuimus, multò solicitius custoditur, & magis illi attenditur: *Omnis curatio, quantò difficiliùs acquiritur, tantò acquisita cautiùs custoditur*, dixit Sanctus Gregorius in 1. Psalm. Non tam facilè se quis immittit in rixas, qui probavit & expertus est harum pessimos effectus. Plus dicit Sacrum Concilium Tridentinum loc. cit. Istæ pœnitentiæ sunt sicut aliqua cura, quæ fit cum convalescente; aufertur illi aqua, prohiberur esus fructuum, intimatur dieta. Et quare hoc? Ut reliquiæ infirmitatis tollantur, & nè rursus recidivam patiatur. Ecce hoc etiam faciunt Pœnitentiæ in anima: *Medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus tollunt.* Quapropter etiam ista pœna, quæ à nobis DEO est persolvenda, est effectus sui infiniti amoris.

IX. Sed, si nostra Vita Christus JESUS, satisfecit cum infinito excessu valoris pro omnibus peccatis totius mundi, in quem finem à nobis petitur nostra propria satisfactio? Ut possimus frui totâ illa satisfactione Vitæ nostræ Christi JESU, qui in tantum illam nobis applicabit, in quantum ex nostra parte adhibuerimus diligentiam. Dat nobis in fonte omnem aquam inexsiccabilem suorum meritorum; dat nobis situlam, & funem, quâ possimus haurire; ista est gratia & auxilium. Quid igitur deest? ut nos brachiis expansis illam attrahamus, ut adhibeamus nostram industriam & laborem, & nostram diligentiam. Eja igitur agite; quilibet videat quantum sit illud, pro quo ei satisfaciendum est; quantum sit illud, quod debet; extendamus manus ad opera, & manus ad pœnitentiam, & faciamus nos totos manus, nam omnia sunt necessaria pro facienda integra satisfactione.

X. Ah qualiter hoc demonstravit Dominus in quodam somno, per quandam haud dubiam metaphoram cuidam Monacho, vocato Antiocho juxta relationem Sancti Joannis Climaci, gra. 4. de Obed. Casus fuit: quidam Vir animadversis mundi fraudibus & deceptionibus, statuit intrare in quoddam observantissimæ disciplinæ Monasterium. Suscepit habitum, & in illa ipsissima prima nocte recollectus

ctus ad ſomnum, vidit duas perſonas, quæ allatis aliquot libris, poſitísque ſupra certam menſam, illum vocaverunt: Antioche inſpice tua ratiocinia. Vidit immediatè in ſuis libris ſcripta omnia onera debitorum totius ſuæ vitæ, quæ calculantes poſtmodum illi duo ſupremi calculatores, monſtrabant illi debere ipſum centum libras auri. Diſparuit viſio, & ad ſe reverſus Antiochus, nihil aliud faciebat quàm attonitus & ſuſpenſus ſibi ipſimet repetere non ceſſabat: Antioche, Antioche multa reſtant ſolvenda: *Multa nomina reſtant expungenda.* Iſta cogitatio illum tali modo inflammavit, ut concluſerit aggredi cum dolore ſolutionem; & ad hoc ſe applicavit cum admirabili diligentia, & cum tota regulari obſervantia; auſterus fuit in pœnitentiis, abſorptus in contemplationibus, mutus in ſilentio, fervidus in oratione, continuus in jejuniis, patientiſſimus in injuriis, & in omnibus admirabilis; erat itaque ſpeculum Monaſterii. In tali vita tranſegerat jam tres annos, quando rurſus alia nocte vidit illos duos ſeveros calculatores; Hi, Antioche, dixerunt illi: cogitásne te multum feciſſe? Ecce ſolummodo compenſâſti decem libras: nonaginta adhuc tibi reſtant perſolvendæ. Diſparuerunt, & Monachus ſtimulatus per hoc tantò amplius, ſtatuit pro habendis pluribus occaſionibus patiendi, & ſolutionem præſtandi, fingere ſe ſtultum. Ità hoc fecit, & poſt paucos dies factus eſt ſcopus vexationum, irriſionum, & contemptuum. Erat oblectatio & riſus puerorum, tamen ad omnia mutus: onerabant illum ac ſi eſſet aliquod jumentum, officiis laborioſiſſimis Monaſterii, nec uno quidem requieſcebat inſtanti, & ad hæc omnia reſpondebat intrà ſe ipſum ſolummodo hoc: *Antioche, memento debiti.* In ſimili vita plena defatigationibus, laboribus, & patientiâ, tranſegerat jam tredecim annos, tunc apparuerunt illi terribiles iſti rationum calculatores, & monſtrantes ſyngraphum jam ex integro albam, dixerunt, illum jam exſolviſſe totum ſuum debitum. Fortunatiſſima novalia! Sed ſedecim anni erant neceſſarii vitæ tam admirabilis, & pœnitentis pro ſolutione peragenda.

XI. Quilibet veſtrum dilectiſſimi mei, dicat ſibimet ipſi: *Memento debiti.* Quanta, & quàm gravia fuerunt noſtra peccata? Ego concedo (& utinam ità ſe res habeat) jam in confeſſionibus benefactis, eſſe condonata quòad culpam, & quòad pœnam æternam; ſed quoad

quòad temporalem quantum erit noſtrum debitum? Igitur *memento debiti*; habeamus hoc ſemper in memoria perſolvendo illud omni die per pœnitentiam, ut conſequamur ſortem, & fortunam videndi jam albam chartam, & ſyngraphan debitorum noſtrorum, in qua inveniamus decretum fortunatum æternæ gloriæ.

INSTRUCTIO XXIV.

Quanta debeat eſſe Pœnitentia pro noſtris peccatis, ut ſit totalis ſatisfactio.

I. UNitâ in cælo cum igne aquâ, obductísque hinc inde tenebris, dum tempeſtatem nigra nubes minatur; dúmque laxatis poſtmodum contrariis elementis undique fulmina micant, quantùm te refacit ignis, tantum refocillat aqua: quantum mugiunt, ac terrent tonitrua, tantum lætificat, & fœcundat ſua placida irrigatione pluvia. Ità ex illo, qui videtur eſſe rigor, fecit Divina Providentia beneficium: *Fulgura in pluviam fecit*, Pſal. 134. dicit obſtupefactus David. Fecit in pluviam fulgura: ſiquidem qui ità ſcivit unire aquam, & ignem, melius ſcit conſociare cum benignitate rigorem; & omnia hæc pro noſtro bono. Sed non fit hoc ſolum in cælo materiali, reſumit Sanctus Auguſtinus: Etiam in cælo Pœnitentiæ adunat Dominus fulmina, quæ perterrefaciunt rigore, mortificatione, aſperitate; ſed finaliter ſunt fulmina, quæ ſolummodo ſerviunt pro paranda via pluviæ immenſæ favorum, imbri copioſo gratiæ: *Fulgura in pluviam fecit, cum pœnitendo corrigeris*, dicit Magnus Auguſtinus, *& agnoſcis hoc miſericordia fieri: in pluviam vertitur fulguris terror.* Iſtud ergo beneficium immenſum, iſte favor admirabilis, quem nobis exhibuit Vita Noſtra Chriſtus JESUS, relinquendo nobis in rigore Pœnitentiæ, & ſatisfactionis pro noſtris peccatis pluviam, qua poſſumus extinguere ignem pœnæ, quæ illis correſpondet, vellem breviter vobis hodie ob oculos ponere, non jam ad cauſandum terrorem in cordibus tonitruis, non ad incutiendum in anima horrorem fulminibus; non, ſed ad monſtrandum, quantam fortunam habeamus obtinendi (ſi obtineamus in hac

vita, facere Pœnitentiam dignam de noſtris peccatis) obtinendi, inquam pluviam, quâ poſſimus extinguere pœnas, quæ nos expectant in Purgatorio: *Fulgura in pluviam fecit.*

II. Quæ pœna temporalis correſpondeat cuivis peccato, etiam poſtquam DEUS illud condonavit quòad culpam, ſolummodo ſcit ille Dominus, in cujus inſcrutabilibus judiciis ſunt rectiſſimæ bilances, quæ, ponderando cujuslibet culpæ temporalis gravitatem, exactè æſtimant, etiam poſt condonationem quòad pœnam æternam, quanta debeat eſſe pœna temporalis, quæ illi correſpondeat. In Divinis ſcripturis videmus, quòd etiam condonatô Davidi peccatô adulterii, auferat DEUS in pœnam, vitam filiolo: & poſtea pro peccato numerationis populi, etiamſi illi condonet quòad culpam, nihilominus in pœnam auferat vitam ſeptuaginta millibus hominum. Videmus quòd in Hebræis, caſtigando alias murmurationes non tam gravibus pœnis, Numer. 14. puniat in illis aliam murmurationem contra ſuam Divinam Majeſtatem, computando illis annum integrum pœnæ, pro quolibet die delicti, *Juxta numerum quinquaginta dierum, annus pro die computabitur, & quadraginta annis re ipietis iniquitates veſtras.* Quis aſſequitur tam alta judicia? In hiſtoriis Eccleſiaſticis videmus caſtigationes, & pœnas tremendas purgatorii pro peccatis, quæ non videbantur tam gravia. Quis non contremiſcet recogitando tam juſtas, quàm ſeveras bilances?

III. Jam igitur, quæ ſatisfactio, quæ pœnitentia erit ſufficiens pro ſatisfactione illius, quod debemus pro noſtris peccatis? O quæ interrogatio! pro cujus reſponſione vellem, meam vocem fore ignem ad tollendam, & deſtruendam tepiditatem, inſipientiam, & ariditatem noſtrorum cordium! Quanta pœnitentia erit neceſſaria? Dicam, ſinè exaggeratione, quod fuit ſtyli Eccleſiæ; quod fecerunt Sancti; & iſta erit mea reſponſio, ſed & erit ſimul noſtra confuſio in tali interrogatione. In primitiva Eccleſia, refert Tertullianus, & alii graviſſimi Patres, & conſtat ex Canonibus Pœnitentialibus: Pœintentia, quæ imponebatur, & perſolvebatur pro peccatis commiſſis erat: Primò non intrabant in Eccleſiam Pœnitentes, ſed remanebant ad limen Eccleſiæ, ſeu ad portam templi. Et quomodo? Veſtiti ſacco, cooperti cilicio, & cinere conſperſi in corpore: incedebant, durante tempore ſuæ pœnitentiæ, abſciſſis capillis; nunquam

quam comparebant nec in conviviis, nec in ſpectaculis, nec in lætitiis, non utebantur balneis, nec equitabant iter facientes: determinatis diebus intra ſeptimanam jejunabant in ſolo pane, & aqua, & reliquis diebus nec comedebant carnes, nec bibebant vinum, nec tangebant alios cibos delicatos. Supra hæc omnia tempore pœnitentiæ negabatur illis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, excepto die Paſchatis, & hora mortis. O quæ ſeveritas! O quis rigor! & omnia iſta per quantum ſpatium temporis? In certis peccatis per tres annos; in aliis per quinque, in aliis per ſeptem annos. Et erátne hoc ſolummodo pro peccatis atrocibus, enormibus, graviſſimis? Non. Propter unicum perjurium ſolum: *perjurus* juxta canonem pœnitentialem 20. *Quadraginta diebus in pane, & aqua jejunet, & ſeptem annis ſequentibus pœniteat, & ſemper debet eſſe in pœnitentia, ſcilicet interiori*; Propter adulterium, can. 45. *Pro perjuro, adultero, homicidio dantur pro pœnitentia regulariter ſeptem anni, & ſimiliter pro fornicatione, licèt non ità aſpera pœnitentia injungatur*: Propter unicam blaſphemiam, can. 30. Siquidem in peccatis magis enormibus erat per totam vitam illa pœnitentia. Et hoc ſtatuerunt homines, & viri Sanctiſſimi, & Pientiſſimi; ità ſtabilierunt hoc in variis Conciliis. O DEUS, tantus rigor? Ex hoc colligere nobis licet, quid ſit Purgatorium, quales ſint illius pœnæ; quas abſque dubio pati debebimus, ſi hic non fecerimus debitam ſatisfactionem.

IV. Sed quid vos terrent omnia iſta? Conſideremus, & inſpiciamus unum Sanctum Jacobum Eremitam decem annis commorantem in ſepulchro inter oſſa mortuorum elevato indeſinenter capite ad cælum ſinè alia alimentatione quàm herbarum, quæ in illa naſcebantur vicinia. Et quare egit pœnitentiam tam terribilem? pro unico ſolo peccato fragilitatis humanæ. Inſpiciamus Sanctum Dominicum Loricatum, ità dictum: quia veſtitus ad carnes nudas erat loricâ ex chalybe, quâ nunquam ſe ſpoliavit usquedum fuiſſet vitâ ſpoliatus; & per totam vitam ſuam jejunabat omnibus diebus in pane, & aqua, & die Dominica ſolummodo ſumebat præter panem & aquam, aliquas herbas. Et nunquid hic ſiſtebat? Intrà ſolum ſpatium quadrageſimæ infligebat ſibi ſexcenta millia plagarum: & hoc toto ſpatio ſuæ vitæ? Ità eſt: & pro quibus, & qualibus peccatis? Unicum ſolum

lùm recognoſcebat, & recogitabat, & erat illud, quod tali modo exſolvebat, dicit Cardinalis Petrus Damiani, qui hoc refert: & erat, quod Pater ipſius (non ille ipſemet) non ſcio quale munus fecerit cuidam Epiſcopo, quatenus illi conferret beneficium Eccleſiaſticum, & iſta ſimonia, cui ſolummodo dedit conſenſum, erat illud peccatum, quod taliter exſolvebat. Videamus relinquendo innumerabiles ex antiquis, videamus Sanctum Petrum de Alcantara, cum vita Sanctiſſima, & inſimul cum pœnitentia horribili; Virginem Roſam, Magdalenam de Pazzis, Thereſiam, ſemper laceratas ciliciis, diſciplinis, jejuniis, ſpinis. Videamus omnes Sanctos, omnes ſtillantes ſanguinem ex vi pœnitentiarum; omnis illorum ſuſtentatio, & cibus fuit cum amaritudine, illorum dormitio cruciatus ſupra terram, ſupra aliquem lapidem, vel in aliquo aſſere; illorum tota vita mors continua; ſemper mortificati, ſemper afflicti, ſemper cruciati. Nunc igitur ego quæro; qualis erit ſufficiens ſatisfactio, & pœnitentia pro noſtris peccatis? Comparemus noſtram vitam cum illorum vitis, pœnitentiam quam facimus cum illa, quam illi peregerunt; & cùm poſt mortem nobis dicat Sanctus Petrus de Alcantara: felix pœnitentia, quæ mihi promeruit tantam gloriam; quid dicturus eſt ex oppoſito, qui nullam planè peragit? infelix mollities, quæ mihi nunc reliquit tantas pati pœnas!

V. Audio hic mihi objicientem: quare igitur, Pater, confeſſarii nobis imponunt non ſolùm certas pœnitentias tam faciles, ut reſpectu omnium dictarum vix mereantur nomen pœnitentiarum, ſed etiam tam breves? Valde bene interrogatis. Sed hæc eſt maxima infelicitas noſtrorum temporum, quòd devenerit tepiditas ad talem ſtatum, ut, cùm ſint tanta, & tam gravia peccata, quæ committuntur, contra pœnitentias proponantur, & opponantur tales difficultates, tales excuſationes, talia impoſſibilia, ut vix inveniant modum medici animarum, quomodo applicanda ſint remedia talibus vulneribus. Si imponitur pro pœnitentia jejunium in ſatisfactionem pro multis peccatis luxuriæ, dicit mihi pœnitens ſe habere debilem ſtomachum, & ſe non poſſe jejunare: ſi imponitur diſciplina, cum adſit locus committendi occultas multas fraudes, non adeſt locus, nec tempus, nec in ſua domo, nec extra illam pro illa facienda: ſi imponitur aliqua eleemoſyna, ſe excuſant cum debitis; ſi cilicium, cum

cum indiſpoſitionibus, & ideo omnes ſunt iſtæ indiſpoſitiones, ùt non peragatur pœnitentia. Jam quid debent facere Confeſſarii? Se accommodant cum diſcretione benigna, nè quid plus deperdant: incedunt cum ſuavitate ùt Patres, nè ob timorem pœnitentiæ perdatur confeſſio; & finaliter cum prudentia perpendunt, ſatiùs eſſe, cum pœnitentiis levioribus adimpiendo illas remanere aliquid patiendum in purgatorio, quàm cum pœnitentiis gravibus non adimpletis vadere animas ad infernum. Sciant igitur, & intelligant, omnes generaliter pœnitentias, quas pro gravibus culpis imponimus nos Confeſſarii, non eſſe ſufficientes ſolas pro ſatisfactione totali pro noſtris culpis; & quod ſi non fiant multæ pœnitentiæ, multas, & valde terribiles eſſe pœnas, quæ illic in Purgatorio nos expectant.

VI. O ſi foret fervor Pœnitentium tam purus, ô ſi foret dolor tam verus, ſicut eſſe deberet, quomodo nos ipſimet faceremus inſtantias, & rogaremus confeſſarios pro majori & majori pœnitentia, pro aſſecuranda magis, & magis noſtra felicitate. De quadam muliere, refert Cæſarius, quòd interrogaverit certum ſacerdotem, quam pœnitentiam debeat facere mulier, quæ peccatum commiſit cum ſacerdote? Reſpondit ille mulieri cum joco, & cum valde ſtulta, & imprudenti facetia, talem non poſſe obtinere condonationem, niſi ſe injiceret in furnum ardentem. Illa plena contritione, & mota à ſuperiori impulſu, ocyus ſe injicit in furnum, & viderunt prodire ex flammis animam illius in forma alicujus columbæ, quæ evolavit in cælum, extrahentésque prout poterant corpus ejus ex flammis, & illud in campum abjicientes, eò quod ſeipſam occidiſſet, per cæleſtia lumina, quæ corpus circumdabant, monſtravit cælum, eò quòd non fuiſſet culpabilis ſui deceptio, acceptâſſe ſe fervidam illius ſatisfactionem. Alius quidam Juvenis in confeſſione, quam apud Sanctum Paduanum Antonium depoſuit, accuſavit ſe pede matrem ſuam impetiiſſe, & dixit illi ſolummodo ſanctus: mereretur abſcindi talis pes, qui talem rem fecit. Erexit ſe, & diſceſſit ab illinc, & ſinè ulteriori conſideratione, præ nimio dolore abſcidit ſibi pedem, licèt poſtmodum ipſemet Sanctus Antonius eidem rurſus illum reunierit cum magno miraculo.

VII. Non petimus tantùm; ſed ſi eſſet dolor de noſtris peccatis ille, qui eſſe deberet, ſi peteremus, & faceremus inſtantias apud Con-

feſſarium pro majori & graviori pœnitentia, & ſic hoc exequeremur, ſi maturè conſideraremus qualitatem tormentorum, à quibus nos liberat. Certus quidam Adoleſcens Nobilis, & bene accommodatus, narrat noſter Cardinalis Bellarminus, Dom. 4. Adv. conc. ult. poſteaquam aggreſſus fuiſſet vitam auſteriſſimam, & ſtrictiſſimam jejuniorum, diſciplinarum, & aliarum pœnitentiarum, dicentibus illi ſuis amicis & cognatis, ut ab his abſtineret, ut attenderet ſe eſſe valde delicatum pro tali vita; ob idipſum hoc facio, reſpondit, quia ſum adeò delicatus. Bene ego adverto, quòd nimirum duræ mihi acciderent pœnæ purgatorii: hac de cauſa elegi illas hujus vitæ, quæ tantò ſuaviores ſunt; quamobrem per hoc potius provideo meæ ipſiſſimæ delicationi. Quàm bene! ſi à nobis ſufferendum eſt ſinè remedio aliquod tormentum, vel ibi ignis inexplicabilis, vel hic certa jejunia, tam ſupportabilia; vel ibi cruciatus ineffabiles, vel hic cilicia & diſciplinæ; eligite nunc delicati, eligite nunc epulones: *Appoſui tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam;* Eccleſ. c. 15. v. 17. Pœnitentia hic, ſit illa qualiſcunque velit, in comparatione illius ignis purgatorii, eſt ſicut aliquod balneum, quod nullum adfert tormentum, ſed voluptatem; itaque eligite vel hic aquam, vel illic ignem. Et quem ignem? Jam ſcitis exemplum de illo Sancto Monacho, qui erat in articulo mortis, & deſiderabat ſuum videre Abbatem: ſed exſpiravit antequam Abbatem vidiſſet, ut narrat Manni de purgat. diſc. 1. n. 15. Involverunt corpus, diſpoſuerunt funeralia, & jam omnibus diſpoſitis pro officiis ſequentis diei, apparuit defunctus ſuo Abbati, & confeſſus eſt illi aliquos defectus, & peccata venialia, quæ commiſerat in lecto decumbens; & quòd illum huc DEUS ablegaverit, dicens, ut ſibi ab Abbate aſſignaretur pœnitentia. Videbatur Abbati, quòd poſteaquam illi deberet imponere pœnitentiam, non poſſet eidem leviorem aliam dare quàm iſtam: ſufficiet pro tua pœnitentia, dixit defuncto, ut maneas in Purgatorio, non diutius, niſi uſquedum tuum ſepeliamus corpus. Supererant adhuc paucæ horæ; ſed anima tunc dando gemitus, & voces, quæ per totum audiebantur Monaſterium, clamavit: ô crudelem Abbatem, ô pœnitentiam abſque miſericordia! Et ſic diſparuit, & monachi idcirco omni cum feſtinatione ſepulturam acceleraverunt.

Dile-

Dilectissimi mei, Pœnitentia absque misericordia videntur uni animæ solæ quatuor vel quinque horæ Purgatorii: quid erunt quatuor, vel quinque anni? quid erunt viginti vel triginta anni illarum pœnarum! Quantas itaque possumus pati in hac vita, etiamsi essent omnes simul, omnes, nihil erunt respectu illarum pœnarum. Igitur gravissimæ etiam, & maximè terribiles pœnitentiæ hic, omnes sunt Pœnitentiæ Misericordiæ. Lucremur ergo nobis misericordiam dum possumus: cùm sint tanta, & tam gravia peccata, nunquam nos poterimus assecurare, quòd illa exsolverimus cum tota debita satisfactione. Jam, quid exinde sequitur? Pœnitentia, pœnitentia usque ad ultimum punctum, ut semper magis nos assecuremus, & stabiliamus in gratia, & semper magis, & magis appropinquemus ad gloriam. VIII.

INSTRUCTIO XXV.

De Operibus satisfactoriis, & cum quanta suavitate illa possimus facere.

Die 31. Julii. die Festo Sancti Patris nostri Ignatii.

MAre non est ità amarum, quin piscibus non serviant pro maximis deliciis ipsæ ejus amaritudines, & quin ejus salsæ aquæ non serviant illis pro suavi lacte, in quo suam sustentant vitam. Non est, volo dicere, loquendo nunc in meliori sensu, non est tam amarum, sicut videtur, mare pœnitentiæ, ut ex ejus amaritudinibus non sciat fabricare DEUS animabus dulcissimam suavitatem lactis; *Inundationem maris quasi lac sugent*, Deut. c. 33. v. 19. Quòd si ex rebus amarissimis scivit ars fabricare pro gustu dulces, & delicatas conservas, ut vocant Pharmacopolæ; melius scit Divina gratia saccharo obducere omnes amaritudines. Sonat gemitum vox turturis, & est cantus: *Idem cantus & gemitus*; Symbolum Pœnitentis, in quo fletus oculorum sonat dulcissimum jubilum cordis: sub amaro cortice, abscondit nux dulcem fructum, quæ ideirco, ùt dicit Sanctus Hieronymus, repræsentat quàm optimè Pœnitentiam: *Amara quidem videtur ad* I.

præ-

præsens, sed fructus parit dulcissimos. Et finaliter per asperitatem, quam in suo trunco producit palma, pervenitur ad dulcem suavitatem suorum dactylorum; *Fructus quia dulcis, & asper.* Jam ergo, cur tantum timorem, cur tantum horrorem incutit mundanis etiam solummodo auditio nominis Pœnitentiæ, ut illis videatur esse illa terra, quæ deglutit suos habitatores? *Terra ista devorat habitatores suos:* Num. c. 13. v. 33. Cum ergo ego demonstraverim quàm omnino sit necessaria illi, qui peccavit, vellem pro nunc demonstrare, quanta sit facilitas, quâ illam possumus peragere, quanta sit suavitas, quâ possumus delere debita tam terribilia ad convertendum in dulcedines cordis, illud, quod abhorret nostra tepiditas: *Quàm suave subitò*, dicebat ex propria sua experientia admirabilis Pœnitens Augustinus lib. 9. confess. c. 1. num. 2. *quàm suave subitò mihi factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas à me, vera tu, & summa suavitas.*

II. Non consistit igitur Pœnitentia solummodo in asperitatibus, & mortificationibus corporis, contra quas tantas excusationes allegant bene provisi & accommodati, tot & tanta impedimenta negotiosi, tot & tantas difficultates infirmi. Imò, ut nullus excusationem habeat, dico, omnes ad manus habere pœnitentiam, prout jam paratus sum demonstrare pro nostra majori refocillatione. *Quæ sunt opera satisfactoria?* interrogat Catechismus, & sic respondet: *Oratio, eleemosyna, asperitas, corporis, seu maceratio, & afflictiones, quas DEUS immittit, tolerata amore illius in patientia.* Verba sumpta sunt hæc non ex minori authoritate, quam ex illa Sacro-Sancti Concilii Tridentini, Sess. 14. c. 9. Est ergo Pœnitentia compositum admirabile ex his tribus ingredientiis salutaribus: oratione, eleemosyna, & jejunio. Ratio clara est; primò: quia peccata omnia, sicut dicit Sanctus Joannes in sua prima epistola c. 2. v. 16. proveniunt à tribus maledictis radicibus; concupiscentia carnis; ista castigatur jejunio; concupiscentia oculorum, quæ est cupiditas disordinata divitiarum; huic medetur eleemosyna; & superbia vitæ; ista expugnatur & prosternitur oratione. Amplius: solæ tres species bonorum sunt illæ, quas debemus DEO persolvere; alia sunt bona animæ; alia corporis, & alia, quæ dicuntur bona fortu-

na.

næ. Eleemosynâ persolvimus DEO pro bonis fortunæ: jejunio illi satisfacimus pro bonis, quæ spectant ad corpus; & oratione illi solvimus pro bonis animæ. Amplius: offendimus peccato primò DEUM, secundò proximum, tertiò nosmetipsos. Correspondet itaque tam bene proportionata nostra satisfactio. DEUM placamus oratione, Proximo satisfacimus eleemosynâ, & nos ipsos corrigimus jejunio. Bene, Pater, dicet mihi aliquis laboribus occupatus; sed mihi deest otium pro multa oratione. Ego, dicet mihi pauper, nihil habeo ex quo eleemosynam dare possem, multò expediens foret, si mihi illam aliquis daret. Ego, dicet mihi infirmus, non habeo sanitatem, nec vires ad jejunandum; remanebimus igitur excusati à pœnitentia? Procedamus lentè: per orationem non intelligitur, solummodo illud quod recitamus petendo à DEO subsidium in nostris necessitatibus, intelliguntur omnes actus quos facimus, Religionis, assistentiæ in Ecclesiis, in Missa, in Divinis Officiis, tota denique veneratio, & cultus, quem exhibemus Magno DEO nostro. Quis igitur inveniendus erit, qui contra tam suavem, tam facilem pœnitentiam opponat difficultatem? Jacebat in lecto, & jam quasi moribunda Venerabilis Eleonora Pacecco, Monialis Dominicana, & non intermittebat nec quidem unico momento recitare *Pater noster*, & *Ave Maria*; dixerunt illi aliæ Moniales, nè defatigaret caput; in quem finem tantæ recitationes? Ad quod respondit, ut multò melior Sybilla, hæc prudentissima oracula: cùm de omnibus verbis otiosis sit stricta DEO ratio danda, & cuivis verbo otioso sit pœna correspondura, quis dubitat quin cuivis verbo Religioso sit tenturus etiam DEUS præparatum suum præmium? Sinite me itaque accumulare per istas orationes meritum & satisfactionem pro mea anima, quantumcunque defatigetur caput meum. Sint ergo occupationes qualescunque illæ velint, quid poterit impedire pœnitentiam tam dulcem, sicut est loqui cum DEO? Ille Admirabilis Martinus ab Arpilcueta Navarrus Doctor Hispanus, cujus immensa studia, monstrant ejus stupenda scripta, cujus occupationes fuerunt quàm gravissimæ & continuæ, prælegendo per multos annos modò in Gallia, modò Salmanticæ, modò Conimbricæ omnibus diebus per duas horas in Cathedra scribendo libros ùt scitur, nunquam omisit recitare suas horas Canonicas, absque antici-

patione, aut postpositione horarum recitationis Divinæ. Quis ultrà allegabit occupationes? Tempus nobis non deest, sed nos tempori.

III. Per eleemosynam intelligitur non solùm illud, quod distribuitur pauperibus, sed omnia opera misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia: Visitare, & consolari infirmos, & incarceratos, sepelire mortuos, &c. Felices divites, qui taliter tenent in suis pecuniis remedium animæ: *Redemptio animæ viri divitiæ suæ*, Prov. c. 13. v. 8. Felices divites qui sic possunt redimere sua peccata eleemosynis: *Peccata tua eleemosynis redime*, Dan. 4. v. 24. Fortunati divites, qui cum tanta facilitate habent in sacco cælum, habent in cistis claves Paradisi, sunt potentes satisfacere pro suis peccatis per solam elargitionem pecuniarum: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata & facit invenire misericordiam, & vitam æternam*; Job. c. 12. v. 9. Quæ pœnitentia facilior? divites, & vos potentes, cùm vestrâ pecuniâ possitis facere lucra æterna, cùm possitis vestris nummis comparare cælum, quæ levior pœnitentia? Notum est, & sæpius narratum illud exemplum Petri Telonarii. Dedit ex mala voluntate panem cuidam pauperi, & intrà paucos dies videns se in Tribunali Divino, & in certis bilancibus ponderari opera suæ vitæ, in quorum una erant mala; advertit mala ponderare, & non habens quidquam de bonis operibus, quæ adjicere posset in alteram, expectabat tremens suam condemnationem; & ecce videt quandam manum injicientem illum panem, quem pauperi dederat, & ille solus tantum ponderabat, ut bilances in æquilibrio constiterint. Ità illi monstravit DEUS illud, quod poterat consequi per eleemosynam, non quòd ille aliquid promeritus fuerit quando dedit illum panem in peccato mortali; sed ut in futurum videret quantum prodesset in satisfactionem pro suis peccatis eleemosyna; & ità hoc executus fuit, meliora sapiens, posteaquam liberaliter omnia illa pauperibus distribuit in charitate, quæ antea ùt avarus negabat: *Peccata tua eleemosynis redime.* Sed non excusent se pauperes, nam possunt dare eleemosynam vel corporalem, vel spiritualem, absque extractione aut prolatione alicujus rei ex crumena, exercendo residua opera misericordiæ, assistendo infirmis, consolando afflictos, dando bonum consilium. O quæ solutio pro omnibus tam facilis!

Per

Per jejunium non intelligitur hoc ipſum ſolum, ſed omnes mortificationes appetituum, aſperitates, & macerationes corporis. O quale exemplar repræſentare poſſem hodie tam admirabile! Meus Glorioſus Pater Sanctus Ignatius veſtitus Manreſæ rudi ſacco ſupra cilicium conſtrictum ad corpus, cinctus fune, ſemper capite diſcooperto, nudis pedibus, pro lecto terram nudam adhibens, & loco cervicalis lignô utens; intra diem inſumens tunc ſeptem, & octo horas in oratione genibus flexis in continuis gemitibus, & lacrymis, interrumpendo ſolummodo tempus illud pro peragenda tribus vicibus diſciplina omni die; per diſciplinam ſuam catenis ferreis lacerabat carnes, relinquendo ſuo ſanguine conſperſos, & tinctos muros illius ſpeluncæ, feliciſſimæ Secretariæ oraculorum divinorum; ſua jejunia in pane, & aqua protrahebat quandoquidem in longum tempus, & ſæpius per tres dies integros ſinè cibo, & potu vitam ducebat. O quale exemplar! Jam adverto vos plenos horroris mihi dicere, vos tanta non poſſe. Idcirco ego nunc quæro: non potes jejunare? poteris ſaltem eleemoſynam dare. Non habes, quod in eleemoſynam diſtribuas? poteris viſitare infirmos, illis ſervire, illis ſuccurrere. Non permittit tibi hoc tuus receſſus, tua ſolitaria vita? vel tuus vitæ ſtatus? poteris hoc ſupplere devotis orationibus, & fervidis, audiendo Miſſas, frequentando Eccleſias. Nullum pro hoc admittunt locum alia negotia, & indiſpoſitiones? Ecce non erit difficilè privare ſe aliquoties, vel recreationibus, vel voluptatibus perverſis; intermittere pro pœnitentia luſum, privare ſe diſtractione aliquot diebus, quanta hæc erit pœnitentia? Intermittere aditum vel ad converſationem, vel ad deambulationem, vel ad Comœdiam, quæ poteſt allegari contra hoc difficultas quòad ſanitatem? Oculos continere, abſtrahere attentionem ab eo, quo trahit curioſitas; quæ impoſſibilia poſſunt contra hoc allegari? In tabula relinquere intactum aliquem cibum, in quem nos appetitus rapit; quale damnum in hoc poteſt fingi? Ecce, omnes iſtæ ſunt pœnitentiæ, quibus jam poſſumus exonerare debitum noſtrarum culparum; & quod ſi, dum ità ſuaves ſunt, adhuc illas recuſamus, & illas non peragimus, quæ excuſatio nobis coram DEO remanebit? Qui non poteſt ſuſtinere diſciplinam, vincat ſaltem oculos: qui non vult ſufferre cilicium, temperet ſaltem amore DEI vanam pompam

IV.

in veſtitu; qui non poteſt dormire ſupra aliquem aſſerem, loquatur cum DEO per aliquod tempus in genua provolutus; qui non poteſt jejunare, eò quòd debilitetur; intermittat ſaltem amore DEI gulas, & ingurgitationes, quæ ſibi nocent. O pœnitentia ſuavis ſinè terroribus catenarum, cavernarum, & ſolitudinum! O pœnitentia, quæ ſinè horrore conſumptionis corporis, poteſt tenere crucifixum ſpiritum! O pœnitentia, quæ ſinè effuſione ſanguinis, poteſt exſolvere pœnas culparum, & per exiguum, quod amaritudinem cauſat, introducit in animam dulcedinem, quæ æternùm durat: Oves in Ponto, dicit Camerarius, non habent fel, & ratio eſt maximè admirabilis; quia ſe paſcunt, ſubjungit, abſynthiô, herbâ amariſſima, cujus effectus eſt conſumere fel intra jecur. Idcirco ponitur illis quàm optimè pro inſcriptione, illud, quod multò melius nos poſſumus apponere Pœnitentiæ: *Dulceſcit amarum*; ex amaro fit dulce, ex amaro, quod per os intrat, tolluntur amaritudines interiores viſcerum.

V. Præter hæc remanet adhuc nobis alia immenſa meſſis pœnitentiarum: hoc eſt ultimum quod adjungit Catechiſmus: *Et afflictiones, quas immittit DEUS, toleratæ amore DEI cum patientia.* Tanta eſt liberalitas immenſa DEI, dicit Sacrum Concilium Tridentinum, tantus illius amor infinitus, ut non ſolùm illis pœnitentiis, quas nos ſpontè, & noſtrâ propriâ voluntate peragimus, non ſolùm illis Confeſſarii arbitriô pro menſura delicti impoſitis, ſatisfacere valeamus, ſed etiam, *quod maximum amoris argumentum eſt*, ut loquitur Concilium Seſſ. 14. c. 9. de Pœnit. temporalia flagella, infirmitates, amiſſiones, ſint illæ vel bonorum temporalium, vel filiorum, & finaliter omnia, quæcunque nobis pœnalia ſua Divina Majeſtas infligit aut immittit, & à nobis cum humilitate acceptantur, ſi cum obedientia obſequioſa ſubjicimus noſtram voluntatem Divinæ, omnia nobis ſerviant in ſatisfactionem pro noſtris peccatis. O DEUS, & hic theſaurus quoties tam ſtultè dilapidatur! Pateris paupertatem, miſeriam, defectum neceſſariorum? Sed quid proderunt, ſi nonniſi cum impatientia, cum maledictionibus, cum ira ſufferas? Nihil; omnia hæc pateris, & forſitan etiam adhuc plura in pœnam hujus tuæ indignationis. Quàm ergo ſatiùs, & multò melius foret, ſi per conformitatem obſequioſam totum hoc lucrareris pro tua anima?

ma? Pateris infirmitates, dolores, pericula? Sed quid proderunt, si nonnisi cum murmuratione, & impatientia, vel ratione medicinæ, vel ratione illam ordinantis isthæc patiaris? Quis ordinat infirmitatem, quis illam immittit? Nunquid DEUS? Ecce, quare deperdis (te non subjiciendo) sanitatem meliorem, & æstimabiliorem tuæ animæ? Perdidisti capitale, mortuus est filius, defuit tibi Benefactor? In quem finem sunt illæ amaræ querelæ indignationis, & vindictæ contra fraudatorem? illæ superfluæ lacrymæ, & extremi præ dolore singultus, cùm ex manu DEI tali modo possis lucrari, pro tua anima, fortunatam sortem condonationis tuorum peccatorum? Jam, si Fidem habemus, quantumcunque nobis accidat afflictionum, sint illæ qualescunque velint, vel particulares, vel publicæ, nunquid omnes ex manu DEI proveniunt? *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* Amos. 3. v. 6. Et quid ex hoc sequitur? Ut immediatè dicamus cum Sancto Job: Nec sunt Chaldæi illi, qui mihi mea destruxerunt armenta, nec venti sunt illi, qui mihi subverterunt domum, nec domus est illa, quæ mihi interfecit meos filios, nec diabolus est ille, qui mihi omnia abstulit, DEUS est, DEUS est: *Dominus dedit, Dominus abstulit*; Job. 1. v. 21. Dicamus cum David, & credamus hoc sic se habere: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*, Psal. 38. v. 10. Hoc Tu fecisti DEUS meus, nec verbulum dico. Dicamus cum Ezechia anxiato in ultima infirmitate: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit*, Isai. 38. v. 15. Si DEUS est, qui hoc fecit, quid ego possum contradicere? Et si tandem finaliter redeamus in nosmetipsos, considerantes quantum mereantur nostra peccata, dicamus cum bono Latrone: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus*; Luc. 23. v. 41. Omnes istas vel illas afflictiones, omnes istos ictus, omnes has vel illas amissiones, quàm optimè ego meritus sum, propter mea peccata: *Digna factis recipimus.*

VI. Si sic excipimus afflictiones, molestias, anxietates, incommoda, felices, & infinitè felices afflictiones, quæ nobis serviunt, ut satisfactiones, pro nostris delictis; quæ nobis præparant & texunt inæstimabilem coronam pro anima. Ità hac de re sentiebat meus Gloriosus Pater Sanctus Ignatius, in quo semper certabant hæc duo: Operari, & pati. Dubium grande est, an plus fuerit illud, quod

fecit anxius pro bono universali mundi, vel illud, quod mundus illi dedit ad patiendum in terribilibus persecutionibus? Captus, & onustus catenis Salmanticæ, ad misericordiam & compassionem commotæ cuidam Magni Nominis Personæ, quæ illum in tali statu viderat, respondit: Videturne tibi esse tantum malum, & infortunium hominem aliquem ità esse compedibus onustum? Ecce ego dico veritatem tibi, non adesse hic tot compedes, & tot catenas Salmanticæ in Hispania, imò in toto mundo, quin non sint plures illæ, in quibus ego desidero me vivere, amore mei Domini JESU Christi. Ità per totam vitam suam summam æstimationem habuit de omnibus afflictionibus. Quæsivit ex illo in quadam occasione certus Religiosus: qualisnam esset via brevissima, certissima, & securissima acquirendi perfectionem, & propriâ experientiâ edoctus respondit: *Pati multas & graves adversitates amore Christi: postula à Christo JESU Domino nostro istam gratiam, siquidem illi, cui hanc facit, facit simul multas alias, quæ in ista includuntur.* O! & quantum de illis lucraremur, si non dissiparemus, & fugeremus afflictiones, quas DEUS nobis immittit infinitè misericors!

VII. In Historia Patrum Prædicatorum refertur, Hist. S. Dom. in 4. p. l. 2. c. 30. Certum Sanctum Religiosum, dum infirmabatur, orationi vacantem, raptum extra se, incepisse proferre magnos clamores, dicendo: *Domine usque ad diem judicii; & habebo hoc pro maximo beneficio, & blanditiis.* Attonitus hôc auditô infirmarius, immediatè accurrit, quærens ex illo quinam illi clamores essent, & quid per illos indicare vellet? Ad quod respondit infirmus: DEUS mihi insinuavit hoc vespere thesaurum grandem, qui latet in afflictionibus, quantum sit præmium, quod illis correspondet, & quàm fortunata sors, exsolvere hic illud, quod persolvendum restat in Purgatorio, & hoc me considerantem, invasit tantus impetus, ut desiderarem vivere milliones annorum, solummodo ad patiendas afflictiones, & hac de causa dixi illud, quod tu audivisti: *Domine usque ad diem judicii, & hoc habebo pro maximo beneficio.*

VIII. Bono animo igitur estote, animæ, & quandoquidem nobis non desunt afflictiones, in nostra manu habemus, dummodo illis sciamus bene uti, omnem fortunatam nostram sortem. Si tolerandæ sunt, quantumcunque illis repugnet impatientia, toleremus & sufferа-

feramus eas tali modo, ut nobis accumulent gratiam. Si ſufferendæ ſunt, quamquàm illas noſtra nolit voluntas, eò quòd illi moleſtiam afferant & ſupplicium, toleremus illas tali modo, non ut nobis afflictionem augeant, ſed inexplicabilis gloriæ pondus operentur.

INSTRUCTIO XXVI.

De Satisfactione mediantibus Indulgentiis; & quid illæ ſint?

OPtima Alchymia cæleſtis eſt illa, quam hodie adfero, & volo proponere meo Auditorio: Ars optima, dico, conficiendi aurum ex terra, conſequendi pro valde exiguis expenſis, imponderabile capitale, & acquirendi valde exiguo labore infinitas divitias. Non parùm defatigavit ingenia cupiditas neſcio cujus dicacis, qui quosdam fecit facilem adhibere fidem, ex certis ingredientiis viliſſimi pretii, poſſe fabricari & confici aurum. Ah quantum ſolummodo auri nomen inquietavit mortalium animos, cujus ſacra fames amæna luce totum adhuc inficit orbem! Iſta eſt illa ars, quam vocant Chymicam, & multò meliùs illam vocarent Chimæricam, in qua ſudantes anxioſi, diu noctúque ad Retortam (ùt Alchymiſtæ vocant) ex fornacülis diſtillant plus cerebri, quàm ſalis, ad conficiendum illum, quem ſolo nomine cognoſcunt, lapidem Philoſophicum; perſuadent ſibi, quòd poſſint conficere ex exiguis expenſis in Mercurium, grandẽ fructum auri puriſſimi; & in hoc conſumentes primò judicium, poſtmodum labores, ac in fine omnium, marſupia, hærentes ſemper inter flammas, paſcendo ſe inter flatus, tandem cum phrygibus ſapiunt, dum vident totam ſuam impenſam pecuniam converſam in cineres, omne aurum, quod anhelantes expectabant, evanuiſſe in fumum, & in ventos evolantes diſſipatos omnes ſuos pulveres. Quis labor magis ſtultus; quàm malè impenſæ! Ego nihilominus tamen affirmo velut certum, nos jam invenire meliorem lapidem Philoſophicum, & aſſecuro, quòd poſſimus facillimè, valde exiguis impenſis, conficere tantum quantum aurum voluerimus, & ſinè tantis laboribus. Quis eſt inter vos qui hoc velit? Æſtimo fore vos omnes.

Dico

II. Dico ergo breviter, iſtud eſſe illud, quod habeamus in Indulgentiis, aurum plurimum, aurum infinitum, quô poſſimus ſolvere omnia noſtra debita, & tam exiguis expenſis, prout ſolent eſſe, vel jejunium, vel viſitatio alicujus Eccleſiæ, vel una Confeſſio, & Communio, & ſic de reſiduis conditionibus appoſitis, quæ omnes ſunt ſemper ità leves, faciles, ità ſuaves, ut nihil nobis conſtent, & nobis acquirant pretium inæſtimabile.

III. Indulgentia itaque eſt remiſſio, non peccatorum (iſta enim debent priùs eſſe remiſſa, ut poſſimus conſequi Indulgentiam) ſed eſt remiſſio pœnæ temporalis quam debebamus pro peccatis; & hæc remiſſio conceditur extra Sacramentum, per applicationem theſauri Eccleſiæ. Vidimus jam quanta ſit neceſſitas, quam habemus ſatisfaciendi pro noſtris delictis, & quòd debeamus ſolvere tantum debitum vel in hac vita Pœnitentiâ, vel in altera horribilibus & terribilibus pœnis Purgatorii: vel hic in vita terribilis auſteritatis, vel ibi in pœnis intolerabilium flammarum. Nunc autem dicet mihi aliquis: & cùm mea debita ſint infinita, eò quòd ſint infinita mea delicta; cùm ego non poſſim facere illas pœnitentias tam prodigioſas, quas ſcimus Sanctos feciſſe; cùm me indiſpoſitiones meæ impediant; cùm ſe mihi mea paupertas opponat; cùm mihi negotia mea opponant obſtaculum; cùm me ſtatus meus retineat à facienda pœnitentia, quam deberem, nullum ergo datur remedium Pater, quin pati debeam in Purgatorio? Dico, dari; & quod hic ſe interponat benignitas Matris, quâ nobis ſuccurrit noſtra Mater Eccleſia Indulgentiis. Sumus, ac dicimur fidei fallitores, mediorum decoctores, mediorum inopes, debentes grandem quantitatem; ſumus in periculo detruſionis in carcerem, ubi nobis ſolvendum eſt in infortuniis, & miſeriis, corpore, & vitâ illud, quod non poſſumus ſolvere ſubſtantiâ. Et quid facit benigna, & amoroſa noſtra Mater Eccleſia? Facit ſe pro nobis ſolutricem, & certâ diligentiâ facillimâ aperit, dat gratuitò, & exſolvit pro quolibet noſtrûm, Quid? Totum infinitum theſaurum ſatisfactionis pro noſtra poteſtate, pro noſtra voluntate, ut, quantumvis multos deberemus milliones, illos in unico poſſimus exſolvere puncto, & fieri liberi. Hoc itaque ſunt Indulgentiæ.

IV. Ità hoc monſtravit Dominus Beatæ Mariæ de Quito Romæ. Certô quodam annô Jubilæi, rapta in ſpiritu, vidit quoddam forum

ſatis

latis grande, & in illo positas multas mensas, supra quas advertit immensas jacere divitias. Vidit cumulos valde grandes nummorum auri, uniones accumulatos, acsi essent ciceres, & pisa; & adamantes, & lapides pretiosos in monticulos collectos, acsi essent simplices lapilli; & quando illi devotæ animæ perdebantur oculi præ admiratione; & præ curiositate, audivit certam vocem, quæ illi dicebat: *Thesaurus stat expositus in publico, quilibet arripiat ex illo quantum vult; & quantum indiget.* Ecce ista verba ipsissima nobis inclamat Ecclesia, semper, quandocunque est Jubilæum, vel Indulgentia plenaria; quæ est quasi semper, & quasi omnibus diebus. Et cùm sint talia, & tanta nostra debita, quis non accurret sumere inde illud quô possit solvere? Thesaurus expositus est in publico.

Sed quisnam est iste thesaurus? O DEUS! quæ lingua sufficiet illi explicando? Est thesaurus infinitus, interminabilis, immensus satisfactionis nostræ Vitæ JESU Christi; cujus Sanguinis, si unica guttula sola sufficiebat in satisfactionem peccatorum mille mundorum, quid non facient tanta flumina Sanguinis sparsa à DEO? Illic de quinque panibus dedit ad manducandum, usque ad omnimodam satietatem, quinque millibus hominum, absque mulieribus & parvulis, & postquam fuissent omnes saturati, supererant adhuc ex fragmentis panis duodecim cophini. Ad hunc modum igitur interminabilem valorem infinitum Sanguinis Christi conservat collectum Mater Ecclesia, ut eum dividat liberaliter suis filiis. Et quantumvis iste thesaurus solus sufficiebat, & abundabat; attamen, quia sicut membra hujus capitis Divini, participant ab hoc ipso valore Christi opera Sanctorum omnium, adjungitur huic Thesauro alter Thesaurus. Quanta erit satisfactio correspondens meritis MARIÆ Sanctissimæ? hujus nullus potest iniri computus; & cùm tali satisfactione pro se Virgo Sanctissima non egeat, cùm nullum habuerit peccatum, tota, tota colligitur, & coacervatur pro nostro bono in Ecclesia. Et quid erunt Pœnitentia Sancti Joannis Baptistæ, & austeritates horribiles tot millium Sanctorum Confessorum, Anachoretarum, & Virginum; & sanguis effusus, cruciatus, & mortes tot millionum Martyrum? qui cùm non indiguerint omnibus pro se in satisfactionem, quantumcunque superfuit illis, totum hoc format & constituit Thesaurum V.

ſaurum pro nobis: *Ponens in theſauris abyſſos*, Pſal. 32. v. 7. O abyſſos immenſas theſaurorum!

VI. Hujus ergo Theſauri claves habet ſummus Pontifex Eccleſiæ, & iſte Theſaurus eſt ille, quem nobis communicat per Indulgentias, quæ applicantur ſolutioni illius pœnæ, quam nos tenebamur perſolvere hic, vel in Purgatorio. Sed hæc ipſa diſtributio eſt cum diſtinctione ſecundùm voluntatem ſummi Pontificis, qui illas concedit. Concedit defacto quandoque quadraginta dies, quandoque, tot, vel tot quarantenas: aliàs viginti annorum Indulgentiam, aliàs, Indulgentias Plenarias, Jubilæum. Et quid volunt omnia iſta dicere? quadraginta dies Indulgentiarum: vult dicere, quodſi illas lucramur, condonatur nobis tota illa pœna, quæ nobis condonaretur, ſi quadraginta diebus faceremus Pœnitentiam, ſecundùm antiquos canones. Et qualis erat illa Pœnitentia? Erant, ſicut jam dixi Inſtructione 24. num. 3. vel tres dies jejunii in pane, & aqua qualibet ſeptimana, incedere ſaccô veſtitum, totô illô tempore nullam carnem manducare, nec vinum bibere, peditem incedere, nec accedere convivia, luſus, muſicas, nec theatra, erant denique aliæ multæ rigoroſæ mortificationes. Parùm forſitan videbitur vobis hoc lucrari per genuflexionem ante aliquam imaginem, per recitationem unius *Ave Maria*, vel per alias induſtrias tam leves? in unico momento lucrari quadraginta dies condonatorios pœnitentiæ quadraginta dierum? O quæ abbreviatio tam felix! Ecce hoc vult dicere una quarantena remiſſionis. Et huic conformiter: lucrari tot quarantenas, lucrari ſeptem annos, vel viginti annos Indulgentiarum, quid vult dicere? hoc: quòd ſi lucrentur, quod remittatur tota illa pœna, quæ remitteretur per adimpletionem, viginti annorum ſpatiô, hujus pœnitentiæ. O quæ ſolutio tam admirabilis, de qua ſi formaremus debitam æſtimationem, non ſineremus tranſire unicum inſtans, quin procuraremus lucrari iſtas Indulgentias! Jam autem ut de Indulgentiis faciamus debitam æſtimationem; monſtravit hoc nobis DEUS iſtô miraculô.

VII. Refertur in Chronicis Sancti Franciſci, Hiſt. S. Franc. part. 2. c. 1. apud P. Manni de Purg. quòd, prædicante Patre Bertholdo, Concionatore inſigni, finitâ quadam vice Concione, eum acceſſerit quædam Domina nobilis, & pauperrima, petere eleemoſynam. Quid

Quid ego tibi poſſum dare, reſpondit Pater Bertholdus, quandoquidem te multò pauperior ſum? attamen quoniam tu meo ſermoni interfuiſti, & me prædicantem audiviſti, ego tibi concedo decem dierum Indulgentias, quas mihi ſummus Pontifex conceſſit, ut poſſim diſtribuere illis, qui meos ſermones audiunt; has igitur tibi concedo, & arripiens parvam ſchedulam, ſcripſit in illa ſequentia: *Concedo decem dierum indulgentiam*; & extradens mulieri ſchedulam, dixit: Vade, vide an quis inveniendus ſit, qui velet pro ſe lucrari iſtam Indulgentiam, dando tibi tantam eleemoſynam, quantum iſta ſchedula ponderabit. Mulier accepit ſuam ſchedulam, contulit ſe ad certum Mercatorem divitem, dixitque illi: an vellet ſibi dare tantam eleemoſynam, quantum ponderaverit iſta Indulgentia. Ille ſumendo hoc in riſum, ità dabo tibi, reſpondit mulieri. Poſuit ſchedulam ridens in lancem unam trutinæ, deſcendit lanx unà cum ſchedula deorſum, & admirabundus injecit julium in alteram lancem; ſed hæc in alto pendens permanſit; injecit duos julios; non ſufficiebant. Addidit majorem ſummam pecuniæ, pervenit uſque ad centum, adhuc tamen ponderabat plus ſchedula, & ſe non elevavit uſquedum lanx impleta fuiſſet grandi ſummâ pecuniæ, quâ punctualiſſimè indigebat mulier ad ſe liberandam ex magna anguſtia, in qua hærebat. Extradidit illam Mercator ſtupens mulieti, & illa ſe liberavit ex ſua afflictione. Caſus verè prodigioſus! Iſti erant ſoli decem dies Indulgentiæ. Conſiderate, an non mereantur æſtimationem.

VIII. Et quam æſtimationem merebitur Indulgentia plenaria, ſeu plena remiſſio omnium peccatorum, quod totum idem eſt per diſtincta nomina, & hoc totum vult dicere: quòd ille feliciſſimus, qui illam lucratur, fiat in unico momento, ſicut factus eſt illo die, quò fuit baptizatus. Volo dicere: non tantum liber à culpa, ſicut ſupponitur, ut poſſit lucrari Indulgentiam; ſed liber etiam ab omni omnino pœna, quæ illi correſpondet; tali modo, ut ſi in illo ipſiſſimo puncto exſpiraret, abſque omni pœna purgatorii, evolaret immediatè in Paradiſum. Hoc audimus, & non exilit cor noſtrum pro conſequenda tali fortuna? Hoc habemus omni die in omnibus quaſi Eccleſiis hujus Civitatis, & non dividitur tota noſtra anima ob lucrum boni tam inexplicabilis? Ob unicam confeſſionem, & Communionem bene peractam, ob viſitationem unius Eccleſiæ, ob recitatio-

tationem aliquarum paucarum orationum? O DEUS, quis inveniendus est, qui tantas divitias dilapidet? Conferentes libertatem mancipiis in more habebant Romani infligere illis virgâ suavissime duos, vel tres ictus, & per hanc ceremoniam solam fiebant liberi; dantes illis ad intelligendum, quod per istos duos, vel tres suaves ictus liberarentur ab omnibus flagris, & miseriis servitutis. Jam ergo ego dico, si tali solo pretio conferretur libertas hic Neapoli alicui mancipio, quanta anxietate, quanto conatu illam omnes quærerent? Quantùm autem est fortunatior libertas, quam nos consequimur? Ponderate, & bene perpendite, ut tantò melius apprehendatis, & cognoscatis, flagella, pœnas, & cruciatus, à quibus nos liberamus, per unicam solam Indulgentiam Plenariam.

IX. Quis autem est adeò fortunatus, qui illam consequitur? *Qui peragit illud, quod in illa ad punctum mandatur, in statu gratiæ*, dicit nobis Catechismus. Et primo est necessarium esse in gratia DEI, pro consequenda Indulgentia: cùm non possit condonari pœna, quin priùs sit condonata culpa, ex qua ista pœna procedit, & de hoc nullum est dubium. Nihilominus tamen modò exme quæretis (ponamus in exemplo) cùm indulgentia, concessa Doctrinis Christianis, requirat, ut priùs audiantur in illa septimana tres Doctrinæ; si istas quis audiat existens in peccato mortali, & si postmodum die sabbathi bene, & rite confitetur, & die Dominica communicat, reponendo se in gratiam DEI, lucrabitúrne Indulgentiam? graves Authores dicunt talem non lucrari, quia etiam sedulitates, & diligentiæ, quas præcipit, peragendæ sunt in gratia DEI. Alii Authores dicunt talem lucrari. Sed quia Authores non concedunt animæ remissionem peccatorum, sed DEUS, melius erit in materia, quæ tanti momenti est, sequi id quod securius est. Hoc ipsum dico de orationibus pro lucrandis Indulgentiis, de jejunio, dum imponitur, vel de eleemosyna, dum præcipitur, ut procuremus ista exequi quantò perfectiùs poterimus, cum omni attentione, cum omni fervore, cum omni cura: cùm multum importet, ut libera fiat, & pura anima, quatenùs possit volare in unico puncto videre DEUM, & illô frui.

X. In Annalibus Sancti Francisci, narratur, Hist. S. Franc. t. 1. l. 2. c. 5. ad famam illius magni, & semper celebris Jubilæi Portiunculæ, navi-

navigâſſe exſciavonia centum, & viginti perſonas committentes ſe periculis maris ſolummodo ob hunc finem, ut poſſent conſequi theſaurum illius Indulgentiæ. Pervenerunt tandem ad Capellam illam Sanctæ Mariæ de Angelis, & die determinatô, & aſſignatô pro hoc Jubilæo, adhibuerunt in eo peragendo omnes Chriſtianas diligentias, & dum jam in patriam reverti pararent, una mulier, quæ cum illis advenerat, correpta magna infirmitate, ibidem ſuum clauſit diem extremum. Proſecuti ſunt alii cœptum iter, & dum jam navim conſcenderant, apparuit illis quadam nocte illa mulier, tota ſplendoribus circumdata, dixitque: nolite timere, quin imò gaudete, quandoquidem pro veſtra conſolatione me mittit Sanctiſſima Virgo Noſtra Domina, ut vobis annuntiem, me per beneficium Indulgentiæ Portiunculæ, eô ipsô momentô, quô ibi exſpiraveram, evolâſſe in cælum, abſque eo quòd vel per unicum inſtans fuiſſem in Purgatorio. Dixit, & diſparuit, repletis omnibus jubilô. Iſta eſt ergo fortuna, quam habemus in Indulgentiis. Concludo hoc argumento: vel es innocens abſque peccato, vel es peccator? Si innocens es, ſi totâ vitâ tuâ nunquam peccâſti, neglige, juxta tuum placitum, lucrari Indulgentias; ſiquidem dum nulla habes peccata, nec habes unde timeas pœnas; ſed ſi peccator es, rurſus ex te quæro: vel facis totam illam pœnitentiam, quæ neceſſaria eſt pro digna ſatisfactione pro tuis peccatis, vel illam non facis? Si facis tantam Pœnitentiam, quæ tibi videtur ſufficere, non haberes opus aliô auxiliô: ſed ſi non facis Pœnitentiam, & te expectant pœnæ Purgatorii, quàm cæcus eris, quàm imprudens, quàm ſtultus, non accumulando cum omni ſolicitudine & conatu animæ omnes quaſcunque potes Indulgentias. Si quis infirmus, cui abſcindendum foret brachium, vel pes, cujus jam cor impletum eſſet horrore, tremore, videret jam acerras cum carbonibus ignitis præparatas, ferrû ignitum, ferram promptam, nunquid in actu tam horribili ejus refrigeraretur anima in corpore, ſi videret venire ad ſe aliquem, & ſibi dicere: multò faciliori remedio potes effici ſanus, ſi ſine ullo dolore, ſinè cruciatu; quid non faceret, ad quid ſe non reſolveret ſinè mora, quatenus ſe liberare poſſet ab illa carnificina? Quantò poſtmodùm avidius ſuſpiraret, ſi illi diceret, *modicâ quantitate* aquæ roſaceæ potes curari; ſi te ungas ſalivâ alicujus infantis in parte infirma, ſanaberis,

beris, & liber evades absque abscissione brachii, vel quin tibi abscindant crus. Remediô tam facili? Ità est. Quid vobis videtur? Faceréne hoc? Quis de hoc vellet dubitare? Aliqualiter explicat hoc, illud, quod infinities cum majore valore faciunt Indulgentiæ, liberando nos à pœnis & cruciatibus Purgatorii.

XI. Cùm ergo tam facilis sit solutio, lucremur omni cum diligentia effugium ex tormentis tam terribilium pœnarum, & acceleremus tali modo iter ad gloriam.

DE
Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

INSTRUCTIO I.

De excellentissima Institutione, & de Nominibus hujus Divinissimi Sacramenti.

1. EXigua materia videbantur Stasicrati, famoso Sculptori Græciæ, ad repræsentandum Alexandrum unâ Statuâ, omnia marmora, vel porphyrites, hucusque secti, quibus usi sunt artifices pro efformandis giganteis colossis. Parvæ sunt hæ effigies, dicebat, vulgaris staturæ; quæ, licèt in proportione imitantur formam & vultum, nihilominus tamen non exprimunt per molem effigiei, originalis animi magnitudinem. Et idcirco, aggressus est, dicit Plutarchus, conficere ex toto monte Athos, qui quasi pertingebat summitate usque ad cælos, statuam dignam Alexandro. Opus, quod etsi audax fuerit in Idea, immediatè tamen apparuit impossibile in executione? nam quantis instrumentis opus fuisset ad elaborandam figuram unius hominis ex integro illo tantæ magnitudinis monte? quantis viribus? quantis laboribus? quantis machinis? Remaneat igitur Alexander solo nomine Magnus, & Stasicrates solo nomine excellens; cùm illud, quod intellectus delineat, manus postmodum inveniat impossibile. Et serviat mihi solummodo ista cogitatio, & idea pro explicanda melius mea maxima impossibilitate, dum volo repræsentare, non jam alicujus Alexandri men-

mendacem magnitudinem, ſed ipſius DEI totam Immenſitatem, ipſius DEI totum eſſe infinitum, contractum ad maximum ſuorum operum, ad excellentiſſimum ſuorum mirabilium, ad ſublimiſſimum omnium ſuarum magnitudinum in Sanctiſſimo, tremendo, admirabili Sacramento Euchariſtiæ. Iſta ergo teneritudo teneritudinum, & eviſceratio amoris amorum, iſtud Pelagus gratiarum, hæc abyſſus beneficiorum, iſte DEUS nunquam magis grandis, quàm quando incluſus, quàm quando abſconditus in hoc Amabiliſſimo Myſterio, eſt ille, quem vellem meis repræſentare verbis, quem vellem exponere & exhibere oculis Fidei, meâ explicatione, quem delineare vellem in cordibus vel ſculpendo, vel pingendo immensè grandem propter ſuas teneritudines, & amorem. Hujus Diviniſſimi & Liberaliſſimi Alexandri vellem fabricare Statuam, ſed de qua materia? Si non unicus mons, ſed etiam omnes montes mundi nihil ſunt; ſi etiam omnes cæli non ſufficiunt, ſi etiam totum firmamentum non aſſequitur intentum; eò quòd tota denique Divinitas, quæ nec ambitibus coërcetur, nec terminis limitatur, ſe in hoc Sanctiſſimo Sacramento includat. Igitur ex impoſſibili hôc intelligamus illud, quod non poſſunt capere nec quidem altiſſimorum Seraphinorum Intelligentiæ. Loquar ergo de ineffabili, ità nominat hoc Sacramentum Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Sacramentum ineffabile*; de quo, etiamſi de illo dicerem in infinitum, idem tamen erit, ac dicere nihil. Diſcurram de incomprehenſibili, ità illud vocat Sanctus Cyrillus: *Condeſcenſus DEI incomprehenſibilis*; Sed quid? Meus intellectus, & meorum Auditorum, ſicut aliqua guttula aquæ minima remanebit in hoc mari immenſo demerſus. Procurabo, & ſtudebo poſtremò explicare illud, quod eſt inexplicabile; ità illud recognoſcit Sanctus Thomas: *Dispenſatio DEI inexplicabilis*; ſed per hoc inſinuabo ſolummodo illud, quod in iſto Admirabili Sacramento nos inſtruit Fides, quódque relinquit campos immenſos, profundos, inexſiccabiles, ubi abſorpta tota anima, diſcurrat de illo, quod Fide aſſequitur, de eo, quod totam Divinitatem occultat; ad modum, ùt ille, qui poſitus in cuſpide, ſeu vertice alicujus altæ rupis, aut ſcopuli, contemplatur ſuſpenſus, & attonitus omnes partes Oceani, etiamſi non penetret nec terminos, nec fundum, ſed ſolummodo aliquam ſuperficiem aquæ, quæ contemplantis viſui per omnes partes

tes

tes horizontem efformat; his tamen omnibus non obſtantibus cognoſcit nihilominus certô modô etiam illud, quod non videt, in quantum obſervat mare incomparabiliter eſſe majus, quàm ille poſſit aſſequi, etiam dexterrinâ attentione oculorum. Ità ergo hanc abyſſum DEI conſiderabimus per omnes partes; ſed abſque eo, quòd terminos ſimus inventuri, qui immenſi ſunt. Obſervabimus quantum per ſpeculum aquarum permittitur oculis; ſed abſque eo, quòd aliquando potuerimus detegere ejus profunditates, quæ ſunt infinitæ. O Tu Divine Fons luminum, illumina noſtras mentes, ut poſſimus videre tuâ ipſiſſima luce tuos ipſiſſimos ſplendores! O Tu accende tuo igne noſtra corda, ut in hac fornace immenſa tui amoris ardeant inflammati noſtri amores.

II. Intremus igitur in Excellentiſſimam officinam hujus operis maximi, quod DEUS nobis fecit. Hæc officina amor fuit, qui non habens finem in corde noſtri Redemptoris, voluit in hoc Sacramento æternare ſui amoris teneritudines; & idcirco, in veſpere ſuæ mortis, ut ſemper nobiſcum remaneret, reliquit nobis in hoc Sacramento vinculatam vitam. Die Jovis, die decima quarta lunæ menſis Martii, quæ dies, juxta noſtram computationem, correſpondet vigeſimæ quartæ diei illius menſis, celebratâ priùs cum ſuis diſcipulis Cænâ agni legalis, & poſt hanc cum humilitate, & demiſſione tam profunda, (quæ attonitos fecit Angelos, dum viderunt ſuum DEUM proſtratum ad lavandos pedes, etiam ipſiuſmet Judæ perfidi) rediens ad Cænam ordinariam, & communem, accepit in manus ſuas Panem ex illis azymis, & ſinè fermento, qui remanſerat à Cæna præterita, illum priùs benedixit, & paucis verbis comprehendens, quantum omnes non capiunt cæli; accipite, dixit illis, & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et ſimili modo accipiens calicem, vel craterem vini; bibite ex hoc omnes, dixit illis: Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et ecce jam hic opus DEI novum, melius creatione Mundi; novum, melius formatione Cælorum; quandoquidem, ſi pro una tanta machina, ex nihilo extrahenda, ſufficiebat unicum ſolum verbum: *Ipſe dixit, & facta ſunt*, Pſal. 32. v. 9. Etiam paucula ipſi verba ſuffecerunt pro uniendis in Pane, & vino Corpore & Sanguine, totâque ſua Divinitate. O

opus

opus admirabile! Et ut hanc amoris exuberantiam non faceret ſolummodo ut illâ fruerentur Apoſtoli, nec pro illa ſola vice, ſed pro tota Eccleſia, & tandem pro bono totius mundi, contulit eô ipſo tempore ſuis discipulis ſupremam poteſtatem, quatenus hoc ipſum facerent, & ut communicarent illam ſuis ſucceſſoribus Pontificibus, & Epiſcopis, quatenus hoc ipſum fieret uſque ad finem Mundi à Sacerdotibus legitimè ordinatis. Iſta eſt Inſtitutio hujus diviniſſimi Sacramenti: iſtud fundamentum inviolabile, in quo conquieſcit, & cui innititur æternaliter ſecura noſtra Fides; iſta expreſſa verba DEI, & hoc totum reſiduum ejus infiniti amoris, qui fuerat præcipuus operator tam imperceptibilis & imponderabilis teneritudinis.

III. Idcirco Sancta Franciſca Romana videbat ſæpius Hoſtiam converſam in magnam flammam ignis, quæ aſcendebat uſque ad cælum. Hac de cauſa Sancta Catharina Senenſis, quando accedebat ad Sacram Communionem ſæpius videbat in manibus ſacerdotis Ciborium tenentis, in eadem Pixide integram fornacem accenſam, quæ ardentiſſimas ejaculabatur flammas, quæ repræſentabant ad amuſſim illis puris animabus, quantus eſſet exceſſus charitatis, quâ nobis largitur DEUS illum cibum vitæ, opus ex integro amoris. Ex integro, amoris dixi, ſiquidem quantumvis ad formandum illud concurrerit Omnipotentia, accumulando ibi millena, & millena miracula, prout poſtmodum viſuri ſumus; concurrerit tota infinita Sapientia, quæ ſolummodo poterat invenire modum tam admirabilem ad communicandum ſe ſuis Creaturis, ut ſe DEUS abſconderet ſub viſibilibus ſpeciebus Panis, & vini; & ad conjungenda tam diſtantia extrema concurrerit Bonitas infinita, ad ſe totam eviſcerandam; & omnes perfectiones Divinæ ad ſe impendendas in bonum hominum; nihilominus tamen ſupra has omnes reportavit ibi primatum infinitus ejus amor, quandoquidem ille fuit, qui cæteras omnes convocavit ad hunc teneritudinis exceſſum; *Divitias Divini ſui erga homines amoris velut effudit memoriam faciens mirabilium ſuorum*, ſicut de hoc dixit Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 13. de Euchar. c. 2. Sicut illud famoſum Templum Hieroſolymitanum, miraculum Mundi, aſſumpſit nomen Templi Salomonis, qui illud diſpoſuit, & exſtruxit, quique expenſas pro illo fecit; & non aſſum-

pſit nomen tantorum Inſignium Artificum, & Magiſtrorum, qui ſuis manibus illud exſtruxerunt; paucis: denique Templum Salomonis illud vocamus; ità pariter Sacramentum Amoris; *Euchariſtia dicitur: Sacramentum Charitatis*, prout atteſtatur Sanctus Thomas, etiamſi in illo concurrat Sapientia, Omnipotentia, Bonitas, Miſericordia, & denique omnes Perfectiones, & Attributa DEI. Quam bene ergo Sancta Maria Magdalena de Pazzis diem Communionis vocabat diem Amoris; quia in veritate nullus alius melior ei attribuitur titulus. Ità interrogatus Ipſemet Dominus à Sancta Brigitta, quomodo intraret in animam, quæ ad ſacram accedit Communionem? reſpondit illi: *Ingredior ùt ſponſus:* in illam animam ut ſponſus ingredior ad celebrandas cum illa nuptias, totus teneritudine repletus, totus blandus, totus amor, & inamoratus, totus benevolus.

IV. Quid itaque multum eſt, quòd, dum DEUS taliter applicat ſolicitus omnia ſua attributa in hoc Excellentiſſimo Sacramento, non inveniatur idcirco nomen, quod adæquatè nobis illud det ad intelligendum & cognoſcendum, & licèt in hunc finem illi attribuerint Patres, & Doctores Eccleſiæ tot, & tanta nomina, tantos titulos, nihilominus licèt quilibet titulus, quodlibet nomen explicet Excellentiam infinitam, tamen omnes ſimul uniti, non explicant hujus infiniti infinitorum, eſſe integrum. Quàm bene doctor, nunquam magis Angelicus, quàm dum accenſus in amores hujus Sacramenti: *Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis:* Extende omnes quantumcunque potes alas tui intellectûs in laudes hujus Panis Diviniſſimi, vola, vola, aſcende, aſcende, dic, exclama, perpende, & pondera, non ceſſes per æternitatem, extolle; nunquam tamen laudes aſſequeris, nunquam ad ſufficientiam pertinges: *Major omni laude.* Itaque *nunquam* poſſes enarrare, aut finire epitheta, & cognomina, quæ attribuerunt huic diviniſſimo Sacramento omnes Sancti Patres, & Concilia. Aliquot illorum colligit in unum tractatum integrum noſter Raynaudus; ſed relinquamus omnia illa;

V. Et ſolummodo attingamus leviter illa, quæ ut magis frequentia, & repetita explicat Sanctus Thomas, quæ tria ſunt. Unum, quô in memoriam reducit, & repetit præteritas teneritudines, & amo-

amores: Alterum, quô in futurum prævenit, & anticipat glorias: Tertium, quô in præsenti explicat præstita nobis beneficia; quia in hoc Sacramento unitur, quantum DEUS fecit, quantum facit, & quantum illi restat faciendum. Vocatur itaque hoc Sacramentum, *Hostia*, & *Sacrificium*, ratione illius quòd ob præteritum reducit in memoriam; & repræsentat illud cruentum sacrificium, quod Christus obtulit pro nobis in Cruce suo æterno Patri. Istud pelagus immensum amoris, & teneritudinis, quod ibi pro nobis perfecit, in hoc Sacramento sinè novis plagis, & vulneribus repetit omnibus diebus in Missa; *Semel immolatus est in semetipso Christus*, dicit Sanctus Augustinus, de consecr. dist. 2. ca. 52. semel immolatus. *Et tamen quotidie immolatur in Sacramento.* Hac de causa igitur vocatur Hostia iste Panis Divinus, quia sic vocabantur Victimæ, quæ offerebantur in sacrificiis. Ibi ergo est Ipsissimus Filius DEI Hostia, qui se offert suo æterno Patri, repræsentando de novo illud ipsum Sacrificium, quod in Cruce obtulerat; & per hoc repetit nobis quasi omnibus momentis suæ Passionis memoriam, quæ nostram debet excitare Animam per talia nomina, Hostiæ videlicet & Sacrificii, ut non amoveamus humeros à Cruce, quin potiùs amplectamur mortificationem, & labores, juxta doctrinam Sancti Cypriani: *Ut semper Passio sit in memoria, nec terreant Crucifixi hæredes Crucis supplicia:* Ut ad repetitionem & rememorationem, quæ fit in hoc Divinissimo Sacrificio, de novo augmententur & crescant nostræ virtutes; prout subjungit Sanctus Augustinus in Psalm. 75. *Quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui primâ gratiâ sua nos innovavit.* Quatenus omni die de novo moriamur cum Christo, ùt membra ejus, concludit Sanctus Bernardus: *Si membrum Christi es, compatere capiti tuo; si Frater Christi es, commorere Fratri tuo.*

VI. Hoc ergo de præterito in memoriam nobis reducit in Sacramento nomen istud: *Hostia*, & *Sacrificium*; sed vocatur etiam pro futuro *Viaticum*, & *Eucharistia*. *Viaticum*, quod in hac peregrinatione nos sustentat, quod in hoc nostro itinere nos conservat, & quod in discessu ex hac vita ad æternitatem, pro tam longo itinere conferre nobis debet robur, & vires. Et quasnam vires? Illas, quas solummodo potest DEUS dare, gratias nempe Divinas; hac de causa

ſa vocatur *Euchariſtia*, quod idem eſt, ac *Bona gratia*; & quidem tam bona, ſicut eſt Ipſemet DEUS, fons & origo omnis gratiæ: idcirco per ſpeciale nomen ſuum illam adfert iſtud Sacramentum. Omnia alia Sacramenta conferunt gratiam, ſed exceptô hôc, nullum aliud illam continet ratione ſui nominis; quia hoc ſolum eſt illud, quod continet in ſe Ipſummet Dominum, Ipſummet Diſtributorem gratiæ. Hinc etiam ex eo, quod in præſenti nobis diſtribuit, vocatur etiam *Communio*, & à Græcis vocatur *Synaxis*; & hoc propter id, quod exteriùs videmus, id eſt: ob unionem Fidelium cum Eccleſia ad percipiendum iſtud Excellentiſſimum Sacramentum; idcirco idem ſonat *Synaxis*, quod *Congregatio*. O! Congregatio Salvatoris, quale eſt tuum vinculum, qualis obligatio ad amorem, ad frequentiam, ad teneritudinem cum hoc Diviniſſimo Sacramento, quod vocatur, & cognominatur *Congregatio*, quia vult conjunctos, & unitos eſſe Fideles ad ſui perceptionem? Sed hoc conſiſtit, prout dixi, in hac exteriori corporum unione. Sed & plus adhuc dicit hoc nomen *Communio*. O utinam bene penetraremus illud, quod dicere vult iſtud nomen, quod in tantum apud nos in uſu eſt, & quod toties repetimus. Quid igitur dicit hoc nomen *Communio* Dilectiſſimi? dicit *Communem Unionem*, unionem omnium, & cujuslibet cum Ipſomet Chriſto Domino, ùt noſtro Capite, remanentibus nobis ùt membris unius Corporis. De hac unione cum Chriſto loquar poſtmodum. Propterea dicit: omnes nos, qui adinvicem communicamus, debere remanere tam unitos in amore, in charitate, in affectibus, ut omnes ſimus una Anima, unus ſpiritus, cor unum. Videtur hoc forſitan vobis eſſe exaggeratio? Eſt veritas Catholica, eſt puriſſima Doctrina Fidei. Hoc dicit hoc nomen *Communio*, quod explicat ipſe Sanctus Paulus 1. ad Corinth. cap. 10. v. 17. *Multi unum corpus ſumus, qui de uno Pane parti ipamus.* Quam ob cauſam cogitatis, quæ unt Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & Sanctus Auguſtinus, quòd elegerit Dominus pro hoc Sacramento Panem, & Vinum? Quare non carnem? quare non aliquem fructum? Bene hoc advertite: quia Panis fit, & formatur ex multis granis frumenti, quæ inter ſe manent in tantum unita, ut ultrà non poſſint diſtingui, nec ſeparari. Vinum congeritur ex multis uvis, quorum ſuccus, quorum liquor expreſſus, non tantum ad invicem uni-

unitur, ſed fit unus idemque liquor: *Namque aliud in unum ex multis granis conficitur; aliud in unum ex multis acinis conflat*; inquit Sanctus Auguſtinus Tract. 26. in Joan. hac de cauſa Panem, hac de cauſa Vinum elegit Chriſtus Dominus ad conficiendum hoc Excelſum Sacramentum, ad oſtendendum nobis omnibus, quòd ſicut illic ex multis granis unus ſolum Panis conficitur, ex multis acinis unum ſolùm Vinum; ità per communionem hujus Diviniſſimi Panis, debeant manere noſtræ animæ, noſtra corda, & affectus ità uniti, ut non tantùm diviſio diſcordiarum, ſeparatio odiorum, ſed etiam diſtinctio inter nos abſit voluntatum: *O Sacramentum Pietatis!* exclamat Sanctus Auguſtinus: *ô Signum Unitatis! ô Vinculum Charitatis!* Tract. 26. in Joan.

VII. Quomodo igitur vocantur Communiones illæ, in quibus ille ipſe dies Communionis non eſt aliud, niſi dies maximæ diſunionis, dum ex Eccleſia redeunt ad rixas, ad diſcordias, ad iras, nunc Maritus cum Uxore, nunc Pater cum Filiis, modò Domina cum Ancillis, absque omni reflexione, quòd Communio dicat unionem totalem noſtrorum cordium, quæ non admittit nec quidem leviſſimos defectus, dicit Sanctus Chryſoſtomus? *Hoc Myſterium, etiam ab omni vel tenui inimicitia, purum eſſe penitùs jubet.* Certus quidam Vir, refert Thomas de Kempis, de ſeipſo faſſus eſt, quòd dum accedebat templum ad audiendam Miſſam, ad elevationem Hoſtiæ, illam nullô modô videbat; nihil aliud videbat præter elevatas manus Sacerdotis. Res iſta magnam illi cauſabat ſolicitudinem, & cogitans cauſam hujus rei eſſe brevitatem visûs, ſtudebat magis vicinus eſſe Sacerdoti celebranti, ſed hoc ipſum, quod antea, ei eveniebat: denique Hoſtiam non videbat. Quid hoc eſt? cogitabat; & revera hoc illi evenit tali modo per ſpatium totius anni, uſquedum rem cuidam aperuiſſet Sacerdoti. Cœpit iſte ex illo quærere, & de multis interrogare, uſquedum expiſcatus fuiſſet, & inveniſſet illum habere certum inimicum, cui per totum illud tempus noluit offenſam condonare; Iſta eſt cauſa, dixit illi. Tunc ille cum vero dolore confeſſus eſt ſua peccata, condonavit offenſam, contulit ſe ad Eccleſiam, & immediatè, cum indicibili tripudio, & exultatione ſuæ animæ, vidit in elevatione Sacro-ſanctam Hoſtiam. Et qua de cauſa non vident nec experiuntur hujus Sacramenti admirabiles effectus

in ſe plurimæ animæ? nempe ob contrarietates, rixas, rancores, diſcordias, quas obſervant abſconſas in corde, & quæ faciunt non eſſe Communiones illas, quæ taliter vocantur. DEUS det nè exinde ſeveriores & terribiliores ab eis pœnæ, & caſtigationes exigantur.

VIII. Duæ Mulieres, refert Joannes Bronius, & ex illo narrat noſter Pater Faya verb. *Communio*, *Exem.* 20. una dives, & altera pauper, vivebant in inimicitia; & quantumvis illa paupercula ſtudebat, & adlaborabat procurare pacem, nihilominus tamen illa dives, ùt magis ſuperba, nunquam illam admittere volebat. Erat hoc totum omnibus publicum, & ſcandaloſum. Hoc non obſtante, ſinè omni alia di poſitione (ah quot & quanti ex ſimilibus taliter accedunt ad altare) contulit ſe illa mulier dives ad Communionem Paſchalem. Sacerdos, eò quòd publica eſſet inimicitia, noluit illi ſacram porrigere Communionem. Quàm bene factum! Ità hoc mandant Sacri Canones. Illa ob verecundiam, dixit, ſe recipere in amicitiam, ſuam inimicam; ſed hoc cum fictione fecerat. Tunc Sacerdos illi ſacram porrexit Hoſtiam. Finitâ Miſſâ, ad portam Eccleſiæ paupercula illa mulier accurrit ad reddendas gratias cum maxima humilitate pro ſui receptione in amicitiam. Tantò magis irâ commota altera; & quid tu tibi cogitas, dixit illi? me forſitan tuam fore amicam? Citius me ſuſpendam, quàm hanc rem faciam. Vix hoc protulit, ecce immediatè nigrior pice effecta eſt, ceciditque eò ipsò momentò in terram mortua, & rupto in conſpectu omnium gutture, prodiit per illud ſacra Hoſtia, remanens in aëre ſuſpenſa, uſquedum cum ſtupore totius populi, qui accurrerat, veniſſet Sacerdos, & in genua provolutus, excepiſſet Hoſtiam in Patenam, reponendam in Sacrario, & illa miſerabilis & infelix projecta fuit in ſterquilinium ùt aliquis canis mortuus.

IX. Intelligamus, quid velit dicere: Communio, & nè nobis accidat tam terribilis pœna, & caſtigatio, debet eſſe non ſolùm Communio nomine, ſed realitate; Communio, unio noſtrorum affectuum, noſtrarum voluntatum, noſtrorum cordium, quæ, conjungendo nos in unum, per amorem, conjungunt nos in uno DEO per gratiam.

INSTRU-

INSTRUCTIO II.

De Distinctione, & de admirabilibus Emolumentis, quæ habet Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ supra omnia alia Sacramenta.

PUrpura, ut fiat integra æstimatio de illius elegantia, non est sola considerandа, opponenda est ei è vicino alia purpura: *Purpura juxta Purpuram dijudicanda.* Rapit oculos taliter pulchritudo, & inflammatio illius coloris, ut illa, quæ sola videtur non habere comparationem, comparata postmodum cum alia, remaneat immediatè taliter depressa & abjecta, ut bene perspiciatur, quantum una præ altera excellat. Idcirco in Capitolino Templo Jovis, conservabatur pallium ex Purpura, donatum, à quodam Rege Persarum, ubi conferentes suas Purpuras etiam maximi Imperatores Romani cum illa, si priùs videbantur absque paritate quòad alias eminentiores, in comparatione istius, nec quidem merebantur, ut eidem compararentur, apparentes jam nunc mortui cineres, in comparatione illius, quæ in elegantia demonstrabat Divinum splendorem, juxta phrasim Vopisci: *Cineres specie decolorari videbantur Divini comparatione fulgoris.* Sed, quòd si ex ista comparatione, inter tam distinctas Purpuras potuêre dignosci illarum elegantiæ emolumenta; hodie in eadem Purpura comparata secum ipsa (quandoquidem nunquam potest habere cum alia comparationem) melius possimus dignoscere emolumenta infinita, ad quæ usque potuit ascendere elegantissima Purpura Excelsissimi & Supremi Regis Regum; Sanguis dico, Filii DEI, qui, si in omnibus septem Sacramentis ostentat suam teneritudinem amoris, suum valorem, suam pulchritudinem, suum pretium, ità, ut in quolibet illorum solo consideratus, non videatur posse ultrà plùs facere inamoratus artifex Divinus pro nostro ornamento, & pro nostra pompa; omnia tamen postmodum simul unita, & ad invicem collata, magis nobis exhibent, quot & quanti sint Divini amoris excessus. In quolibet illorum videmus sanguinem DEI mortui, cum quàm accenso, & inflammato colore elegantiæ, & teneritudinis! cum quàm excelso ardore charitatis! cum quàm duplicata tinctura meritorum! Non po- I.

test

teſt ultrà aſcendere, diceret humanus, & etiam intellectus Angelicus, videndo ſolummodo quomodo in *Baptiſmo*, eductam animam ex ſervitute dæmonis, illam veſtiat Regali Purpura ut Filiam DEI. Ah quàm pulchra evadit! quàm ex tempore reaſſurgit in elegantia, & decore! Non poteſt altius pertingere, diceret. Sed poſtmodum videndo illam cum novo gradu honoris & gratiæ in *Pœnitentia*, etiam poſteaquam illa prima Purpura deperdita fuit per peccatum, dum reſtauratur per exceſſus abundantiores teneritudinis & amoris, jam illa prima non videtur tam elegans Purpura, & hæc ſecunda demonſtrat novâ facie præcellentiam. Non igitur ſe defatigent Philoſophi in demonſtrando, an poſſit dari infinitum unum majus altero; poſteaquam hoc ſic videmus in Sacramentis; non tantùm de hoc decertare, ſed excedere unum, alterum infinitum.

II. Cum igitur totum infinitum valorem Sanguinis ſparſi Noſtræ Vitæ Chriſti JESU habemus in quolibet Sacramento, eſt nihilominus veritas Catholica, definita per Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 7. can. 3. non eſſe æqualia inter ſe omnia Sacramenta; *Si quis dixerit hæc ſeptem Sacramenta ità eſſe inter ſe paria; ut nulla ratione aliud ſit alio dignius: anathema ſit:* hæc enim Purpura Divina comparanda eſt ſecumipſa ad cognoſcendum quomodo ſe tranſcendant gradus teneritudinis, & amoris ejus. Et cùm ſit maxima teneritudo, & ſupremus Amor in Sanctiſſimo Sacramento *Euchariſtiæ* iſta comparatio, eſt ſcopus, eſt punctum, & materia Doctrinæ Chriſtianæ, quæ in ordine jam ſequitur. Iſtud Sanctiſſimum Sacramentum, & admirabile Myſterium eſt inter alia Sacramenta, illud, quod inter metalla aurum; illud, quod inter Planetas Sol; illud, quod ſupra Cælos, Firmamentum. Iſtud Sacramentum cauſat ſicut alia omnia, ſignis viſibilibus inviſibilem gratiam, quæ oculis Fidei reſervatur. Hoc Euchariſtia habet commune cum aliis Sacramentis. Sed quanta tamen cum differentia, quanta cum diſtinctione? procedamus hoc obſervare per Fidem, ut ſciat illi correſpondere noſter amor. Omnia alia Sacramenta conſiſtunt in uſu actuali, quò percipiuntur. *Baptiſmus* non eſt Sacramentum dum adhuc exiſtit aqua in baptiſterio; ſed quando ad affuſionem aquæ pronuntiat ſimul miniſter verba formæ ſupra illum, qui baptizatur; & finitur ibi Sacramentum. *Extrema Unctio*, *Ordo*, non ſunt Sacramenta quando adhuc

adhuc ſunt in vaſis Sacra Olea, ſed ſolummodo quando debitis cum ritibus ad unctionem pronuntiavit Miniſter verba formæ illorum Sacramentorum, & immediatè ibi tunc conficitur Sacramentum; & ſic de cæteris. Solum ſupremum, & excellentiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, quod velut ſolium DEI, velut Palatium, & Hoſpitium, elegit Majeſtas ſua ad habitandum inter nos, Sacramentum permanens eſt; cùm non fuerit contentus DEUS operari ſolummodo tranſeunter beneficia; ſed voluerit ſuam habitationem habere in medio noſtri pro omnibus neceſſitatibus. Hac de cauſa igitur, etiamſi verba Conſecrationis, quæ profert Sacerdos, immediatè tranſeant, etiamſi, dum illud percipimus, hoc contingat in inſtanti, tamen non voluit, ut conſiſteret in hoc ſuum Admirabiliſſimum Sacramentum. Sed in quo? In illo quod durat, in illo, quod perſeverat, id eſt: in ſpeciebus Panis, & Vini, quod noſtri vident oculi, & in ſuo ipſiſſimo Corpore, & Sanguine, quæ ſub his ſpeciebus adorat realia, & vera, noſtra Fides. Ità, ut, dum reverenter aſſervatur, etiamſi nullus ad Communionem accedat, permaneat integrum, & totale iſtud Sacramentum, promptiſſimum ad noſtrum bonum; expectat DEUS, ut ſe quæramus incarceratum intra ſpecies, uſquedum quis adveniat, pro conſequenda ab illo, ſua libertate; & totus ſummus DEUS, adhibet curam ſolummodo ad hoc, ut videat, ſi quis velit accipere omnia ſua bona. Grandis liberalitas foret iſta alicujus Principis, qui omnibus ſuis ſervis, & Miniſtris conſignaret ſuas divitias, cum mandato, ut cuicunque neceſſitati cujuſcunque Vaſalli quàm promptiſſimè ſuccurrerent; ſed, plus eſſet, ſi ipſemet Princeps ſe in aliquo loco includeret cum omnibus ſuis divitiis, expectans omnibus inſtantibus, ut videret an aliquis eſſet, qui illas omnes habere vellet. Quis amor eſſet iſte? Quid non mereretur etiam ab ingratiſſimis? Ecce quid facit DEUS in hoc Sacramento? Expectat me, & te ſolummodo, ut ſe nobis totum poſſit tradere. O teneritudinem amoris, etiam ſupra teneritudines infinitas, ſupremam!

Dederat ille Ipſemet aquam miraculoſam Iſraëlitis binis vicibus, ſemel in Raphidim Exod. c. 17. v. 6. altera vice in Cades Num. c. 20. v. 11. faciens affluenter effundi, & exoriri novos fontes ad ſatisfaciendum Populi ſiti, ſed poſtmodum per novum miraculum III.

fecit, ut illos ſequeretur in ſuo itinere, illa ipſiſſima Petra, quæ illis ſerviebat pro ſcaturigine. O quàm multò majus, & ſalubrius beneficium, etiamſi prima illa beneficia tam grandia fuerint? Hac de cauſa bene illud particulariter perpendit Sanctus Paulus; 1. ad Cor. c. 10. v. 4. *Conſequente eos Petra.* Sed inter nos eſt infinitè majus beneficium; ſiquidem non fuit contentus dare nobis rivos in aliis Sacramentis, ſed dat nobis in hoc Sacramento ipſum fontem, noſtram Petram, quæ eſt Chriſtus, non jam in figura ſed in realitate: *Petra autem erat Chriſtus*, ibid. In aliis Sacramentis dum exiſtunt unitæ materia, & forma, tunc confert gratiam; ad exiſtentiam, dico, in *Baptiſmo* aquæ, quæ eſt materia, & verborum Miniſtri, quæ ſunt forma. Sed in Euchariſtia, materia, quæ *Panis* eſt, & *Vinum* ex integro deſtruitur, & annihilatur; verba Sacerdotis, quæ ſunt forma, tranſeunt, & volant. Et quis dat animæ in hoc Sacramento gratiam? quis? Ipſemet Filius DEI ſuis propriis manibus, utpote qui remanet ſub ſpeciebus. O quale emolumentum, tam infinitum, quantùm intercedit inter artificem vivum, & inſtrumentum mortuum, quantùm intereſt inter Principem ſupremum, & ejus inferiorem Miniſtrum! quantùm intercedit inter *Aquam*, & *Oleum*, & ipſammet Divinitatem, & quantum tandem intercedit inter DEUM, & creaturam. In aliis Sacramentis ſunt inſtrumenta Creaturæ, quibus mediantibus confertur gratia animæ, quæ illa ſuſcipit; ſed in Euchariſtia ad dandam Animæ gratiam non adeſt humanus Miniſter, non adeſt creatum inſtrumentum; Ipſemet DEUS intimè unitus Animæ eſt ille, qui ibidem liberaliter ſe communicat. Et quantum intercedit inter illud, quod diſtribuit ſervus, & inter illud, quod aliquis Rex ſuâ propriâ manu elargitur, quem ipſamet ſua dignitas obligat eſſe generoſum? Obſervate hoc. Perfecit neſcio quem exiguum laborem quidam Artifex ſummo Pontifici Paulo IV. & ſucceſſit illi tam excellenter, tam ad guſtum Pontificis, ut hic propriâ manu Artifici ſe exſolvere ſtatuerit. Sanctiſſime Pater, dixit Artifex, jam mihi Præfectus Aulæ ſolvit. Ità, reſpondit illi affabiliter, non dubito quin vobis perſolverit veſtrum laborem; ſed ego volo vobis ſolvere veſtram induſtriam, & artem; & porrexit illi ducenta ſcuta aurea pro tam exquiſita diligentia, quando præfectus aulæ ſolummodo illi dederat ſex ſcuta pro labore. Tantum diſtat ſolutio à ſervo

vo facta, à ſolutione Principis; quantum enim iſte dilatat ſuam magnitudinem, tantum ille conſtringit ſuam inferioritatem. Perillus, pauper nobilis, petiit ab Alexandro aliquod ſubſidium pro dotandis certis ſuis pauperculis filiabus quas habebat, & ille ſinè cunctatione: dentur tibi, dixit illi, quinquaginta talenta auri. Erat hæc ſumma grandis, & idcirco ille quaſi ſtupefactus, & ſtupore oppreſſus; decem ajebet talenta mihi ô Rex ſufficiunt. Apage hinc, repoſuit Alexander, tu petis ùt Perillus, Ego dono ùt Alexander. Sed quid dixiſſet, ſi dicere potuiſſet, ego dono ſicut DEUS? O quantò majoribus cum lucris DEUS largitur ſupra id, quod poſſunt dare creaturæ, etiam quando ſunt ejus inſtrumenta! Ille DEUS: qui in commodum, & utilitatem corporum, contulit tantam virtutem plantis, lapidibus, & finaliter contra ipſum venenum carnibus viperarum! Judicet jam quilibet, qualis ſit illa virtus futura, quam reſervavit ſuæ ipſiſſimæ Carni Virginali, deſtinatæ in hoc Sacramento pro antidoto Animarum? Ideo illa ecſtatica admirabilis Virgo Sancta Thereſia à JESU, ut in ejus vita legitur cap. 34. exhortans ſuas Filias ad lucrandam per vivam Fidem unionem cum DEO, poſt Communionem, dicebat illis: qui tranſeundo reſpiciens ſanabat cæcos, unicô verbô ſuſcitabat mortuos, ſolô attactu fimbriæ ſuarum veſtium ſanitati reſtituebat infirmos, quid non faciet tam intimè unitus vobis in corde, & in anima?

Non reliquit domi, ſolebat gratiosè dicere Admirabilis Heros Pater Balthaſar Alvarez è noſtra Societate Confeſſarius ante dictæ Virginis Sanctæ Thereſiæ; non reliquit domi, quando ſe includit in Euchariſtia, non reliquit domi oculos ſuæ miſericordiæ, cor ſui amoris infiniti, viſcera ſuæ pietatis, non; omnia hæc habet unita in hoc Sacramento. Quomodo igitur ibi non partietur ſua beneficia? Hac de cauſa ergo dixit grandi cum proprietate Catechiſmus Romanus; omnia alia ſex Sacramenta eſſe ſicut rivulos reſpectu Euchariſtiæ, quæ eſt fons. Quòd ſi alia ſunt ſigna repræſentativa gratiæ; iſtud non ſolam gratiam, ſed Ipſummet Dominum, & Fontem Gratiæ repræſentat, & continet. Idcirco ſi omnia alia ſunt Sancta, hoc ſuper omnia appellamus Sanctiſſimum. Quapropter antiquus Sanctus Pater Dionyſius dixit: hoc Sacramentum fuiſſe Perfectionem, quæ IV.

complebat Finem, ad quem ordinabantur omnia alia Sacramenta.

V. Regenerat, & confert primam vitam in Chriſto *Baptiſmus*; ſed hanc vitam conſervat & augmentat *Euchariſtia*. Fortificat in Fide ad pugnas & certamina *Confirmatio*, ſed iſtam fortitudinem adauget uſque eò ad eam reddendam invincibilem, Panis Sacramentatus. Idcirco euntes ad tormenta illum percipiebant Martyres; unde reddebantur tam inſuperabiles. Et ſic, armatus hoc Pane Divino, quem pro ultimo fine perceperat Sanctus Laurentius, vicit tam terribilia ſupplicia. Repetimus hoc nos Sacerdotes, finitâ Miſſâ, poſtulantes fortitudinem: *Qui Beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare.* Poſt Baptiſmum mundat, & lavat animam à peccatis *Confeſſio*; Euchariſtia non ſolum illam purificat etiam à venialibus, ſed etiam præſervat à futuris lapſibus. Tollit reliquias culparum, & corroborat pro morte animam *Extrema Unctio*; Euchariſtia confortat magis iſtas vires in tam periculoſo certamine. Diſponit & conſecrat *Ordo* Miniſtros pro Altari; ſed Euchariſtia illis tribuit omnem ſuum ſplendorem, omnem ſuam gloriam. Dat gratiam *Matrimonium*, uniendo duas animas in amabili concordia; ſed Euchariſtia in virginali puritate unit ſtrictius Chriſtum cum ſua Sponſa Eccleſia. Ità ergo in hoc Sacramento conſiſtunt unitæ cum admirabili eminentia omnium Sacramentorum virtutes, prærogativæ, gratiæ, tanquam in fonte rivuli. De Opalo, lapide ſtupendo, dicunt Naturaliſtæ, quòd cùm ſit unicus lapis, contineat nihilominus in ſe omnes ſimul lapides pretioſiſſimos; ſiquidem habet ex *Carbunculo* flammam, ex *Adamante* ſplendorem, ex *Amethyſto* purpuram, ex *Smaragdo* viride, & ex omnibus ditiſſimum & elegantiſſimum: *Opalus diſtinctus diverſarum colore gemmarum*, dixit Sanctus Iſidorus lib. 16. c. 2. Et Plinius lib. 37, c. 6. *Eſt in eo Carbunculi tenuior ignis; eſt Amethyſti fulgens purpura; eſt Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia.* Et ſi hoc in uno lapide facit tantum ſtuporem, ut illum reddat inæſtimabilem; quid non erunt unita pretia omnium pretiorum DEI in ſuis Sacramentis pretioſiſſimo in Euchariſtia? Ideo etiam illam vocat Areopagitta Finem, ad quem omnia ordinantur Sacramenta, quia ſi omnia & quodlibet illorum dirigitur ad uniendam animam, quæ illa percipit, cum DEO,

DEO, prout hoc faciunt per gratiam; qualis unio arctior, & ſtrictior excogitari poteſt, quàm illa, quam in hoc Sacramento admirabili conſequitur cum Ipſomet DEO anima? Hac de cauſa igitur eſt conſummatio & perfectio omnium Sacramentorum.

VI. Multùm equidem hoc eſt, quòd ſit unio, quòd ſit compendium omnium etiam maximorum Myſteriorum. Sed quid, quòd penes repetat admirabili modo Incarnationem Filii DEI, quàm cæli & terra obſtupuêre? Et ſi uniri DEUM cum illa ſola infinitè fortunata Humanitate rapit in Ecſtaſim Seraphinos; quid erit extendere iſtam Incarnationem (& hoc ſic explicat Sanctus Chryſoſtomus) ad unionem pro nunc per iſtud Sacramentum cum quolibet, qui illud percipit? Quid erit: quod repetat ejus nativitatem amabiliſſimam in terra, jubilum Mundi, & Angelorum, renaſcendo admirabili modò in hoc Sacramento, in quo tot, & tantis vicibus ſe præbuit videndum ùt tenerum, recens natum Infantulum. Quid quòd repetat totam ejus doloroſiſſimam Paſſionem, memoriam & delineationem principaliſſimam, quâ inſtituit iſtud admirabile Sacramentum, ut eſſet ſimul Sacrificium. Quid quòd repetat ejus glorioſam Reſurrectionem, permanentis ibi cum ſignis ſepulti, & mortui, & cum realitate vivi. Et quòd tandem repetat ejus triumphalem Aſcenſionem, conſervando in hoc Sacramento dotes Corporis glorioſi. O quæ collectio exceſſuum tam prodigioſorum! Et cùm quodlibet Sacramentum ſit totum pelagus, cùm quodlibet Myſterium ſit totum pelagus, cùm quodlibet Myſterium ſit velut abyſſus; omnia unita cum emolumentis in Sacramento Euchariſtiæ, quid erunt? Meditetur hoc Fides, complectatur hoc, ſi poteſt, tota anima amore, & videamus hoc repræſentatum ſuo modo in ſequenti prodigio.

VII. Refert doctus, & ſpiritualiſſimus Pater Joannes Euſebius Nieremberg in lib. hiſt. Peregrinæ cap. 15. de miraculis Europæ; narrat illud ſimiliter Vaſconcellius in deſcript. Regn. Luſitan. noſter Hautinus num. 18. & alii, & eſt conſtans fama multorum, qui etiam usque hodie ſunt teſtes de viſu. In certo territorio Luſitaniæ, dicto antiquitus Scalabiſco quod hodie, ob reverentiam Sanctæ Irenæ, vocatur Santarem, quædam Mulier, quæ in gravibus diſcordiis cum ſuo Marito, patiebatur Infernum, qui in talibus domibus malè conjugatorum ſuſtinendus eſt, contulit ſe ad certam Veneficam, & Judæam,

dæam, petere ab ea, ut ſibi daret ad manſuefaciendam illam indomitam, quantumvis domeſticam, tigridem, aliquod remedium. Obtulit venefica illud cum pacto, quatenus ſibi adferret ex Eccleſia Hoſtiam conſecratam. Perverſa Fœmina, impia pariter ac ignorans ità hoc executa eſt; & in certa Eccleſia, Sancto Stephano conſecrata, ſumpta Communione dexterrimè ſcivit occultare in ſtrophiolo Hoſtiam conſecratam. Portavit hanc maxima cum cautela, & abditè; ſed protinus cœpit ſe manifeſtare Diviniſſimus Dominus, qui in illa ſe occultabat; quandoquidem cœpit effundere in tanta abundantia ſanguinem, ut ſignando iter, demonſtraret etiam horrendum ſacrilegium. In tantum ſanguis profluebat, ut reflectentes oculos in illam quotquot illi obviabant, quærerent ſimul, quid tu portas Mulier? Eſne vulnerata quòd tantum ſpargas ſanguinem? Illa, vulnerata melius ſimilibus verbis in anima, occultavit quantum potuit prodigium; venit ad ſuam domum, incluſit Divinum Sacramentum in quadam ciſtula; & noctu dormiente ſuo Marito, fuit tam grandis ſplendor, ut totam repleverit cameram, qui expergefactus, totus attonitus & neſciens cauſam: Uxor, dixit illi, quid eſt hoc? Illa tunc impotens ultra rem celandi ad tantum miraculum, confeſſa eſt illi apertè quid practicaverit. Denuntiavit ille hoc Parocho. Venit iſte, & ubi notorium factum fuit prodigium, accurrerat innumerabilis multitudo hominum etiam de convicinis locis. Et hic contigerant frequentiſſima prodigia, & tot, quot advenerant perſonæ, quæ hoc Sanctiſſimum intuebantur, & quæ uſque in hodiernum diem illud aſpiciunt; quandoquidem uſque hodie durat, & conſervatur cum grandi admiratione iſta Hoſtia Sanctiſſima, & fit; ut omnes, quot & quanti & quantæ illam intuentur, illámque venerantur, videant Imaginem Domini noſtri JESU Chriſti in diverſiſſimis formis. Alii ibi illum intuentur Crucifixum, alii in Cælo glorioſum; iſti in Bethlehem ut recenter natum, illi ad columnam ligatum, & alii ſpinis in Prætorio coronatum; & ſic in omnes attonitos redundat lætitia, videntes in unico objecto tanta mirabilia, in unica Hoſtia tot Myſteria. Et affirmat ipſemet Pater Joannes Euſebius, duos Fratres noſtræ Societatis, qui Madriti morabantur, quando hoc ſcribebat, affirmaviſſe, quòd hoc Prodigium viderint, unus in figura: *Ecce Homo*; & alter ut partem vel fruſtum Carnis albiſſimæ. Ità Prodi-

gio

gio tantô per omnes partes ſtupendo, manifeſtat Dominus, qualiter in hoc Sacramento adunentur, & comprehendantur omnia Myſteria, omnia Sacramenta, & omnes finaliter excellentiæ DEI.

O Pater Diviniſſime noſtrorum cordium, ſicut te adoramus oculis noſtræ animæ, ſic ſit noſtra diſpoſitio ad fruendum fructibus tantorum mirabilium. Non ut Te intueamur excruciatum propter noſtra peccata, nec iratum ob noſtra delicta, ſed affabilem & amoroſum, videntes noſtrum Amorem, triumphantem, & glorioſum, videntes noſtram Gratiam, quæ ſit pignus ad te comitandum & fruendum in gloria. VIII.

INSTRUCTIO III.

De Materia Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ; & quare pro Materia elegerit Dominus Panem.

QUod oculum oblectat, non ſemper bene menſuratur ex eo, quòd grande ſit, nec ex præcellentia materiæ Præſtantia artificii deſumitur. Plus generoſo operi addit, qui ſinè rumore oſtentationis, & plus ſagacitati, qui aliquam materiam per ſe non æſtimabilem, facit, ut ſit inæſtimabilis pretii, ſolummodo propter ſuum valorem. Ille præſtantiſſimus Pictor Giotti, alter Apelles Florentiæ, fuit requiſitus, quatenus aliquod ſpecimen ſuæ demonſtraret artis, ut illud Romæ videns Summus Pontifex Benedictus IX. illum inter alios Arrifices ad grande Opus Sancti Petri adhiberet. Et quando poterat expectari, quòd applicaturus foret anxius omnes ſuas exquiſitiſſimas ideas, ille pro tunc, ſinè ulteriori prævention, arripiendo folium chartæ, fixè ſtatuit ſuum in tabula cubitum, & abſque alio circino, præter ſuos digitos, formavit penicillo circulum tam exactum, tam perfectum, ut poſtmodum circinô dimenſus, etiam ipſemet circinus regulatus evaſerit ad fixiorem certitudinem dexteræ, non diſcrepante, nec quidem unicô punctô in tota ſua circumferentia, lineâ. Sufficit hoc pro proba, dixit famoſus ille Pictor. Et abſque dubio ſuffecit; nam non conſiſtit in multitudine, ſed in raritate proba rei artificioſæ, & præſtantia I.

arti-

artificii. Ità ille in parvo luculentè demonſtravit, quid poſſet in magnis: iſto circulo ſtringebat totius artis ſuæ excellentias. Et quid dicemus de illo Circulo, in quo Artifex Divinus in gyro unius Panis operatus eſt totam Omnipotentiam DEI? De illo Circulo, qui complectitur quantum DEUS ſcit facere, ſinè præparationibus externæ oſtentationis; ſinè rumore profanorum ſumptuum, in Pane præparans tam faciliter multò præſtantius Convivium, quàm unquam celebratum fuit in terræ hujus Palatiis, cui nec in Cœlo quidem ſimile poterant unquam præparare abundantes abaci. In *Pane*, & *Vino*, iſta eſt tota præparata materia Diviniſſimi Sacramenti Altaris; & ità præparata, ut deſtructâ poſtmodum totâ eorum ſubſtantiâ, ſub accidentibus remaneant omnes epulæ cæleſtes, omnes ſuavitates gloriæ, & delitiæ divinitatis; ſiquidem, cum in ſuſtentatione conſiſtat vita, ità, ut non detur vivens, quod tale eſſe poſſit ſinè alimento, quod illud nutriat, quod illi vires reſtauret, quod illud ſuſtentet; idcirco, eò quòd in hoc Sacramento Excellentiſſimo præpararet ſua Majeſtas vitam Animæ, illud inſtituit in modum excelſi Convivii, ſicut dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 74. art. 1. Quia enim Baptiſmus lavat Animam denigratam per peccatum, voluit Dominus ut eſſet Aqua ejus materia, ut per illud, quod repræſentatur oculis corporis, monſtretur id, quod facit in anima; ſicut Confirmatio, quia corroborat Animam, & vires illi ſuppeditat; ideò voluit ut ejus materia eſſet oleum olivarum quô antiquitus ungebantur Athletæ, & gladiatores, dum luctas & certamina adirent; hic autem: ut tantò melius demonſtraret noſtræ Fidei, hoc oleum qualiter conferat Spiritui vigorem. Ità pariter, ſicut totum eſſe vitæ Animæ dat Euchariſtia, hac de cauſa voluit nobis illam relinquere in convivio, in alimento, ut intelligamus, & ſciamus, quòd ſi corporale eſt illud, quod ſuſtentat vitam corporis; comeſtio divina, eſt abſque omni dubio illud, quod confortat, & ſuſtentat vitam Animæ.

II. Hac de cauſa igitur, eſt ejus neceſſaria materia Panis, & Vinum, quod debet ſolummodo eſſe ex uvis, & non ex alio; & Panis, qui debet ſolummodo eſſe ex tritico, & non ex alio frumento, & abſque omni alia mixtura, quæ illum corrumpat, & abſque omni alia farina, quæ illum immutet. Neſcio an dicere debeam, hanc eſſe vel maximè neceſſariam circumſpectionem in his noſtris infortunatis

natis annis, in quibus cum viderimus in ordinario pane tantas mixturas, etiam timendum est, nè in hoc Pane Excellentissimo illas voluerit introducere cum summa impietate avaritia. Querela antiqua est, & lamentatio magnorum virorum de incuria, quâ permittuntur coqui Hostiæ ab hominibus infimæ sortis, exigua munditie quâ hoc opus peragunt, parvo respectu, quò eas exscindunt; & planè exiguâ reverentia, quâ tractant. O Sancte DEUS, & quomodo sopita cum Fide stat nostris temporibus devotio! Panes propositionis, qui in lege antiqua erant solummodo mortua figura hujus Divinissimi Panis, erant obligati Sacerdotes, ut suis propriis manibus conficerent, dicit Liranus; & quia illi negligentes, ampliùs hoc non faciebant, conqueritur contra illos reprehensione, & fastidio DEUS per Malachiam Prophetam cap. 1. v. 7. *Offertis super Altare meum Panem pollutum.* Quantò majori ratione conqueretur noster DEUS, quòd illum Panem Divinum, qui servire debet pro velo, & pro cortina suæ ipsimet Divinitati, tractent manus tam indecentes, manus tam impuræ? Ego scio Sanctum Anacletum Papam in Exordio Ecclesiæ, mandâsse, ut iste Panis destinatus ad finem tam excelsum, ad quem conficiendum lubentissimô animô se Angeli humiliarent, præpararetur per manus proprias sacerdotum, vel saltem in illorum præsentia, & in illorum oculis illum conficerent Ministri, cum munditie, & cura: *Panes, quos DEO in Sacrificio offertis, aut à vobismetipsis, aut à vestris pueris, coram vobis nitidè, ac studiosè fiant. Et diligenter observetur ut Panis, & vinum, sinè quibus Missæ celebrari nequeunt, mundissimè ac studiosè tractentur.* Scio, Concilium IV. Mediolanense prohibuisse, ut nec vir sæcularis, nec mulier aliqua conficeret pro Sacrificio Hostias: *Hostias, pro Sacra Eucharistia conficienda, non laicus homo, nec fœmina faciant.* Scio ego, quòd grandis pietas illius Sancti Regis Bohemiæ Wenceslai attenderit ad hoc cum tanto fervore, & zelo, ut frumentum, quod pro Hostiis destinatum erat, suis propriis Regiis manibus seminaverit, suis propriis Regiis manibus messuerit, cribraverit, præparaverit; & hoc absque omni dubio contulit illi æternam gloriam, & coronam, Martyrol. Rom. 28. Septemb. Scio tandem, ex relatione Cæsarii, quòd dum in Germania quidam Sacerdos in Sacrificio Missæ Hostiam consecrare vellet, hæc tribus vicibus ei ex manibus evola-

verit, ut coactus ſit aliam conſecrare. Perſcrutans, & recognoſcens poſt Miſſam illam primam, invenit in illa per negligentiam vermem immixtum maſſæ. Taliter zelat DEUS etiam in materia Panis totalem puritatem. O quantum deberemus timere de frequentibus indecentiis, quæ cum hoc Pane Divino committuntur! Ah manus ſponſarum Chriſti, quàm multò meliùs applicatæ foretis conficiendo huic Pani Excellentiſſimo, quàm ſitis occupatæ in conficiendis paſtillis buccellatis! Quantò meliùs inveniretur iſte Panis Virginum, in domibus Virginum, quàm intrà manus omnino indecentes.

III. Sed quandoquidem ſua Divina Majeſtas nobis volebat dare hoc Diviniſſimum Sacramentum in alimentum animæ, quare ergo elegit ſolummodo Panem, rem tam communem, tam ordinariam, tam exigui valoris; Panem; qui cibus mendico non minus, quàm Regibus, & Principibus communis eſt? Ad repræſentandum convivium tam excelſum, ſicut eſt Caro, & Sanguis DEI, poterat utique eligere epulas exquiſitiſſimas, cibum aliquem delicatiſſimum? Sed quid: quòd panem elegerit? Rem tam abjectam? Elegit tamen: & propter hoc ipſum (quæ ùt S. Thomas dicit: prima ratio eſt) propter communitatem nimirum, propter facilitatem; nam illius amor, cùm ſe totum nobis dare voluerit, voluit, nos habere pro illo percipiendo, nec difficultatem, nec expenſas, nec ſumptus. Quàm facile præparatu totum hoc Convivium! ad quod invidi convolant ùt ad ſuas delitias Angeli! ſi prout ſuperba Cleopatra, apponeret, in aliquo diſco liquefactum unionem, qui valebat viginti quinque millibus ſcutorum, quis pauperculus poſſet & auderet accedere frui hoc Sacramento? Si prout inflatus Juſtinianus, præparaviſſet ad celebrandum hoc Convivium quoddam conclave, cujus pavimentum, parietes omnes obducti laminis aureis, aureæ menſæ, aureæ ſedes, quis Rex præſumeret inſtituere hoc Convivium? Si, ſicut inſanus Caligula, poneret ſupra menſas panes ex auro, ex auro ſolido perdices, & tandem finaliter ex auro omnia fercula, ſerviente ſolummodo hac vanitate ad ſuperbiam, remanentibus famelicis invitatis; nihil profectûs exinde lucrarentur invitati. O quantum magis proportionatus amor! in communi Pane nobis propoſuit ſingulariſſimum DEI beneficium, ut illô fruantur, & in illo percipiant DEUM ſuum etiam pauperculi, miſerabiles, ſervi, & abjecti; *O res mirabilis!*

mam-

manducat Dominum, pauper, servus, & humilis; facit tam facile Divinus Amor illud, quod vanitas mundi tenebat pro impossibili. Celebrat Divina scriptura pro grandi re convivium Balthasari, dum, ostentando totum posse Assyriorum Imperiu, dedit magnificè ad comedendum mille Principibus: *Balthasar fecit grande convivium Optimatibus suis mille*, Dan. 5. v. 1. Celebrat ùt grande Convivium Assueri, quoniam ad faciendam pompam omnium suarum divitiarum, & gloriæ, apposuit mensam non solis Principibus, sed omnibus suis vasallis: Esth. cap. 1. v. 3. & sequent. Admiratur antiquitas Convivium Alexandri, qui in unico die decem millia invitatorum suæ mensæ adhibuit. Stupet nuptias Wenceslai Regis Bohemiæ, in quibus, in Civitate Praga, centum millibus hominum epulæ paratæ fuêre. Infinitè plus tamen, sed sinè vanis ostentationibus, facit DEUS omni die, mediante hoc Pane Divino, dum Communionem percipiunt unicô manè in aliqua sola Civitate, modò viginti, modò quinquaginta millia Animarum; & quot percipient sacram communionem unicô manè per totum mundum? In tantùm sinè pompis omnes deliciæ cæleſtes, communicantur, in tantum sinè strepitu omnia ferculà gloriæ.

Secundò elegit Panem, & Vinum, quia in his includuntur omnia bona quæcunque possunt in mundo desiderari. Sub his nominibus intelligimus omnes simul unitas felicitates. Laborat aliquis hominum, & desudat, & interrogatus de hoc, cur se ità defatiget? dicit, hoc se facere, ut possit panem lucrari. Nihil ultrà, nisi ut panem acquirat? Neutiquam; quandoquidem jam sub hoc intelligitur, quod in hac locutione loquatur de sustentatione, de vestitu, de domo, & de necessariis; frustum panis totum hoc dicit: & hac de causa elegit Dominus Panem, ut nobis omnia daret. Nec est ità vulgare dictum, quin ortum suum non habeat ex scriptura: *Frumento & vino stabilivi eum, & tibi fili mi, ultrà quid faciam?* dicebat Isaac ad Esau filium suum Gen. 27. v. 37. Dedi Jacob tuo fratri totum quodcunque dari potest, panem & vinum; jam pro nunc sub cælo nihil habeo, quod tibi dare possem. Idcirco igitur Panis & Vinum, est optima materia pro repræsentando illo Cibo Divino, in quo omnia compendiantur bona. IV.

V. Tertiò, elegit Dominus Panem, quia iſte ſolus in ſe continet guſtus & ſapores omnium ciborum. *Inter fercula præſtat*; bene illi pro inſcriptione apponitur, quia ſinè Pane nihil ſolemus guſtare. Sint in aliquo convivio fercula qualiacunque velint, ſi non apponatur panis in menſa, quis illis fruetur? Sed è contrario, ſi panis adſit, panis cum cibo calido, dat cibo ſaporem, cum frigido, tali cibo aſſociat guſtum, dulci ſe adaptat, acri ſe accommodat, cum omnibus omnia facit: *Inter fercula præſtat*. Idcirco igitur, pro guſtu animæ elegit Dominus hunc Panem Divinum, quia hic omnibus guſtibus Spiritûs dat ſaporem, dat illis embamma, dat illis animam. Vis ut oratio tibi ſapida evadat? Panis Euchariſticus eſt, qui illam reddit ſuavem. Hac de cauſa ille Patriarcha admirabilis Sanctus Dominicus Guſmanus, coram iſto Pane Diviniſſimo habebat ſuas ferventes ecſtaſes. Idcirco Sanctus Franciſcus Borgias ſepties de die accurrebat cum ſuis orationibus ad illas condiendas hoc Pane Excellentiſſimo velut ſaccharo. Vis ut tuum tibi proficuum fiat ſtudium? Iſte Panis excelſus debet illi dare lumen, & utilitatem; ideo ille Doctor Angelicus Sanctus Thomas ad lumen hujus Sacramenti regebat ſuum calamum, qui hucuſque dat lumen mundo. Ideo ille Spiritu totus dulcedo, Sanctus Franciſcus Saleſius dicebat, non eſſe ſermonem ad populum magis proficuum, quàm illum, qui præparatur, & cui ſtudetur coram hoc Pane Divino. Ob hanc cauſam, Eximius ille Doctor Pater Franciſcus Suarez, dicebat, inter ſua immenſa ſtudia, quòd illo die, quô intermittebat percipere in Sacrificio Miſſæ hunc Divinum Panem, exſiccaretur illi tam animus, quàm penna. Vis habere lumen intellectûs in eo, quô indiges pro negotiis animæ? Hic Panis Divinus accendit, & vivificat tale lumen, illud excitat; Panis iſte Divinus umbras diſſipat, diſponit divinationes. Idcirco illa ecſtatica Virgo Sancta Thereſia à JESU, quando vel maximè erat oppugnata ab obſcuritatibus & tentationibus, quam primùm ad Sacram acceſſit Menſam, ſicut dum naſcitur Sol mundo, ità naſcebatur illi Sol & illuminabat Sanctæ illius animam. Debet eſſe cum certitudine vocatio ad ſtatum ſervitii Divini? Hic Panis Divinus & ſpiritualis illam præfiniendo alleviat, & ſuavem efficit; hinc noſter Admirabilis Novitius Sanctus Stanislaus, illam adeptus eſt adeò completam, quia directa fuit juxta lumen hujus Diviniſſimi Sacra-

cramenti. Debent esse tandem finaliter cum divinatione & lucro omnes nostræ actiones, omnes nostri gressus, omnia nostra negotia? Idcirco Beata Coleta, Restauratrix admirabilis Franciscanissarum nihil aggrediebatur sinè consilio priùs habito cum isto Sanctissimo Sacramento; tali modo, ut, si quandoque volebat operari contra illud, quod ei in anima inspiratum fuit, non potuerit deglutire Hostiam, usquedum se determinasset id exequi, quod DEUS mandabat. Iste Panis Divinus igitur est sapor, est gustus, est condimentum omnium virtutum, sicut panis corporalis est sapor, & condimentum omnium ferculorum.

VI. Elegit tandem Dominus Panem, quia Panis hominem sustentat, & nutrit, Panis corroborat, & vires auget, Panis cor hominis recreat & delectat. De suis delitiis loquantur innumerabiles animæ, si tamen possint eloqui illud quod sentiunt, & voces superfint ad hoc explicandum. Sanctus Philippus Nerius abradebat usque adeo linguâ argentum ex calicibus ob illas quas sentiebat dulcedines. Loquatur Stephana de Soncino, Catharina Senensis, & aliæ innumerabiles, quæ etiam in corpore sentiebant inundantes hujus Sacratissimi Panis dulcedines. Quantùm corroboret, & vires adaugeat, hoc ponderabimus, quando de ejus effectibus loquemur. Qualiter sustentet, & quomodo nutriat, monstrat hoc non solùm in vita Animæ, sed etiam in vita corporis. Omitto nunc multos, qui per quadraginta dies, per octuaginta etiam, vivebant sinè aliqua alia sustentatione, quàm cum illa Eucharistiæ; sed de Abbate Hor. refert Palladius, quòd vixerit tribus annis integris sinè omni alia refocillatione, solummodo Sacram Communionem sumendo ternis vicibus intra septimanam. Per multò plures annos, refert Michaël Studita, vixisse in certo carcere suum Magistrum Theodorum Studitam, sinè omni alio cibo, præter hunc solum Panem cælestem. De Nicolao de Rupe, moderno Anachoreta, refert noster Bollandus, illum vixisse novendecim annis, & sex mensibus, sinè omni alia refocillatione corporis, quàm hujus solius Divini Panis, qui in se continet omnes alios cibos. Quid mirum igitur, quòd si unicô die omittebat refici hoc cibô Sancta Catharina Senensis, ad talem laberetur debilitatem, ad talem animi defectionem, ut jamjam videretur exspirare; restaurabantur autem vires, & quasi revivisscebant immediatè, quàm primùm

mùm illi in os ponebatur hic Sanctiſſimus Cibus? Et quid multùm, tot & tantas Animas fortunatiſſimas quæſiviſſe hunc Panem continuò cum ſummis anxietatibus?

VII. Refert Sanctus Thomas de Villanova Serm. 2. in Feſto Corp. Chriſti, ſe noviſſe, & conversatum fuiſſe cum certa Tertiaria Auguſtiniana, quæ, ùt Cervus deſiderat ad fontes aquarum, ità illa anhelabat percipere Corpus noſtræ Vitæ Chriſti JESU. Accidebat illi tam arduum intermittere unicô ſolô die Sacram Communionem, ut ſi per infortunium in loco, in quo habitabat, fuerit, prout in illo fuerat loco, impedimentum interdicti, ex illo immediatè diſcedebat, & ibat pedes omni manè per longiſſimam diſtantiam ad alium locum ad percipiendum hoc Sanctiſſimum Sacramentum. Advenit ergo dies Jovis Sanctus, & cùm translatum fuiſſet Sanctiſſimum ad Repoſitorium, prout hoc die fieri ſolet, adfuit illa tardè, & non inveniens ultrà particulam, cœpit profundere tantas lacrymas, edere tales gemitus, ut videretur deflere filium mortuum. Sed ubi ità gemebat in tantum afflicta, apparuerunt illi in aëre viſibiliter duæ manus, & in illis Sanctiſſimum Sacramentum, ex quibus illud percipiens, commutata eſt illi ſua amariſſima amaritudo in incredibile tripudium.

VIII. O utinam cum talibus anxietatibus quæreremus omnes hunc Panem Cæleſtem, electum à DEO pro ſuo Sacramento ad dandas nobis in illo omnes felicitates, & fortunas hujus vitæ, & omnia ſimul unita fercula, & guſtus & delectationes gloriæ.

INSTRUCTIO IV.

De Verbis Conſecrationis, Forma hujus Sacramenti, & de illorum admirabili Virtute, & Efficacia.

I. PErfectæ huic Cœlorum pulchritudini amabili huic Aſtrorum elegantiæ, ordinatæ huic mundi machinæ, quis defectus poteſt objici in tanta perfectionum congerie? Quæ poteſt notari menda in tanta pulchritudinum collectione? Interrogatio eſt iſta, quâ in fictione ingenioſa bene monſtravit acutus Philo,

lo, quanta fuerit, ſicut DEI magnitudo, ità noſtræ agnitionis obligatio. Fingit ergo ille, quòd, quando Majeſtas Sua ad perfectionem perduxerat hanc fabricam admirabilem Mundi, completô jam omni ejus ornamentô, elevando manum, ſuos Miniſtros interrogaverit: Quid deeſt toti huic operi manuum mearum? Quid advertis in illo adhuc deſiderari poſſe? Cui quæſtioni tunc unus taliter reſpondit. Deeſt Domine, huic fabricæ tam pulchræ, huic machinæ tam eleganti, vox acuta, vox grandis, clara, alta, ſonora, quæ per totum ambitum ſphæricum conſtanter & indeſinenter publicaret tuas laudes, tuam omnibus notam faceret ſapientiam, non tantùm in immenſis Thronis cæleſtibus, ſed etiam in rebus minimis, in omni margarita, in omni flore, in omni apicula, in omni formica. Hæc adhuc deeſt mundo tam pulchro. Valdè bene acuta fictio, ſi hanc vocem grandem jam non habuiſſent in ſe mutæ linguæ Cælorum: *Cæli enarrant gloriam DEI*, Pſal. 18. v. 2. & ſi has ipſas laudes articulatas non poſuiſſet DEUS in ore Sacerdotum: iſti enim ſunt, quorum officio incumbit Sacrificium laudis, in quo DEUS repoſuit totum ſuum honorem: *Sacrificium laudis honorificabit me*, Pſal. 49. v. 23. Iſti enim in Hoſtia DEO acceptiſſima & chariſſima, offerunt Divinæ Majeſtati omnium elogiorum ſupremum elogium: *Tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis*: Pſal. 115. v. 17. iſti in paucis verbis correſpondent applauſibus, æquivalentibus omnibus maximis operibus DEI: *Immolavi in tabernaculo ejus Hoſtiam vociferationis*: Pſal. 26. v. 6. Sic itaque in verbis Conſecrationis, ſicut ſunt unita omnia Divina mirabilia, compendiatæ pariter ſunt omnes illius laudes. Audiamus hoc ex puriſſimis labiis MARIÆ, quæ ſola poterant nobis ſignificare illud, quod per quinque verba faciunt labia Sacerdotis. Tunc, revelavit Sanctiſſima Virgo Sanctæ Brigittæ, quando Sacerdos pronuntiat Verba Conſecrationis, Pater Æternus honoratur, & adoratur in corpore ſui Filii; & ejus Filius repletur lætitiâ, & jubilô in potentia & Majeſtate ſui Patris: Ejus Matrem, quæ Ego ſum, reverentur, inclinantes capita omnes Cæleſtes Exercitus; eò quòd illum conceperim in meis viſceribus; omnes Angeli in genua proſtrati illum adorant, omnes Beati illi referunt gratias, & laudes, quòd illos redemerit; & finaliter totum Cælum triumphat dicente Sacerdote iſta admirabilia verba. Ità hoc atteſtatur Sanctiſſima Virgo MARIA.

Iſta

II. Ista verba igitur pro hodie admirari debet noſtra Fides, in quibus tam facilia facit DEUS maxima impoſſibilia, in quibus tam communis offertur nobis favor ſingulariſſimus DEI, in quibus tam validum, & efficacem videmus per virtutem Divinam ſonum vocis humanæ. Quem ſtuporem non attulit mundo, dum vidit in antiqua Lege ad unicam vocem Joſue, & in nova ad vocem Sancti Xaverii cohibitum à curſu ſolem, prolongatum diem, & ſic obedientem maximum Planetam? Totus intellectus obſtupeſcit videndo tam facilè ad unicam vocem tantum prodigium. Quid eſſet videre ad vocem alicujus Thaumaturgi totum montem volare per aërem, totum fortalitium ex ſua rupe, totum ſtabilimentum ex ſua baſi, ac ſi eſſet aliquod ſtramen, moveri leviſſimè ex uno loco in alium? quid eſſet videre ad unicam vocem, & ad unicam benedictionem Tolentini miraculoſi, unam Perdicem aſſatam, in ictu oculi ad vitam redire, plumis veſtiri, alas recuperare, & volare incipere? Si tanta videremus, quò nos abriperet admiratio? Quid eſſet videre in ſinu Sanctæ Eliſabethæ Reginæ, monetas aureas converſas, ſolummodo ad ejus vocem, in recentes roſas? Nolo repetere hujusmodi millena & millena prodigia. Si ſic illa fecit DEUS ſolummodo ad vocem ſuarum creaturarum, quid faciet ad ſuam propriam vocem: *Vox Domini in virtute*, Pſal. 28. quid faciet vox DEI, quando reſonat in omnibus ſuis theſauris? *Vox Domini in magnificentia.* Et quid faciet, quando hanc ipſiſſimam vocem, quæ ſua eſt, & quâ operatur miraculum ſuorum miraculorum, in Euchariſtia, vult, ut ſit ipſiſſima vox Sacerdotis, & ut portet in ſua echo involutam Omnipotentiam? *Ecce dedit voci ſuæ vocem virtutis*, Pſal. 67. v. 34.

III. Fingite, attamen eſſet valde parum illud, quod fingitis, reſpectu illius quod ibi facit cum exceſſibus infinitis, realitas: Si videretis aliquem Alchimiſtam extraxiſſe ex variis floribus certum liquorem tam rarum, tam potentem, tam efficacem, ut per affuſionem unius guttulæ ſupra partem ferri, in unico inſtanti organizaret totum in horologium rotarum tam ad circinum elaboratarum, tam conformium, ut eodem puncto incipientes currere in ſuis motibus, incederent, indigitando horas, quid diceretis? Magna potentia! homo iſte Divinus eſt! Ecce hoc facit DEUS omni hora ſub noſtris pedibus, unicâ aquæ guttâ in rana. Nunquam hoc vidiſtis? Vix cadit gutta,

gutta, ecce tibi! immediatè organizatum illud horologium vivum. Igitur, qui taliter in contemptibili aliqua rana operatur istud prodigium, quid faciet in Supremo & Excellentissimo opere operum suorum, in maximo suorum mirabilium, in pompa omnium suorum Attributorum? Efficit quinque verbis, non quòd sol sistatur, quod parum est: non quòd in suo Cæli impediantur cursu, quod nihil est; non quòd integri montes volent, quod est minimum: sed quod omnes unitim Angeli nunquam possent assequi, nunquam perficere valerent: quòd obediens Ipsemet DEUS se ponat sub speciebus Panis & Vini. Quale sinè labore potest esse majus opus? quantâ facilitate peragitur cumulus immensus prodigiorum? quid faciliùs quàm quatuor pronuntiare verba? Si videremus aliquem hominem solummodo dicentem: Moveantur isti montes, & illuc se transferant ab hinc ad quindecim milliaria; prodeant ex mari omnes pisces, & huc se omnes simul congregent; ac eô momentô isti adessent, per aërem illi volarent, quis est hic homo, diceretis, & quidem cum quanta admiratione? Sed quid hoc est in comparatione illius, quòd DEUS obediens hominis voci se ponat sub accidentibus Panis, & quidem tanta cum facilitate?

IV. Jeron Tyrannus Syracusarum fabricavit navem, quam transmittere destinârat in donum Ptolomæo Regi Ægypti, tam immensam, tam grandem, ut occupando suâ mole oram maritimam, videretur inter montes, mons integer ac maximus lignorum; sed totus occupatus in magnitudine illius perficienda, non prævidit nec recogitavit, quænam vires sufficerent ad illam in aquam deducendam; milleni homines non erant capaces nec quidem ut illam moverent; inventiones, artificia, machinæ, nihil efficere poterant, ità ut jam videretur necessarium fore relinquere eandem computrescere in illo ipso loco. Tunc Archimedes, postquam illos ità in vanum laborâsse vidisset, disposuit suô magnô ingeniô certam machinam, quâ reductâ totâ ad unicam parvulam rotam, ipsemet Jeron sinè omni conatu, solummodo dando suâ manu impulsum rotæ, posuit totum illum montem lignorum in aquam. Prodigium hoc artis erat, quô Jeron remansit in tantum attonitus, ut pro lege statuerit, quidquid ab hac die diceret Archimedes, integra illi Fides adhiberetur, & credulitas: *Ab hac die, de quocunque dixerit Archimedes, illi credendum est.*

eſt. Quàm parùm ſuffecit ad implendum totum illum intellectum! Quantò meliùs, ſi videret id, quod noſtra videt Fides! Opus tam facile pro DEO: certis paucis verbis efficere id, quod non poſſent, nec quidem omnium vires Angelorum.

V. Et hoc non uni ſoli homini conceſſum, qui cùm ſit favor immenſus, eſſet cum multa ratione ſtupor mundi. Si hæc poteſtas ſuprema, ſi iſta authoritas tota Divina eſſet ſolummodo penes ſummum Pontificem Eccleſiæ, quem ſtuporem nobis cauſaret talis poteſtas? In quo ergo imminuitur, vel quid demeretur tot millenis, & millenis vicibus duplicatum prodigium eò, quòd ſit conceſſa iſta poteſtas tot millibus Sacerdotum? Iſti omnino ſunt Miniſtri, qui repræſentant per hunc actum ſummam excellentiam noſtræ Religionis; Ipſiſſimam Perſonam Filii DEI; idcirco in nomine Chriſti repetunt propria Chriſti verba. In aliis Sacramentis Miniſter, etiamſi ſit Miniſter DEI, etiamſi operetur ſolummodo in nomine, & per authoritatem DEI, nihilominus tamen loquitur in ſua propria perſona, & non in illa DEI: *Ego te baptizo*, dicit: *Ego te abſolvo* &c. Sed in iſto, quod eſt maximum Sacramentorum, poſteaquam locutus fuiſſet Sacerdos in Miſſa, modò in ſuo nomine, modò in nomine Eccleſiæ, perveniendo ad verba Conſecrationis: *Jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti*, dicit Sanctus Ambroſius. Dum loquitur Sacerdos, non ipſe pronuntiat; eſt Ipſiſſimus Chriſtus JESUS Ille, qui in ſua Perſona, Ille qui per ſuum os, repetens ſua propria verba, quæ in illa ultima Cæna dixit, repetit eadem ipſiſſima prodigia: *Hoc eſt Corpus meum: Iſte eſt Sanguis meus.* Non dicit: Hoc eſt Corpus Chriſti; quia ſic Sacerdos per ſe ipſum loqueretur, ſed: *Hoc eſt Corpus meum:* ſic enim dum loquitur, Chriſtus JESUS per os illius loquitur: Hoc eſt in ſuis verbis involvere totam Divinam Omnipotentiam. Et qui ſic repræſentat Ipſummet Filium DEI, quam perfectionem, quas virtutes, quam innocentiam, quam puritatem habere debet? Ah confuſionem meæ indignitatis, quas abyſſos habemus ad nos humiliandum? Pater Venturius Bergamenſis Dominicanus, ùt refertur in Chronicis hujus Ordinis, dum Miſſam celebraret ſenſim accendebatur taliter, ut perveniens ad S. Canonem, totus illius vultus commutatus videretur quòad pulchritudinem, ùt vultus Angeli, & ad Conſecrationem pervenientem ſæpiùs viderunt cir-

circumdatum venuſtiſſima nubecula, & ad pronuntiationem verborum, ad quodlibet verbum prodibat radius igneus ex illius ore. Ah, utinam hic ignis nos omnes accenderet Sacerdotes. Sed ex hinc pariter ſequitur, quam venerationem debeant habere illi, qui Sacerdotes non ſunt, erga iſta verba. Apameæ Civitate Syriæ, reminiſcitur Pratum Spirituale, certos quosdam infantes per jocum cæpiſſe celebrare Miſſam in campo, & facientes Altare ex quodam grandi lapide, præparârunt Hoſtiam, perrexerunt dicere Miſſam, pervenerunt jam uſque ad pronuntiationem verborum Conſecrationis, quando deſcendens de cælo terribilis flamma, convertit panem in cineres, & lapidem, illis relictis ſemimortuis. Ità zelat DEUS reſpectum erga iſtas ſuas claves cælorum; qualiter ergo ſupportabit, & patietur, dum volunt ſumere verba conſecrationis ad ſuperſtitiones vetularum, contra morbum cordis, & contra alias vulgares ignorantias? deſinamus à talibus ineptiis, & removeamus à nobis tales indecentias.

VI. Sed augetur admiratio, dum videmus dignationem admirabilem DEI, etiamſi exiſtat Sacerdos tam omnino indignus, ſicut ego, tantus peccator, & licèt ſit in ſuis moribus homo in toto mundo peſſimus, quia non loquitur in ſua perſona, ſed in Perſona illa DEI, relinquit (& eſt de Fide) eandem ipſam vim, ſuis verbis. Repeto illa verba admirabilis illius Virginis Sanctæ Thereſiæ à JESU, in horrorem, & confuſionem meam: *Accedente me quadam vice ad Sacram Communionem, vidi duos dæmones in maximè abominabili figura: videbatur mihi ac ſi cornua eorum circumdarent collum Sacerdotis illius miſeri, & vidi Dominum meum cum Majeſtate ùt dixi, poſitum in illis manibus, unde clarè apparebat, illas eſſe offenditrices ſuas, & intellexi animam illam fuiſſe in peccato mortali. Quomodo mihi fuerit, Domine mi, videre tuam pulchritudinem inter figuras tam abominabiles? hæc res mihi cauſavit tantam perturbationem, ut non ſciverim qualiter debeam accedere ad Sacram Communionem ---- Dixit mihi Ipſemet Dominus, ut pro illo orarem Sacerdote, & quòd hoc permiſerit ideo, ut intelligerem vim, quam habent verba Conſecrationis, & quòd non deſinat ibi eſſe DEUS, quantumcunque ſit improbus*; hucuſque S. Thereſia: & quouſque noſter horror Sacerdotes?

VII. Iſta vis igitur horum verborum, iſta efficacia admirabilis in ipſiſſimis verbis manifeſtatur. Idcirco non dixit (obſervate hoc) ſicut dixit dum cælos creavit, dum Aſtra fecit: *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria*; Gen. c. 1. quia quantumvis voci DEI obeditum immediatè fuerit, nihilominus tamen in mundo verborum videtur admiſſam fuiſſe aliquam morulam; & hoc non patitur Amor DEI in iſto Sacramento, ideo dicit: *Hoc eſt Corpus meum:* & quia dum audiuntur verba pronuntiari, jam ibi adeſt realiter, & verè ejus Corpus; & quia non loquitur ſicut in aliis Sacramentis de actione quæ tranſit, & abit; ſed de Corpore & ſanguine ſuo, quod ibi perſeverat; &, quia in tam brevi inſtanti, quo ſonat iſta vox, iſta ſyllaba, illud ipſiſſimum Corpus Filii DEI, quod natum eſt ex viſceribus puriſſimis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, illud ipſiſſimum, quod pro nobis paſſum eſt in Cruce, illud ipſiſſimum quod ſedet ad dexteram Patris. comparet immediatè, abſque eo quod cælum deſerat, in Hoſtia. Ideo comparat Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 4. c. 14. & alii Patres iſta verba, verbis, quæ reſpondit Sanctiſſima Virgo Cœleſti Paranympho, ad cujus *Fiat* fortunatiſſimum, operatus eſt in unico momento Spiritus Sanctus in Incarnatione admirabili Filii DEI, negotium ſæculorum. Ideo, juxta ſenſum graviſſimorum Theologorum, acceperunt verba Conſecrationis à Chriſto talem efficaciam, tantam vim, ut, ſi Dominus etiam non aſſumpſiſſet Corpus, nec illud haberet in Mundo, nec in Cælo, ad prolationem ſolam iſtorum verborum de novo produceretur, duplicante DEO in pignus ſuæ Veritatis ſua mirabilia. Iſte eſt igitur primus effectus prodigioſus verborum Conſecrationis, nam de tranſubſtantiatione admirabili, quæ ex illis ſequitur, loquemur in ſequenti Inſtructione.

VIII. Refert Bleda, & hoc ipſum in medium profert Pater Rivera ex Ordine Sancti Dominici, Hiſt. de Euch. tr. 2. §. 7. annô 1392. certum quendam Parochum Eccleſiæ de Moncada, hæſiſſe in grandibus dubiis, & ſcrupulis ſacerdotium ſuum concernentibus, an nimirum eſſet Sacerdos, vel non, eò quòd ordinatus fuerit ab Epiſcopo qui conſecratus fuerat à Clemente VI. qui electus fuerat tempore Schiſmatis; & hac de cauſa adlaborabat omnimodè inveniendi modum, ut ab alio Epiſcopo de novo ordinaretur; ſed ſtitit DEUS hominis inquietudinem per hæc prodigia. Dicente illô Miſſam die Natalis Domini

mini audiebat eam certa Mulier unà cum ſua Filia, quæ annum nec dum quintum impleverat. Finitâ Miſſa, Filiola nolebat diſcedere, & moleſtabat Matrem, nè permitteret in manibus Parochi infantem filiolum ſuæ vicinæ, ſed ut illum ſecum domum duceret. Peperit paulò ante uxor vicini, dicti Eaber, quam cùm viſitaret ſæpiùs illa Mulier, innocens filiola magnum affectum habuit erga prolem Vicinæ, & de illa loquebatur, cogitans hunc ipſiſſimum eſſe filiolum, quem illa videbat in manibus Parochi in Altari. Mater, quæ iſtud ignorabat, ſile inquiebat ſtulta: qualem infantulum habet Parochus? dixit, & filiola: non ſum ſtulta, ibi tenet Parochus Infantulum, de quo tibi dico. Spernente hoc Matre duxit illam, licet amariſſimè flentem, directè ad domum Mulieris, quæ pepererat, ut illi errorem detegeret, monſtravit infantulum, & illa iſtum videns, acquievit. Sed altero die, rediens ad audiendam Miſſam ejusdem Parochi, ad elevationem Hoſtiæ, vidit rurſus puella illum ipſiſſimum Infantulum, quem prima vice conſpexerat. Retulit hoc turbata ſuæ Matri, & illa, hac jam re mente perpensâ, narravit ipſimet Parocho id, quod acciderat. Ille Mulierem rogavit, quatenus die ſequenti adduceret rurſus puellam ad ſuam Miſſam. Fecit, & rurſus id ipſum, quod antea, evenerat; vocavit Parochus puellam, quæſivit ex illa quidnam vidiſſet? & illa: ſe pulcherrimum vidiſſe infantulum, qui totam ſuô replebat Eccleſiam ſplendore. Non contentus hôc Parochus, ſequenti die pro majori experimento, attulit ad Altare duas hoſtias, unam conſecravit, relinquendo à parte alteram abſque conſecratione; & poſtmodum ſumens manu dextera conſecratam, & alteram non conſecratam manu ſiniſtra, juſſit accedere puellam, interrogavit illam: quid vides? & illa; in iſta manu tenes illum Infantulum tam pulchrum; & quid in iſta? monſtrando illi ſiniſtram. Ibi, dixit illa, tenes aliquam rem albam. Hanc probam fecit aliquot vicibus mutando manus, & ſemper puella faſſa illud, quod clarè videbat, replevit ſacerdotem inexplicabili lætitiâ ob detectum ſuum errorem; excitavit pariter in Fidelibus tantò majorem Fidem hoc prodigium, & perfecit DEUS ex ore Innocentium infantium ſuas laudes.

O! repetant in æternum & noſtræ illi Animæ laudes, ut excitando noſtram Fidem reviviſcat noſter fervor modò in aſſiſtentia ad IX.

Sacro Sanctum Missæ Sacrificium, ut sit cum attenta devotione, & modò in perceptione illius in sacra Communione, ut hæc fiat cum magno gratiæ augmento.

INSTRUCTIO V.

De tribus principalioribus Miraculis, quæ DEUS operatur in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

I. PLus, quàm strepitum solum in suo effectu tacitè causat horribile quidem, magis tamen admirabile fulmen. Quantum quòad violentum fragorem se ostentat, tantùm in strage non rarò prodigiosè se occultat, relinquendo tam absconditos cineres, quàm manifestam flammam. Visum jam est quandoque consumpsisse in aliqua crumena bene occlusa pecuniam, & crumenæ nec quidem minimum intulisse damnum. Visum est, sinè advertentia ipsam vaginam evacuâsse, & gladium consumpsisse; visum est exsiccâsse omnino in vase vinum, relinquendo ipsum vas intactum. Divina vis videtur esse ista, ob tantam subtilitatem, dixit Seneca Quæst. Nat. l. 2. c. 31. *Mira fulminis, si intueri velis, opera sunt: nec quidquam dubii, quin divina insit illis, & subtilis potentia. Loculis integris ac illæsis, conflatur argentum. Manente vagina gladius liqueſcit.* Et quod est magis terribile, relinquendo in hominibus apparentiam vitæ, scit illis introducere in unico momento præsentiam mortis. Dicant hoc illi messores in Lemno, quæ est insula maris ægæi relati à Cardano, l. 8. c. 43. variarum Historiarum: Messores in Lemno Insula sub quercu cænantes, fulmine percussi, eadem imagine, quâ discubuerant, exanimati reperti sunt; ut unus comedere, alter poculum prensare, tertius canere videretur; cùm interim omnes fulmine intus consumpti exterius vivorum imagines repræsentarent. Titelmannus in Nat. hist. l. 7. c. 10. dicit: Fulmen *intacta veste, hominem consumit, & carnibus illæsis sæpe ossa adurit.* Ità ergo quamvis tonitru seipsum publicat, effectus tamen prodigiosus celatur, faciente hoc fragore cæli rei perculsæ mutationem tam admirabilem, ut relinquendo ipsius apparentiam, mutet totam substan-

ſtantiam. *Fallit imago:* appoſuit illi valde bene inſcriptionem noſter Engelgrave: videtur idem, & per vim fulminis jam eſt aliud. Et quod ſi ad vocem hujus materialis tonitrui videmus fieri tale prodigium, quid non faciet tonitru vocis DEI in rota, quæ complectendo cælos, ſtringit omnia ejus mirabilia: *Vox tonitrui tui in rota.* Pſal. 76. v. 19. Vox dico, Conſecrationis ſupra gyrum Panis, ſupra ſphæram Calicis, quæ, ad inſtar fulminis, relinquens totam exteriorem apparentiam, mutat in unico momento in interiori totam realitatem.

Dixi jam, qualiter vi verborum Conſecrationis, quæ ſupra Panem & Vinum pronuntiat legitimus Sacerdos, ponatur realiter & veraciter Ipſiſſimum Corpus, & Ipſiſſimus Sanguis Noſtri Redemptoris JESU Chriſti taliter ſicut in Cælo exiſtit, ſub ſpeciebus. Veritas hæc expreſſiſſimè definita eſt in decem Generalibus Conciliis, collaudata & magnificata per immenſa elogia omnium Sanctorum Patrum Eccleſiæ, confirmata per repetita miracula ab Angelis, adorata per ſtupenda prodigia etiam à brutis, veneratione exculta etiam à maledicta diabolorū obduratione. Jam quid ſequitur prodigii ex hoc ſupremo prodigio omnium? Innumera certè, quæ totam calculari per æternitatem non poſſunt. Hic eſt hoc, de quo litteraliter ſonant verba Jobi cap. 9. v. 10. *Qui facit magna & incomprehenſibilia, & mirabilia quorum non eſt numerus.* Aſſigno ſolummodo illa, quæ, ut magis proportionata noſtræ modicæ intelligentiæ, excitant magis noſtræ animæ fervorem. II.

Poſitô itaque Corpore & Sanguine Filii DEI in hoc Sacramento, eô ipsô inſtanti, *illud quod prius erat Panis*, ùt loquitur Concilium Tridentinum Seſſ. 13. cap. 4. & Can. 2. jam non eſt Panis; illud quod priùs erat Vinum, jam non eſt Vinum; quia conſumptâ, deſtructâ & ablatâ omnimode ſubſtantiâ Panis, locò illius remanet ſola ſubſtantia Corporis Chriſti; conſumptâ, deſtructâ & ablatâ omnimode ſubſtantiâ Vini, remanet locò illius ſubſtantia ipſius Sanguinis Filii DEI. Hoc igitur miraculum, cùm non poſſit vocari converſio, nec mutatio, quia in illa, quam vulgariter vocamus converſionem, & mutationem, remanet ſemper aliqua pars ſubſtantiæ, quæ antea ibi erat, quantumcunque convertatur, & mutetur; idcirco magis propriâ, magis ſignificativa voce vocat illam *Tranſſubſtantiationem.* III.

tionem noſtra Fides, applaudente, & encomiis celebrante hanc vocem Sacro Concilio Tridentino Seſſ. jam citata 13. cap. 4. ubi ait: *Quæ converſio convenienter & propriè à Sancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantio eſt appellata:* & Can. 2. *quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſubſtantiationem appellat*; quia nulla alia vox poteſt explicare id, quòd hic accidit, ubi tota ſubſtantia Panis & Vini, per ſtupendum miraculum, & ſinè exemplo in creatis deſtruitur, tollitur, dum ibi ponitur ſubſtantia Corporis & Sanguinis Filii DEI.

IV. Quomodo ergo, dicit nunc tota admirabunda noſtra ruditas, quomodo non videmus ibi oculis aliquam mutationem? Quomodo in noſtris oculis, & quòad noſtrum viſum remanet panis ſicut antea fuerat? Interrogate hoc ipſum dum relinquit fulmen in unico momento ſinè unica ſola guttula vini aliquod vas, quod erat plenum, relinquendo vas intactum? Quò abiit omne iſtud vinum in unico momento? Ubi intravit hoc fulmen tam efficax, quod nihil effundendo extra vas de vino, interius facit ſuum effectum? Nunquid DEUS melius ſciet elevare & extollere in Euchariſtia hoc prodigium? O! illud quod oculi vident non eſt aliud quàm panis, quàm vinum. Et quantumvis hoc videant, nunquid ſe ipſos oculi decipere poſſunt? Uvæ erant in apparentia illæ, quas illic quondam depinxit Zeuxes tam naturales, tam proprias, ut decepta advolaverit roſtrô illas carpere avicula. Hoc erat animal, dicetis. Depictum ſolummodo erat illud velum, quod ſuprà telam efformaverat Parrhaſius tam naturaliter, tanta cum proprietate, ut accurrens Zeuxes velum dimovere voluerit, ut poſt illud picturam latentem contemplari poſſet, ſed ille, qui aves deceperat per uvas, deceptus per velum ipſemet fuerat. Mortui colores erant illius effigiei Claræ Eugeniæ Archiduciſſæ Auſtriæ, quam Rubens pictor famoſus efformaverat; ſed ità ad vivum, ut poſitam in parte aliquantùm obſcura, videns Archidux Albertus ejus Conjux, accurrerit feſtivus ad illam ſalutandam. Et hoc, quod taliter ſcit fingere ars ad decipiendum, non ſciet diſponere DEUS in veritate? Hoc, quod ſcit facere penicillus, non ſciet meliùs efficere DEUS? Quòd vobis videatur Panis illud, quod non eſt Panis, quòd vobis appareat Vinum illud, quod non eſt vinum; iſte eſt triumphus noſtræ Fidei, quòd in deſpectum & confuſio-

fusionem oculorum cognoscat veritatem intellectus. Idcirco supra omnia Mysteria vocatur cum specialitate: *Mysterium Fidei.* Sunt Mysteria Fidei etiam alia, de hoc nullum est dubium; sed istud reportat supra omnia alia summam Eminentiam. Et quænam est hæc? Quòd in omnibus aliis Mysteriis credamus id, quod non videmus; sed in hoc credimus contra illud ipsum, quod videmus. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis non videmus, sed illud credimus; in Eucharistia tamen videmus Panem, & adoramus Corpus Domini nostri JESU Christi; videmus Vinum, & adoramus Sacrosanctum Sanguinem. Ista est Fides, quam nos docent in hoc Sacramento usque adeò ipsimet dæmones. Cameraci, refert noster Delrio, posteaquam maximæ fuissent adhibitæ diligentiæ ad liberandam certam Personam à diabolo obsessam, nihilominus tamen ad omnes refractarius mansisset maledictus spiritus, quodam die Decanus illius Ecclesiæ, finitâ Missâ contulit se ad adjurandum maledictum diabolum; & hic illico dixit: quàm bene armatus venis illô Pane, quem tu hodie sumpsisti. Quo Pane? maledicte spiritus, instituit immediatè Decanus. Si nihil aliud est quàm Panis illud, quod ego sumpsi in Missa, non exeas ex hoc corpore; quòd si autem, sicut ego credo, est verum Corpus JESU Christi Domini nostri, in Ejus nomine tibi mando, ut ex hoc corpore discedas. Grande prodigium! Eô ipsô momentô abscessit, edendo maximos ejulatus, per hos confitendo Veritatem Catholicam.

V. Ecce igitur hic multa ad invicem concatenata miracula; quia in hoc ipso, quod videmus, est aliud stupendum prodigium. Videmus quantitatem, colorem, experimur saporem, odorem Panis, & vini; ista sunt accidentia, quæ remanent, & perdurant. Sed quomodo remanent? sinè subjecto, in quo recipiantur, sinè substantia, quæ illa sustentet; non Panis: qui ex integro destructus est; non corpus Christi: quod nec habet hunc saporem, nec hunc colorem, nec hanc quantitatem. Quid ergo sustentat ista accidentia omnia? omnipotentia DEI, quæ sola sufficiens est pro tantis prodigiis. Hic conabor vos edocere, per illud quod videtur, pervenire ad illud quod non videtur. Si plenum aliquod vitrum crystallinum aqua usque ad summum hic esset, & adesset talis dexteritas, ut ad unum ictum fractô vitrô in partes, aqua nihilominus in eadem figura

gura remaneret, quam formabat intus in vitro illo, vel rotunda, vel angulari vel pyramidali, ſuſpenſa in aëre, & ut nec unica decideret guttula, quem ſtuporem res cauſaret videre taliter retentam aquam abſque omni ſuſtentatione, fixam ſinè effuſione, & firmam ac ſi eſſet ſolida, in quo ſe tenet iſta aqua, diceretis, qualiter ſuſtentatur? Ecce majus prodigium operatur ibi in retinendis ſuſpenſis ſinè ſubjecto accidentibus ille, qui aquas ſcivit ſolidare ſicut muros cryſtallinos in mari rubro; ille, qui easdem ſcivit ſuſpendere in aëre ut cryſtallina fortalitia illic in Jordane, Joſue c. 3. v. 16.

VI. Sed, quandoquidem taliter ex toto deſtruitur ſubſtantia Panis, quare, dicit aliquis, voluit Dominus relinquere ſolummodo accidentia noſtris oculis? Primò, ut illa ſervirent pro velo noſtræ veneration, ſub quo occultavit *Sancta Sanctorum* ſui Divini Corporis, & ſanguinis, & per hoc conciliaret debitos reſpectus animæ noſtræ; ut eſſent nubes, celantes nobis gloriam DEI, nè nos excæcarent ejus radii, ut nos incitaret, & vigorem adderet noſtræ Fidei quærendi per illam noſtra gaudia. Idcirco patefecit Sanctæ Gertrudi lib. 4. revel. c. 45. quòd, quoties aſpicimus cum deſiderio, cum teneritudine amoris, & cum devotione Sacram Hoſtiam, toties adaugemus, & adaugmentamus merita in anima, quibus correſpondentia in altera vita totidem ſpecialia oblectamenta manent eos, qui taliter eum aſpiciunt. Deſiderabat ardentiſſimis votis, & anxietatibus certa Anima videre DEUM; apparuit illi Sancta Thereſia, & dixit: Anima fortunata, ad quid ſuſpiras, ad quid te defatigas anxiè ut poſſis videre vultum DEI, cùm illum habeas omni die in Altari? Illum ipſiſſimum, quem nos videmus in cælo, vos cernitis in Sacra Hoſtia; ſolummodo cum hac diſtinctione, quòd illum, quem nos videmus lumine gloriæ, vos videatis lumine Fidei cum merito; & per hoc meritum poteſtis vobis lucrari gaudia, quæ nos jam hic in cælo non poſſumus ultra acquirere. P. Barry in favoribus vel blanditiis JESU cap. 446. refert ſcribendo: unum erat, propter quod B. Coleta oculos ſuos magno habebat in pretio, & exultabat ſe oculos habere. Quid illud? an quia oculis poterat ſuſpicere vas illud admirabile, opus Excelſi, ſolem? vel luminare illud minus, quod præeſt nocti, lunam? vel ignes illos minores, rutilantes illas faculas, ſtellas? An quia poterat aſpicere viridaria & agros, & hortos tan-

tanta florum versicolorum pompa, & viridantium herbarum decore collucentes? Ab illis potiùs oculos, nè viderent illam vanitatem, occultavit; sed ideo tantùm gaudebat se pollere oculis; ideo æstimabat oculos, *quòd iis liceret sibi species Eucharisticas intueri.* Quod si, ajebat illa, oculorum usurâ ante mortem privarer, ob id solum eorum jactura acerba mihi foret, quòd deinceps prohiberer divinas illas species, & JESU latentis tegumenta contemplari. Grandis teneritudo amoris! sed non advertebat, quòd sciret Dominus supplere ista, etiamsi nullos haberet oculos.

VII. De Beata Sybillina de Navia, Moniali Dominicana, refert Frater Ferdinandus de Castiglio Hist. Domin. p. 2. c. 20. illam ab ætate tredecim annorum fuisse cæcam; sed quando, etiam illa non advertente, aderat vicinum hoc Divinissimum Sacramentum, sentiebat illud per quandam specialem dulcedinem, quam in anima experiebatur, & hanc ipsam sentiebat, quando per plateam portabatur hoc Sanctissimum Sacramentum. Quadam vice, dum petitum fuisset à Rectore cujusdam Parochiæ Sanctissimum, ille nullam consecratam in sua Ecclesia habebat Hostiam, voluit ergo emendare errorem, aliò tantò majore errore. Portavit ergo Hostiam non consecratam, & audiens sonum campanulæ illa Religiosa, feliciter cæca, flexit genua, ut DEUM suum adoraret; sed de sua nihil sensit dulcedine prout alias experiri solebat; remansit afflictissima, curavit advocari Parochum, & ex eo quæsivit: an illo die portaverit verum Corpus Domini nostri JESU Christi ad infirmum, vel non? & retulit ei totum, quod acciderat. Miser Sacerdos gravissimè mansit confusus videns se deprehensum, confessúsque est illi veritatem. Et quando taliter etiam cæcis, etiam sub accidentibus se manifestat Dominus, quid importat, quòd hæc vela Sacrosancta nobis illum occultent?

VIII. Plùs adhuc ex hoc sequitur: nimirum tot, quot sunt puncta illa Panis, & Vini, tot ibi esse miracula; volo dicere: quòd, cùm sit Christus totus in Hostia, totus in Calice, sit etiam totus in omni visibili particula, totus in omni minima guttula. O miraculum miraculorum? pro quo considerando & perpendendo non sufficiunt infiniti intellectus; pro quo edendo non sufficiunt infinitæ linguæ. Effingit se Sol in multis partibus, in multis vasis aquæ, in multis speculis.

culis. Speculum in multas fractum partes, effigiat nobis in omnibus vultum integrum; ſed iſti vultus nihil ultrà ſunt quàm effigies; illic in omni puncto Hoſtiæ ſunt realitates. Exiſtit anima tota in toto corpore, & tota in minima parte illius: ità eſt; ſed ſeparatâ unâ parte à corpore, jam ibi deſinit eſſe anima. Non ſic ſe res habet in hac meliori Anima noſtræ Gratiæ, quæ exiſtendo in tota Hoſtia, quantumcunque rumpatur, quantumcunque dividatur, in micas parvulas frangatur, in qualicunque mica etiam minima, exiſtit totus DEUS. Ità hoc prodit per prodigia. De Beata Iveta narrat noſter Bollandus in vita cap. 27. ſe certò quòdam die ad ſuum contuliſſe Parochum, illique dixiſſe, ſuum Capellanum in una congregatione plebis, ſeu in Eccleſia aliqualiter diſtante celebrâſſe cum grandi negligentia Miſſam, & illum in Altari reliquiſſe aliqua ex Hoſtia conſecrata fragmenta. Aggreſſus eſt Parochus iter, pervenit ad locum, & ſic ſe rem habere invenit, & colligens ex Altari fragmenta, illa in Sacrario repoſuit.

IX. Et nunc quæro idipſum, quod interrogârunt Viri grandes & præclari. Ubi exiſtit DEUS magis admirabilis, in rebus magnis, vel in rebus parvis? in fabricandis ſphæris cæleſtibus, vel in formanda unica formica? in implendis immenſitatibus ſuò eſſe, vel in reducendo ſe toto ad unicum punctum in unico fragmento Hoſtiæ? Ubi magis admirabilis? Theodorus egregius Statuarius ærarius (memorat Plinius lib. 34. c. 8.) poſteaquam feciſſet ex hac materia ſtatuas admirabiles, voluit etiam ſeipſum effigiare, & hoc duplici perfecit modo: in una ſtatua ſat grandi, & craſſa, effigiavit ſe ad vivum, ſed hic ſibi appoſuit in manu dextera limam. Siniſtræ elevatis primis tribus digitis, & unitis in cuſpidibus impoſuit currum ex ære, cum quatuor equis, tam perfectis, ut nihil nec equis, nec currui defuerit, & tam parvum currum, ut vix illum potuerit diſtinguere viſus; tam parvum, ut ſupra illum poſita unica muſca ex ære alis cooperuerit equos & currum. Appono verba citati Plinii: Theodorus, qui labyrinthum fecit Sami, ipſe ſe ex ære fudit, præter ſimilitudinem mirabilem famâ magnæ ſubtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, læva tribus digitis quadrigulam tenuit translatam Prænesté, tantæ parvitatis, ut totam eam, currúmque, & aurigam integeret alis ſimul muſca. Et ubi, quæro jam ego, ſe effigiaverit melius

iſte

iſte excelſus artifex? In magnitudine molis ſuæ ſtatuæ, vel in parvitate ſui currûs? Ibi potuit monſtrare ſuam præſtantiam & artem; ſed hic ſuam ſcientiam, ſuam ſubtilitatem, acumen, ſuam excellentiam admirabilem. O DEUS! ſi es in magno prodigioſus; in parvulo abſque omni comparatione es admirabilior. Et quando tali modo DEUS ſe contrahit, ſe ſtringit in unico puncto Hoſtiæ tam humilis, ut quid quærit noſtra ſuperbia dignitates, & amplitudines? ut quid quærit noſtrum vanum tumorem? vanas inflationes? Hoc nos doceat hic ſequens eventus.

X. Oſwaldus Mulſerus in Comitatu Tyrolis anno 1384. refert Bredenbach. lib. 1. collat. ſacr. c. 55. ex quo narrat hoc ipſum Marchant. Candel. Myſtic. Tract. 3. lect. 4. erat Nobili ortus Proſapiâ, & grandis ſuperbiæ, ob quam, dum videbatur ſibi, quòd æqualem & communem ſe faceret cum omnibus, ſumendo communionem in Particula conſueta omnibus, tempore Paſchali voluit majore Hoſtiâ uti, quàm cæteri Laici; Sacerdos, vel magis Adulator, vel minus ſapiens, quia Oſwaldus erat Dominus temporalis illius loci, non fuit auſus denegare illud, quod denegare tenebatur. Præparavit majorem Hoſtiam pro illo communicando; verùm dum ei in os ingerit illam Hoſtiam ſacram, ecce miraculosè ante Altare terra ſe aperit quaſi ipſum abſorptura, & in illam uſque ad genua cecidit. Ille verò manibus latus Altaris apprehendit, ſed cuſpis lapidis Altaris inſtar ceræ moleſcens, manibus ceſſit. Oſwaldus præſentem DEI vindictam præſentiens, mox pœnitentiâ ducitur, veniam à DEO precatur. Sed cum his omnibus cùm Sacram Hoſtiam deglutire non poſſet, DEO id non permittente, receptam ab illo Sacerdos in Sacrario repoſuit; quæ etiamnum iſtic uſque in hodiernum diem ſanguineò colore divinitus tincta, & ex linguæ ſalivâ nonnihil contracta conſpicitur. Ubi etiam jam inde ad noſtra uſque tempora plurima fiunt miracula. Hanc rem his verbis teſtatur, Author ſacrarum collationum: *Ego Tilmanus Bredenbachius ex urbe in Germaniam reverſus, ad locum iſtum diverti, altare ipſum, & in eo manûs Oſwaldi veſtigia vidi & contrectavi, ac juxta illud terræ hiatum, quo abſorberi cœperat, modò ferreis cancellis obtectum: denique ipſam Hoſtiam, & Caſtrum, in quo vixit, conſpexi.* Porrò Oſwaldus iſte, ſic divinitus correptus in moleſtam incidit ægritudinem, pœnitentiamque

agens, & confessus, aliquanto supervixit tempore, demum mortuus in Domino. Extat hujus miraculi tabula ænea, in Pago Seveld in Comitatu Tyrolis. Ubi DEUS demonstrat extremum maximè admirabile suæ humilitatis? Quid habet humana superbia, unde ostentare possit suam elationem?

XI. Cum Fides recognoscat, & confiteatur, quòd nihil minus percipiat de DEO, qui in hoc Sacramento percipit minimam Particulam, quàm quod percipit Sacerdos in magna Hostia, & in Calice; revivisçat nostrum nihilum, & confortetur, quando taliter totus DEUS se contrahit, recognoscamus nostram miseriam, quando taliter Immensus se abbreviat; & ista erit dispositio grata, ut abbreviatus DEUS in hoc Sacramento distendat & dilatet in nostris animabus immensitatem suorum beneficiorum, & interminabilia bona & dona suæ gloriæ.

INSTRUCTIO VI.

De suprema Unione, quæ invenitur in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ per concomitantiam.

In Die Solemnitatis Corporis Domini.

1. IN unione admirabili Cælorum, tam conjuncti illorum globi, tam concatenatæ inter se illorum sphæræ, efformant dulcem concentum & harmoniam, unde dant ad cognoscendum suum supremum Authorem, ut contingere ex illis unicum solùm, sit, movere omnes; imprimere primo mobili impulsum, sit, vivificare in omnibus cæteris sphæris, cursum. Currunt, & moventur veloces tam immensæ moles, omnes ad unum impulsum, ad unicum omnes momentum: *Unus omnes*; tantum est in cursu cælorum ùt unitorum, ut esset finem imponere toti naturæ, velle suspensum tenere unum, quando velox alterum se gyrat; esset destruere totum Mundi theatrum, velle sistere unum Cælum, quando alii suo curtu rapiuntur. Istud est fœdus prodigiosum, unde resultat proportio temporum, harmonia pulchra luminis, amabilia anni tempora, & va-

varietas admirabilis influentiarum: ut obediant concatenati Cæli ſuo primo mobili; ſequantur omnes concordes illum primum impulſum. Et cùm in Euchariſtia, melioratis Cælis, compendiaverit noſtra Vita Chriſtus ſuos theſauros, meliùs effigiet in illa, per motum magis Divinarum ſphærarum, illaqueata inter ſe lumina, altiſſimè elevatas harmonias, accumulatas & augmentatas influentias. Rem ſic explicemus: Primum mobile eſt ille, qui ad verba Sacerdotis in Conſecratione ſe movet; ſed immediatè ratione unionis cum hoc Cælo, quid non movetur Cælorum, quid non volvitur in gyrum ſphærarum, quid non currit ſupremorum globorum, ad implendum hoc Sacramentum omni illo, quidquid DEUS eſt, omni illo, quidquid DEUS habet, & omni illo, quidquid DEUS poteſt? Iſtæ ſunt illæ, quas hic vocamus concomitantiæ, punctum hodie noſtræ Doctrinæ.

II. Vi igitur verborum Conſecrationis ſolummodo ponitur in Hoſtia Sacroſanctum Corpus noſtræ Vitæ JESU Chriſti, integrum, perfectum, cum omnibus ſuis membris, oſſibus, nervis, partibus interſe diſtinctis, quæ componunt ſuam perfectiſſimam ſymmetriam; vi verborum Conſecrationis in Calice ſolummodo ponitur Sanguis Redemptoris noſtri, ille ipſe qui pro nobis effuſus eſt in Cruce; ùt docet Concilium Tridentin. Seſſ. 13. de Euch. cap. 3. dicens: *Sed Corpus quidem ſub ſpecie Panis, & Sanguinem ſub Vini ſpecie ex vi verborum.* Divus Thom. 3. p. q. 76. art. 1. Hoc eſt ſolum primum Mobile, quod tangit vis verborum; volo dicere: Hoc ſolummodo, quod verba ſignificant, ob ſummam & infallibilem DEI veritatem neceſſariò poni debet ſub qualibet ſpecie Panis videlicet, & Vini. Et quemadmodum in pane verba conſecrationis hæc ſunt: *Hoc eſt Corpus meum*; in vino verò: *Hic eſt Sanguis meus*; Ità dicimus, vi verborum in Hoſtia ſolummodo poni Corpus, vi verborum in Calice, ſolummodo poni Sanguinem Domini noſtri Redemptoris JESU Chriſti; quia hoc ſolummodo dicunt, hoc ſolummodo exprimunt verba. Sed ecce tibi! ſicut primum Mobile ſequuntur ibi omnes Cæli, ſic hic meliùs currunt veloces omnes ſphæræ Divinitatis; quia Corpus noſtræ Vitæ Chriſti JESU non exiſtit ſeparatum à ſuo Sanguine, ideò per iſtam naturalem conjunctionem, quam vocamus concomitantiam, exiſtit in Hoſtia cum Corpore etiam Sanguis Domini; & quia Corpus, & Sanguis Ejus exiſtunt uniti cum Sanctiſſima Anima

ſua,

ſua, ideo exiſtit in Hoſtia cum Corpore & Sanguine etiam Anima. Etiam ultrà adhuc moventur Cæli; quia iſtud Corpus & Anima unita per unionem Hypoſtaticam Perſonæ Verbi, quæ in ſeipſa continet Divinitatem, non poſſunt ſeparari, obligant motum Divinum ſe ponendi in Hoſtia; & ſic remanet Corpus, Sanguis, Anima, Unio Hypoſtatica, Verbum, & Divinitas, omnia iſta in Hoſtia; & dicendo hoc unô verbô: Totus Chriſtus, ſicut in Cælo exiſtit. Hoc ipſum tenemur credere de Calice; ità ut, licet primum ſolummodo cælum vi verborum moveatur, reliqui tamen cæli omnes (puta corpus, anima &c.) propter ſuam conjunctionem, & per concomitantiam (ad ſpeciem Vini) etiam tranſportentur.

III. O benevolentiam liberaliſſimam atque ex omni parte immenſam! *Hoc eſt Corpus meum*: non dixit plùs Dominus, quando illa omnia nobis dabat. Imminuit donum verbis, quando in realitate facit tam infinita beneficia, ut illi nihil ultrà remaneat, quod poſſit dare. Solet vel jam amicus liberalis ſuo amico, vel jam ſponſus ſuæ ſponſæ, quando ſe vult liberaliorem demonſtrare, offerre pretioſiſſimum adamantem annulo incluſum, & nihilominus donum verbis minuere: accipe hunc annulum, dicit, in ſignum mei amoris, & non nominat pretioſum lapidem, qui annulum facit inæſtimabilem, in memoriam ſolùm reducendo illud exiguum aurum, ex quo conſtat annulus. Ità ergo infinito cum exceſſu Dominus inamoratus, *accipite*, dicit nobis: *Hoc eſt Corpus meum*: quod aurum eſt; ſicut ſi diceremus: quod eſt annulus; & non nominat, nec in memoriam reducit Animam, quam nobis in iſto Corpore dat unitam; nec recordatur Divinitatis, quæ eſt adamas infiniti valoris, quam nobis dat in iſto annulo incluſam. Summam hanc probam amoris ſingulariſſimi notavit Salomon ſolummodo pro DEO-Homine facto; Cant. 8. v. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione*, vel ſicut alii legunt, *pro dilecta, quaſi nihil deſpiciet eam.* Iſte eſt ſummus exceſſus amoris quando in gratiam amati expenditur totum, quod poſſidetur, & tamen, videtur ſibi amans adhuc nihil dediſſe. Ità ergo evenit noſtro Redemptori in hoc Sacramento, qui non ſolùm dat nobis hoſpitium, (Corpus ſuum Sanctiſſimum) non ſolùm ſuos theſauros omnes, (infinita merita ſui ſanguinis) ſed dat nobis etiam hoſpitem hujus domûs, (Animam ſuam) Dominum omnium

harum

harum divitiarum, scil. Ipsam Divinitatem. *Omnem substantiam domûs suæ.* Et cum hæc omnia nobis largiatur, ac si nobis nihil daret, non dicit plùs; quàm: *Hoc est Corpus meum. Quasi nihil despiciet eam.*

Hinc sequitur alia inventio inexplicabilis, quòd tota Divinitas se deprimat usque ad infimum solummodo nostri amore. Igitur solum corpus nostri Redemptoris principaliter ponitur in Hostia vi verborum. Est ibi pariter Anima, & etiam Divinitas Ejus; sed quis tenet explicando hoc ad nostrum modum, & voces, quis tenet primum locum in Sacramento? quis se illic præfert? Corpus Christi, vel Ejus Divinitas? O humilitatem indicibilem summi DEI! Corpus ibi tenet primum locum; illud ibi præcedentiam habet; Ad modum, sicut si aliquis grandis, & potens Rex, illô die, quô aliquis servorum suorum nuptias celebrat, dignaretur ex magna sua affectione assistere Ejus nuptiis, esse Ejus Patrinus, &c. in tali casu non desineret esse Rex, non desineret esse Superior, nihilominus tamen in illa functione, in illo actu, primum locum, præcedentiámque haberet Vasallus, quia hic esset sponsus, qui primum uxorem duceret. Ità pari modo, quia Corpus, quia Caro Ejus Virginalis in hoc Sacramento venit ad se desponsandam cum nostris animabus, istis tam excelsis nuptiis assistit Ipsissima Divinitas; sed dando Corpori præcedentiam, quia sponsus est; & deprimit se DEUS, ut homo exaltetur: *Hoc est Corpus meum*; non dicit, ista est mea Divinitas, cùm tamen ibi in veritate inveniatur; sed: *Hoc est Corpus meum*; quia per istud se DEUS deprimit, ut creatura illum obtineat; *Et declinavi ad eum ut vescretur*, Ose. 11. v. 4. Tali modo, sicut dum aliquis tener expergiscitur à somno infantulus, prorumpit in vagitus, & nutrix amorosa ad citò eum acquietandum, etiam ad ipsas cunas ad porrigenda illi ubera se inclinat, & se totam incurvat; & cùm sit pectus solum applicatum & aptum pro alimento, nihilominus quia unitum est suo Corpori, comitatur illud totum Corpus tota Anima, & tota nutrix se inclinat cum pectore. Ità pariter facit unio; siquidem, cùm de solo Corpore Christi solummodo mentionem faciunt verba; per naturalem societatem, & strictam unionem, quam inter se tenent, sequitur Corpus in Hostia, Sanguis, Anima, & denique tota Divinitas. IV.

V. Quale miraculum est hoc tam stupendum, ut non potuerint illud capere nec quidem ipsi Seraphini? Dinocrates, referente Plinio lib. 34. c. 14. eò devenit, ut crediderit nescio ex quibus Philosophis, solem nihil esse aliud nisi grandem globum ex ferro inflamato. Et ex hac crassa deceptione secutus est alter error pejor priore; qui fuit, tentare in suo cursu sistere solem. Idcirco grandis templi Arsinoës cooperuit totum tectum certis vastis tabulis ex lapide magnete, persuasus, quòd, cùm sit sol ex ferro, hi lapides sint futuri sufficientes ad illum detinendum suspensum supra illud templum pro majori ejus elegantia, pro immenso ejus splendore. Et licèt sit dignus risu iste duplex error; datô tamen quòd hoc consecutus fuisset, quantum hoc esset videre totum solem consistentem, totum suspensum ad vim attractivam unius lapidis? sed quid habet comparationis iste materialis sol, melius dixerim, iste niger titio respectu divinitatis, à magnete multò excellentiori, multò validiore attractæ, id est à Corpore Christi in Hostia?

VI. Et hic jam adest totum unitum supremum Cælum, quia cùm non possit dari natura Divina, quæ est unica sola in omnibus tribus Personis, sinè ipsis tribus personis; sequitur, in isto divinissimo Sacramento ratione hujus necessariæ concomitantiæ, existere cum Filio Patrem, & Spiritum Sanctum simultaneâ præsentiâ, ità, ut quantumvis per impossibile, intermitterent existere, sicut existunt in omni loco, existerent nihilominus in isto Sacramento. Quid ergo multum est, nos hic dicere absque temeritate illud, quod in aliis rebus error foret; DEUM non posse plus facere, cùm tamen sit infinita ejus omnipotentia, quàm, quod jam fecit in Sacramento Eucharistiæ, ubi unitas cum tota Divinitate omnes ejus perfectiones habemus: quod implet omnes Cælos, hoc habemus coarctatum ad Hostiam. Pater Franciscus Garzia nostræ Societatis antequam factus fuit Sacerdos, patiebatur graves tentationes, & dubia de hoc, qualiter tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis, cùm in Cælo existant, essent simul in Hostia consecrata, & certo die voluit illum DEUS sedare hac mediante visione: ad elevationem Hostiæ à sacerdote factam, vidit aliquô modô mirabili illam Hostiam ipsissimam se sustollentem usque ad Cælum, & Sanctissimam Trinitatem in illa fuisse in figura alicujus stipitis, qui cum tribus ramis se elevabat usque ad cælum

lum Empyreum; & ad talem visionem disparuerunt ex Anima illius tenebræ. Remansit autem tam plenus luminis, ut validô calore repetierit: se millies daturum vitam pro confessione istius veritatis Catholicæ; in qua illi nec minimum remansit dubium. Hoc ipsum demonstravit Dominus Beatæ Agathæ à Cruce Moniali Dominicanæ, id est, tanta cum expressione in Hostia totam Sanctissimam Trinitatem, ut diceret, & affirmaret se jam nunc hoc non credere, sed vidisse.

VII. Sed ex hucusque dictis mihi opponetis hoc dubium; quòd si in Hostia existit Corpus, Sanguis, Anima, & Divinitas nostri Redemptoris JESU Christi, quare ergo denuo consecratur de novo Calix, cum hoc ipsum sit illud, quod ponitur sub speciebus vini? Si tantum est in Hostia, quantum in Calice, quare sunt distinctæ Consecrationes? Ob duas rationes; una est ex parte Sacramenti, altera ex parte Sacrificii. Ex parte Sacramenti hæc est: quia volens hoc instituere Dominus in forma Convivii, idcirco voluit ut esset in cibo, & potu; quandoquidem uterque est necessarius pro Convivio. Altera ex parte Sacrificii hæc est: quia cum hoc sit repræsentatio illius sacrificii cruenti, quod obtulit Christus pro nostra salute in Cruce, cùm ibi effuderit, & sparserit totum suum sanguinem, idcirco voluit, quatenus illa separatio repræsentaretur hic, ponendo vi verborum solum Corpus, & vi verborum in Calice solum sanguinem. Et ecce tibi! hæc est ratio: etiamsi illud ipsissimum quod existit in Hostia, ponatur etiam in Calice, nihilominus repetitur Consecratio ad repetendum taliter Sacrificium Crucis. Beata Elisabetha Schonaugiensis audiendo quodam die Missam, post Consecrationem dum sacerdos ponebat Hostiam supra Calicem, vidit, quod sublato è calice omni S. cruore, in Hostia exstiterit nostra Vita Christus JESUS Crucifixus, & tunc conspexit decurrentes ex Christi Corpore quasi rivos sanguinis, remanente Corpore, sicut prius illud viderat, in Hostia; ille sanguis tandem, qui decidebat, circumvolvebatur in Calice. Ità monstravit Dominus, qualiter in hoc incruento Sacrificio repræsentetur ad vivum illud cruentum Crucis.

VIII. Et jam, cùm sic totam Divinitatem habeamus in hoc Sacramento, quid hinc sequitur quòad venerationem, quòad cultum, & adorationem, quam illi debemus? *Nullus dubitandi locus relinquitur*, dicit

cit Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 13. de Euch. cap. 5. *Quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero DEO debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Illam ipſiſſimam adorationem latriæ, quam in Cælo exhibent Angeli Beatificæ Trinitati, hanc ipſiſſimam illi tenemur nos exhibere ex tota Anima in hoc Sanctiſſimo Sacramento. Ubi eſt noſter totus amor, ſi hic ſe non impendit? Ubi tota noſtra devotio, ſi hic non eferveſcit? Ubi omnia noſtra humillima obſequia, ſi erga hunc DEUM Sacramentatum hæc non adhibemus? Bene perpendit Scotus, dignus ſuæ Scholæ Princeps totam devotionem, totum fervorem Eccleſiæ reſpicere ut ſuum finem, quærere ut ſuum centrum, hoc Sanctiſſimum Sacramentum: *Quaſi omnis devotio in Eccleſia eſt in ordine ad hoc Sacramentum*, Scot. in 4. diſt. 8. q. 1. Templa, Altaria, Sacerdotes, functiones, Feſta, & omnia alia Sacramenta, per admirabilem harmoniam, ut inferiores Planetæ, ſunt omnia in ordine ad hunc diviniſſimum ſolem, qui illa illuminat. Nec diſcordat Sanctus Thomas, qui in iſto Sacramento agnoſcit epilogatam virtutem omnis rei ſacræ: *Ferè omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur*; Div. Th. 3. p. q. 65. art. 3. & in ſupplem. q. 37. art. 2.

IX. Idcirco in hunc finem prodit per haſce plateas, triumphans noſter DEUS; ad rapienda corda, ad ſubjiciendos effectus Animarum; ut quadam ſingulari, & rara ſignificatione illi exhibeamus, & demonſtremus noſtras gratitudines, dicit Concilium Tridentinum Seſſ. 13. de Euch. cap. 5. *Æquiſſimum eſt enim, Sacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos, erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili, & planè divino beneficio, quô mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Singulari ac rara.* O quantum ad hoc ſpectat, ut bene fiat, inventionis, amoris, teneritudinis, devotionis, & humilis ſubjectionis, & reverentiæ. O utinam exprimeremus feſtum *Corporis Domini*, quod celebrant in Cælo Angeli! Monſtravit hoc ſæpiùs Dominus Venerabili Virgini Dominæ Mariæ de Eſcobar. Videat & legat curioſus lector ejus Vitam, ubi inveniet motiva magni fervoris ad pietatem, & magnæ cordis lætitiæ, in ſimili Feſtivitate.

Inter

Inter alia, refert Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte, Virginis Confeſſarius in lib. 2. vitæ illius cap. 28. illam Anno 1622. Angelos, qui illi aſſiſtebant, duxiſſe in Spiritu ad cælum: & me præſentârunt dicit illa, ante DEUM noſtrum Dominum, Trinum, & Unum, ubi Divina Majeſtas mihi exhibuit gratiam, monſtrando mihi cum magno lumine Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & in medio pectoris illius Divini vidi Myſterium Sanctiſſimi Sacramenti Altaris; inde parvô ſpatiô diſtantem vidi Archangelum Sanctum Michaëlem ornatum ditiſſimo veſtimento gloriæ, habentem in manu vexillum eorundem colorum, & in illo acu picta erat una Crux puriſſimô aurô locupletiſſima, & in illa delineata una Hoſtia, figura hujus Diviniſſimi Sacramenti, & videbatur ac ſi in illa eſſet Dominus. Tali modo Archangelus comitante grandi Angelorum numero, qui erant veſtiti ſimilibus veſtibus, & dulciter cantabant (ô ſi iſtam Proceſſionem vidiſſetis!) faciebat circuitum circa totam illam Patriam Cæleſtem, & per viam ex utroque latere, erant turmæ Angelorum proſtratorum in terra illa cæleſti, qui maxima cum humilitate adorabant illum Dominum, & vexillô Sanctus Archangelus tangebat Angelos ex utraque parte. Finitâ iſta Proceſſione Sanctus Michaël acceſſit Sanctiſſimam Trinitatem, & ibi proſtravit haſtile vexilli ante Divinam Majeſtatem, & oravit, dicens: Ego te deprecor & oro, ſupplicóque DEUS, & Domine noſter, DEUS magnæ Majeſtatis, nomine omnium Cæleſtium Spirituum, quatenus benignè conſervare, & adaugere digneris in tua Sancta Eccleſia, & in tuis fidelibus, devotionem, & venerationem hujus Diviniſſimi Sacramenti. Et Dominus maxima cum affabilitate reſpondit: Se exaudiviſſe ejus preces, & annuit ſe hoc facturum, impertitúsque eſt illi ſuam Divinam benedictionem. X.

O! utinam & nobis ſuam largiri dignetur benedictionem, ut cum fervore noſtrarum Animarum comitemur Angelos in noſtris venerationibus, & obſequiis erga hoc Diviniſſimum Sacramentum. O Archangele Supreme Sancte Michaël, non ceſſes nos juvare tuis precibus, ut, pluente nobis Cælô flammas Divini Amoris, Te nobis vexillum præferente, ſequamur Proceſſionem in hac vita, tali modo, ut perveniamus ad celebranda in tua Societate tam læta feſta in gloria. XI.

INSTRUCTIO VII.

De admirabilibus Effectibus Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ.

1. IN quonam eſt Nilus magis prodigioſus? in quo illum magis miramimi? an in occultis ſcaturiginum ſuarum latebris, an verò in aperta aquarum ſuarum proluvie? Illæ ità latitant ut adhibitis ſingulariſſimis quibusque, curioſisque diligentiis Principium ejus deprehendi nunquam poſſit. Hæ ità apertæ ſunt, ut ad uſque avarorum etiam ſatietatem, ſpatioſiſſimæ Ægypti planities plùs quàm arctæ eſſe videantur pro inundationibus ejus. Et quare hæc omnia? Ut quas occultaverat cautè in ſuo principio undas, poſtmodum effundat pleno, atque beneficentiſſimo gurgite in lætitiam hominum, in vigorem plantarum, in fœcundam terræ vitam. Cùm enim apportet in alluvionibus meſſem copioſam, facit, quòd in Ægypto non obſervent Agricolæ Cælum, quando in aquis hujus fluminis fruuntur melioribus ad abundantiam, ad ſalutem, ad fœcunditatem influxibus. Et tunc, quando in fortunato naufragio inundatæ ab ejus aquis Civitates ſubmerguntur, magis lætantur & exultant; quia quantò magis illis terram contegit ſuis inundationibus, tantò magis detegit, patefacit & prodit incolis ſuam felicitatem: *Majórque eſt lætitia gentibus*, dicit Seneca, *quò minùs terrarum ſuarum vident.* Itáne? igitur Nilus, & in abdita ſua origine, & in aperta colluvie æqualiter prodigioſus eſt. Occultet ſe priùs in ſua origine pro majori ſui æſtimatione, quidquid ſolummodo ſe vult patefacere per copiam beneficiorum. Dicant, quid Nilus ſit, ejus effectus; lateat illius origo, ac Nilus per ea ſolùm beneficia innoteſcat, quæ Ægypto præſtat, dum univerſam terram exundantibus ſuis aquis irrigat. Sanè inundatio hæc Nili aquis ſuis meliùs nobis effigiat illud immenſum Flumen, quod habens in occulto ſinu DEI ſuum principium, indéque derivans ſuas aquas omnes, per aquæ ductus Diviniſſimi Sacramenti, ſi per ſeptem torrentes, ſicut Nilus, partitur de plenitudine ſuarum gratiarum beneficia, omnia tamen in abundantia beata adunantur in hoc Excellentiſſimo & Supremo Sacramento: *Flumen DEI repletum eſt aquis, parâſti cibum illorum*; Pſal. 64. v. 10. Et omnes ab hoc Sacramento ſe dividunt in rivos co-

copioſiſſimorum fructuum: *A Menſa hac*, dixit Os aureum Chryſoſtomus, *prodit fons, qui fluvios ſpirituales diffundit.* Hujus igitur Divini Nili non tenet vana curioſitas explorare originem, luſtrare Myſteria, inquirere admirabilem modum ſuorum infinitorum miraculorum. Adoret autem illum occultum & abſconditum Fides; quandoquidem per ſuos effectus ſe nobis dat cognoſcendum, per ſua beneficia ſe nobis patefacit, pro noſtro bono nobis ſe manifeſtat: *Fide creditur, & utilitate ſentitur*; dixit Sanctus Baſilius. Quod cæca Fides confitetur, ex eo ipſo juvamen ſentit; & ipſimet effectus clariſſimè dicunt Animæ id, quod in Myſteriis occultatur: tali modo, ſicut ſi quiſpiam cœcus ad ſolem expoſitus, quantumvis illum non videat, calor nihilominus illi id notificat, quod in radiis non videt. Cùm ergo hucuſque in hoc occulto Nilo ſolummodo adoraverimus occulta ejus Myſteria, jam nunc nobis ſe dat cognoſcendum per ſuos admirabiles effectus.

Sed illos omnes exprimere impoſſibile eſt: ſolummodo poſſent de hoc loqui, dicendo nobis quomodo illos experti fuerint, Beati, Animæ illæ fortunatæ, quæ in tam ſublimibus cognitionibus invenerunt in hoc Pane Divino omnia bona, omnes gratias, omnes virtutes: illæ, quæ jam in vultu DEI diſcernunt, quanta per hoc Sacramentũ ſua fuerint emolumenta, illuſtrationes, & elevationes. Sed loquendo ſolummodo de effectibus principalioribus, quos cauſat in anima hoc ſupremum Sacramentum, ipſamet ſua Majeſtas dedit nobis normam, quando taliter nobis illud inſtituit in cibo, & potu. Audite hoc clariùs ex luminoſa penna Angelici Doctoris Sancti Thomæ conformiter Doctrinæ Concilii Florentini: Sanctus Thom. 3. p. q. 79. art. 1. ſcribit: *Omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat; & delectat, hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam ſpiritualem.* Quos effectus cauſat in corpore cibus? Illud ſuſtentat, adauget, reparat, & delectat; iſti pariformiter, ſed multò melius, in Anima ſunt effectus hujus Diviniſſimi Cibi. Sed ut fiant, quid priùs eſt neceſſarium? Ut cibus ità uniatur corpori, ut cum illo idem fiat. Tantum in phyſicis & naturalibus facit nutritio, ut cibi tam diverſi converſi in carnem & ſanguinem, illi, qui antea erant tam diſtincti, jam ſint noſtrum ipſum corpus, illi, qui antea fuerant II.

rant cibi mortui, jam ſint animati, & vivificati cum noſtra ipſiſſima vita. Iſte eſt ergo primus, & principaliſſimus effectus, quem in Anima, quæ dignè illum percipit, facit iſte Panis Sacramentatus: convertere ſicut cibum Animam in ſeipſum (non ut ille convertatur in Animam) quod eſt, ac dicere, convertere animam in ipſum DEUM. *Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me*, prout dixit Magnus Auguſtinus. Et ſi adeſt Fides, ſi adeſt gratitudo, ſi adeſt conſideratio; Quæ permutatio, quæ variatio eſt iſta tam ſtupenda ex luto, ex miſeria, ex nihilo mutari in totam Divinitatem? Quæ unio eſt iſta tam admirabilis hominis cum DEO, non ſolùm in Anima, ſed & in corpore, ità ut non inveniant voces pro illa exprimenda & ſufficienter ponderanda omnes Sancti Patres? Quæ unitas, cùm nos incorporat Chriſto, facit conſanguineos Fili MARIÆ Sanctiſſimæ, Deificos, & Deiformes? voces omnes, quæ quantùm obtundunt, & ſtupentem reddunt intellectum, etiam ſolummodo hoc conſiderantem, infinities magis elevant, & ſublimant Animam ad hoc conſequendum.

III. Reddit iſta unio Animam cum Chriſto, quomodo? ſicut aliqua cera liquefacta, ſe commiſcet cum alia cera, dicit Sanctus Cyrillus; Sicut fermentum remanet incorporatum toti Pani, dicit Niſſenus Catech. 37. Sicut unica guttula aquæ cum vino confuſa, dicit Paſchaſius cap. 12. de Corp. & Sang. Domini; Sicut ferrum ignitum, quod ſplendet, & urit, dicit Sanctus Damaſcenus lib. de Fide, c. 14. Sicut ſurculus inſertus, vel inoculatus arbori animatur ab arboris ſucco, conjungitur ejus trunco, & fert ejus fructum, dicit Sanctus Thomas Opuſc. de Sacr. c. 20. Sicut brachium unitum capiti format cum illo unum corpus, dicit Sanctus Paulus. Quis non obſtupeſcat audiendo hæc quæ videntur eſſe exaggerationes, & tamen ſunt puræ veritates Fidei? Ità igitur remaneat Anima, quæ communionem percipit, unione reali, unione verâ, unita ipſimet DEO! *Non fide ſolùm, ſed reipſa*; dicebat hoc ipſum Sanctus Chryſoſtomus Homil. 88. in Matth. Iſte ergo eſt primus principaliſſimus effectus Sacramenti in Anima, quæ dignè illud percipit; iſte eſt effectus primarius hujus Cibi Divini, *Unire*. Plùs dicit Concilium Florentinum: *Effectus hujus Sacramenti eſt adunatio hominis in Chriſtum*; facere Animam cum Chriſto unam.

Pere-

Peregit quadam vice Communionem Sancta Mechtildis, & apparente illi Domino, videbatur ei Dominus cor Virginis extraxiſſe, & illud liquefactum, commiſcuiſſe ità cum ſuo corde, ut ex duobus cordibus efformatum fuerit unum cor. Et taliter modo, dixit illi Dominus: Tali modo, ego deſidero, ut omnia corda hominum fiant unum cor cum meo. Sed, ô Domine! ſi, ut hoc fiat prius debent corda liquefieri, quid facient corda lapidea, corda dura, corda adamantina? IV.

Quis favor eſt iſte, ô Animæ, cui nos tam rebelles reſiſtimus? Quæ teneritudo, & inventio eſt hæc Divini amoris? Si unicam perſonam ex illis, quæ hic ſunt præſentes, & me audiunt, elevarent Angeli ſeptries de die ad audiendam muſicam cæleſtem, prout factum eſt cum Sancta Maria Magdalena; ſi illi imprimeret Noſter Redemptor ſua vulnera, ſicut Sancto Franciſco; ſi illi conſpergeret labia lacte Virginalium Uberum, ſicut Sancto Bernardo, ſi illam honoraret ſuo pretioſiſſimo ſanguine, ex ſuo proprio latere, ſicut Sanctam Ludgardem; ſi unicæ ſoli perſonæ exhiberet ille omnes iſtos favores, cujus generis gratias fecit tot Sanctis, DEUM immortalem! quos ſtupores, quas admirationes hæc res cauſaret? Ecce ſcias Anima, ſcias homo, ſcias vir, ſcias fœmina, ſcias paupercula ancilla, ſcias ſerve, multò majores favores quàm iſtos tibi DEUM exhibere, quando dignè Sacram ſumis communionem. Multò Majores? Ità eſt; majores; quàm ſi tibi ſua imprimeret vulnera, quàm ſi tibi concederet ſugere ipſiſſimas Virginales mamillas Mariæ? quàm ſi applicaret tua labia ad ſuum proprium latus? Multò majores: quantò plùs eſt, uniri DEO, eſſe transformatum in DEUM, manere unum cum Ipſomet DEO. O utinam hoc recogitaremus! quomodo captivato intellectu, elevaret incendia amoris noſtra voluntas. V.

Sed uniri ô taliter, ùt diximus iſtô Cibô Diviniſſimô, conſiſtítne jam totum in hoc ſolo? Non; ſicut enim in cibo corporali, ità multò meliùs in hoc Animæ, ſequuntur per effectus indicibilia juvamina, & emolumenta: *Suſtentat, auget.* Suſtentat vitam Animæ per gratiam, per gratiam illam auget, & facit illam creſcere. Omnia Sacramenta conferunt gratiam, ſed iſtud per exceſſus ineffabiles illam auget, utpote illud, quod in ſe omnem continet gratiam, & eſt fons ipſiſſimus gratiæ. Si cibô non alatur corpus, quid inde ſequi- VI.

quitur? Deliquia, laſſitudo, lapſus, & etiam ipſa mors. Hoc autem impedit cibus, dando vigorem, dando vim, ac robur; hac de cauſa dicimus: illum ſuſtentare. Ità ſimiliter iſte Panis Divinus dans Animæ multò meliorem vigorem gratiæ, vitam illius ſuſtentat. Quòd ſi hoc alimentum Divinum illi deeſſet, debilitaretur taliter, ut morti appropinquaret. Animalcula, quæ ſanguine carent, dicit Ariſtoteles de longitud. vitæ cap. 3. eſſe breviſſimæ vitæ, & nihilominus apis vivit diutiùs aliis, quæ ſanguinem habent. Quare hoc? quia ſe ſuſtentat dicit Philoſophus, cibò tam ſalutari, & ſalubri, qualis mel eſt. Hoc illi ſupplet defectum humidi, & caloris, quæ illi in ſanguine deſunt, & ſic illi vita ſuſtentatur. Quantò ergo melius illud mel, quod cæleſtes continet dulcedines, ſuſtentabit vitam Animæ? Nec ſolùm illam ſuſtentat, ſed auget, & augmentat; *Auget*, faciendo illam creſcere per duplicata auxilia, modò in Fide, modò in Spe, modo in Charitate, ac etiam in omnibus perfectionibus, & virtutibus; adeò, ut ex ſua experientia affirmaverit citra omne dubium Sancta Maria Magdalena de Pazzis, unicam ſolam Communionem bene factam ſufficere ad ſanctificandam Animam.

VII. Sed, ſicut calor naturalis ſemper conſumit, sicque, quamvis ſerviat ad vitam, trahit ad deſtructionem, idcirco corporale alimentum ſervit etiam pro reparandis, & reſtaurandis damnis quæ cauſat; *Reparat*: ità multò melius iſte Cibus Divinus reſtaurat in Anima defectus ùt alimentum, curat damna ùt medicina, & præſervat à futuris morbis, ut antidotum. Volo dicere: quòd mundet Animam à ſuis culpis venialibus, quæ illam deturpant, & infirmam efficiunt, ac purificet ab imperfectionibus. Et etiam adhuc plùs (ſint hic attenti puſillanimes) dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 99. a. 3. & cum illo communis Theologorum, quòd quando aliqua Anima admiſſi peccati mortalis non recordatur, vel illud non agnoſcit, non accuſante illam ſuâ conſcientiâ; & bona fide dolore præmiſsò, etiamſi dolor ſit tantùm attritionis, accedit ad percipiendum iſtud divinum Sacramentum, in hoc caſu illam mundet à peccato, illique conferat gratiam. O Animæ inaniter inquietæ, inaniter timoroſæ! Mihi videtur, dicunt, me non fuiſſe bene confeſſam, quòd non ſatis me expectorem, me non eſſe bene diſpoſitam. Si, adhibitâ prudenti diligentia, conſcientia non accuſat, ad quem finem ſunt inquie-

quietudines istæ tam inutiles, quibus dæmon conatur vos privare hoc Sacramento? Audite, & intelligite: similes inquietudines patiebatur Anima purissima, scilicet Sancta Gertrudis, & hoc illa notat in suis revelationibus lib. 3. in fin. c. 18. audite successum. Certô quodam Festo Sanctissimæ Virginis rapta in spiritu percipiens magnos favores à Domina nostra, & ab aliis Sanctis, recollecta intra se perspiciens suas imperfectiones, & negligentias, videbatur sibi, se, cùm esset ex integro indigna, non posse correspondere istis favoribus. Et tunc Dominus respiciens illam benignè, & conversus ad suam Matrem, & ad alios Sanctos: non videtur vobis, dixit illis; quòd ego sufficienter emendaverim, ob respectum vestrum, hujus animæ defectus, quando illa me suscepit in meo Sacramento? Et: quàm sufficientissimè sunt emendati! responderunt omnes. Nunquid hoc tibi sufficit; Getrudis? dixit illi Dominus; & illa: ità mihi sufficeret, Domine, si non tantùm præteritas negligentias, sed etiam à me tolleres futuras; quandoquidem in cadendo meam cognosco fragilitatem. Ecce ego, subjunxit sua Majestas Divina, me tibi tali modo communicabo, ùt non solùm præteritas, sed etiam futuras imperfectiones à te sim sublaturus; & per hoc tota consolata remansit, & confortata. Utinam taliter per hoc consolarentur, animarentur & confortarentur etiam multæ Animæ, quæ cupidæ favorum DEI, in suis inutilibus timoribus, & anxietatibus præcipitant seipsas in propria pericula, & detrimenta.

VIII. Sicut ergo, Arca Testamenti in transitu Jordanis, retentis & in altum elevatis ex una parte aquis, ex altera parte alias sivit decurrere in mortuum mare; ità pariter iste Cibus cælestis, non tantùm mundat, delet, & aufert ab Anima præterita peccata, sed etiam in futurum, cùm valeat pro salutari antidoto, vires adauget, ab illis præservat, vel jam perterrefaciendo & depellendo suâ præsentiâ dæmonium, ne consequatur intentum suarum tentationum: *Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos; qui tribulant me* Psal. 22. v. 5. faciens nos hoc Pane Divinô terribiles, & horribiles diabolo, dicit Sanctus Chrysostomus homil. 61. ad pop. Antioch. *ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles*; vel jam mitigando suô Divinô rore fomitis nostræ carnis irascibilis perturbationes, concupiscibilis ardores & flammas. Ille, qui tribus pueris in fornace Babylonica con-

vertit in auram ſuavem incendia, in hortum amabilem flammas, quomodo non temperabit noſtræ carnis omnes perverſos ardores? Dicant hoc, ab experientia illi, qui cum ſua fortuna frequentant hoc Sanctiſſimum Sacramentum: ſi quis veſtrûm non tam ſæpe modò, nec tam crebros ſentit iracundiæ motûs, compreſſam invidiam, refrænatam luxuriam, ſopitos impudicitiæ motus, *Gratias agat Corpori, & Sanguini Domini*, dicit Sanctus Bernardus ſerm. de Cæn. Dom. n. 3. ad fin. *quoniam virtus Sacramenti operatur in eo*: gratias agat, & frequenter accedat ad hoc Sacramentum. Cervus nunquam febres patitur, & ideo, dicit Plinius, conſuetas Romæ aliquas mulieres comedere omni die carnes cervinas, liberatas fuiſſe per multos annos à morbo febrium; *Quaſdam nos principes fœminas ſcimus, omnibus diebus carnem Cervi deguſtare ſolitas, longo ævo caruiſſe febribus*, Plin. lib. 8. c. 32. Credat hoc qui velit; ego omnino pro certo ſcio, quòd manducando de Carnibus hujus multò melioris Cervi cámporum, nos liberandi ſimus à febribus omnium paſſionum. De quodam Cive Ferrari narrat noſter Pater Paulus Barry in ſolitudine Hagiophilæ die decimo Differt. matutinali ſequentia; ejus verba appono: Traduxerat Civis ille adoleſcentiam in magnis difficultatibus pudicitiæ ſuæ, imò ad probroſos lapſus, atque inordinatam vivendi licentiam devenerat; nihilominus deſiderium ſalutis magnos in Anima ſtimulos, & metum damnationis æternæ excitabat, unde conſilii gratiâ adiit ſuum Confeſſarium, petiitque qua tandem ratione poſſet ab hac miſeria, & iſtis peſſimæ conſuetudinis occaſionibus emergere. Viam, inquit Sacerdos, compendioſiorem non video, quàm ut uxorem ducas: duc, & modò illa non abutaris, in ſalvo es. Obtemperavit conſilio, uxorem duxit, & conſcientiæ pace fruitus eſt. Verùm, quia Matrimonia æterna non ſunt, intra aliquot annos uxor fatis conceſſit; & en! veteres redêe moleſtiæ, eademque, ut olim, carnis pugna; itur ergo in antiquam ſylvam, & novæ, infamésque libidines magis, quàm antehac, animum ipſius lancinabant. Quare iterum ſtatuit virum Religioſum conſulere, ut Animæ remedium inveniret; rationem præteritorum illi reddit, & exiguô ſe teneri deſideriô novæ ducendæ Uxoris, nè in malam incideret, & nè iiſdem rurſus periculis exponeretur cuæ jacturam ſalutis adferrent. Optimâ fortunâ Pater hic, aliud omni-

no

no à priori, medium ſuggeſſit. Domine mi, inquit, ſi aliquid tribuis fidei meæ, frequenta ſacram Synaxim, ſæpiùs ad hanc menſam accede, octavo quoque die ſume hunc Panem Angelorum, & intra pauculas ſeptimanas ab hiſce tentationibus liberaberis, nullâque inter virtutes omnes tibi charior erit caſtitate. Acceptiſſimum illi fuit iſtud conſilium, eóque uſus per aliquod temporis intervallum, ità ſe levatum ſenſit ab eo amoris appetitu, omnibúsque carnis rebellionibus, ut in novo quodam ſolatiorum orbe videre ſibi videretur, dicerétque identidem: heu! cur unquam uxorem duxi? ah cur in primis meis difficultatibus homo non occurrit, qui mihi frequentationem Sacramentorum ſuaderet! non periiſſem, nunquam Matrimonio me copulâſſem, & per cupiditatum mearum moderationem reddidiſſem me parem Angelis. Utinam reperiſſem tunc temporis Confeſſarium, qui talem ægro mihi medicinam propinâſſet! viverem nunc hominum fortunatiſſimus. Ecce illud, quod abſque dubio huic ſalutare, & proficuum erit; hoc eſt illud ipſiſſimum conſilium: nimirum, contra omnes tentationes, ſint illæ qualeſcunque velint, non eſſe opportunius remedium; quàm aſſiduus, & frequens uſus Diviniſſimi Sacramenti, quod ità vires roborat, reſtaurat, *Reparat.*

Ultimò tandem, juxta diſpoſitionem, delectat, & implet Ani- IX.
mam dulcedine & voluptate: *Delectat.* Tardè pervenio ad hunc effectum, quô tanto cum exceſſu fruitæ fuerunt innumerabiles Animæ. Manna abſconditum! quod cùm in ſe habeat omnem ſaporem, ſolummodo illum poteſt cognoſcere, qui illud deguſtat: *Quod nemo ſcit, niſi qui accipit;* Manna hoc eſt totum ad dandam Animæ, pro ultimo effectu æternam vitam Beatitudinis, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* Joan. cap. 6. v. 59. Illuc nos dirigunt omnia alia Sacramenta gratiâ, quam conferunt; ſed iſtud confert illis, qui dignè illud percipiunt, ſpecialem gratiam, & particularia auxilia pro finali perſeverantia, in qua conſiſtit æterna felicitas gloriæ. Narrat Jacobus de Voragine Serm. de Euch. illum gravem, & antiquum Patrem Sanctum Hilarium habuiſſe inter alias, certam Virginem magnæ virtutis, filiam ſpiritualem: ſæpiſſime Sacram accedebat communionem, & incitabat illam Sanctus, dicendo, ſe habere certum Sponſum Caſtiſſimum, & Sanctiſſimum, in cujus ſocietate ſi vivere velit, tunc opus fore, ut quàm plurimum proficiat in

virtutibus. Tantum illi ſponſum hunc laudabat, ut illa anxiè noſcere eum deſideraverit: & ad Virginis inſtantias dixit illi quodam die, quatenus ſe præpararet magna cum diligentia ad Sacram Communionem, & poſtmodum ſe illi ſponſum monſtraturum. Præparavit ſe Sancta Virgo cum quadam ſimplicitate columbina, acceſſit ad altare, monſtravit illi Sanctus Prælatus hoc Sanctiſſimum Sacramentum dicendo: Filia! iſte eſt tuus ſponſus, & huic debet intimè uniri tua Anima, nullâ ultrà habitâ voluntate, nec affectione ad quidquam terrenum. Hæſit illa rapta & abſorpta, audiendo hoc, in deſideriis ſui amoris; & immediatè ſumptô hoc Pane diviniſſimo, ab aliis retroceſſit, ibique in Eccleſia cum ſuavitate, & ineffabili dulcedine reddidit ſuum ſpiritum ſuo Creatori, aſcendens ad thalamum gloriæ. Audita fuit per totam Eccleſiam muſica quædam ſvaviſſima, quæ monſtravit quàm optimè, qualiter Cælum celebraret hujus Virginis nuptias.

X. Et cùm iſte ſit terminus, quô nos perducit hoc Divinum Sacramentum, ô utinam ſciremus conſequi ejus fructus tali modo, ut illi nos coronent in æternis gaudiis gloriæ.

INSTRUCTIO VIII.

Unde proveniat, quòd non conſequantur multæ Animæ omnes iſtos admirabiles effectus Euchariſtiæ.

1. ADmiratio filia ignorantiæ, eſt etiam Mater, ex qua naſcitur ſcientia; quandoquidem ex illo, quod ob ignorantiam admiramur, hujus ſequitur majori cum curioſitate inquiſitio, & ex inquiſitione acquiritur notitia; *Propter admirari cæperunt homines Philoſophari*; dixit magnus Ariſtoteles. Admiratio igitur, quæ olim ſuſpenſum tenebat totum magnum intellectum Salomonis, etiam hodie ſiſtit, & ſuſpendit totam meam ignorantiam. O utinam! ex inquiſitione, & indagatione hauriamus profectum maximæ ſapientiæ. Quomodo poteſt fieri, dicit ille ſapientiſſimus mortalium, ut quis hominum abſcondat intrà ſuum ſinum carbones ignitos, quin veſtimenta ejus immediatè concipiant vivas flam-

flammas? Habere ignem in pectore, & non uri; occultare carbonem ignitum in vestimentis, nec tamen ardere, quomodo potest tale prodigium contingere: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant?* Prov. 6. v. 27. Ità animo suspensus mirabatur Salomon. Ità attonitus multò melius obstupescit meus discursus: vivum illum carbonem, quem in Throno DEI vidit Isaias cap. 6. v. 6. Illum accensum ignem, illud ardens incendium, etiam nos reponimus in nostro pectore, etiam nos intimè suscipimus in cor nostrum cum Divino Sacramento Altaris; flammam totam DEI, ignem ipsissimum totius Divinitatis; *DEUS noster ignis consumens est*, Deut. 4. v. 24. & Sanctus Damasc. lib. 4. de Fide, c. 14. Quomodo ergo non accendimur? Quare non ardemus? Tantus ignis in sinu! Ubi ergo sunt nostræ flammæ? Ubi nostri ardores? O si ista justissima admiratio occuparet nostros intellectus, quàm, postquam nos videremus & agnosceremus convictos, multò melius proficeremus.

II. Explico me magis, quia ex bona intelligentia puncti hujus dependet fruitio ex hoc Divino Sacramento imponderabilium utilitatum, & commodorum. Si ibi Corpus, & Sanguis Filii DEI habet pro suis effectibus, non solùm unire secum ipso Animam, quæ dignè illum suscipit, non solùm augere gratiam in illa, sed etiam illam ab imperfectionibus purificare, vires adaugere ad certamina, ad virtutes roborare; quare ergo nihilominus videmus, experimur, audimus tot Animas, quæ hoc Sanctissimum Sacramentum frequentant, sæpissime percipiunt hunc Panem Divinum, tam parùm in virtute proficere, tam parùm in perfectione progredi, ut post centum, & ducentas communiones maneant, ùt antea erant, superbæ, impatientes & vanæ, tepidæ, liquaculæ, & ex toto distractæ? Undenam provenit hoc infortunium? Ex parte Sacramenti, vel ex parte suscipientis? Numquid iste Panis Angelorum in se continet omnes gratias, & omnes virtutes? Numquid est ibi ipsemet Christus; qui plenis manibus distribuit suos favores? *Qui dat omnibus affluenter*, Jac. c. 1. v. 5. Numquid ille venit hoc Sacramentô accendere ignem sui Amoris in Animabus? Numquid est hoc totum desiderium Ejus? nónne ista est omnis expectatio ejus: *Et quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12. v. 49. Nónne hoc Sacramentum Divinum est ille ignis

ad

ad cujus ſolummodo contactum finitâ Conſecratione, & ad elevationem Hoſtiæ, Sanctus Dominicus elevabatur in aërem ità flammis circumdatus, ut ad ſolum contactum videretur totus igneus? *Et ab igne, qui intus ardebat, corpus ejus ſubvectum velut in ignem convertitur.* Nónne iſte ignis Divinus ſæpiùs ad ſumptionem Hoſtiæ Sancto Franciſco Borgiæ flammas vivas in toto vultu emittebat? *Ad conſummanda Myſteria ità incaluiſſe, ut etiam vultus igneſceret*, dicit noſter Sacchinus Hiſt. 2. p. pag. 400. Quomodo igitur ab iſto igne non aſcendit flamma in noſtra corda, quare hos fervores non ſentimus, quomodo has gratias non experimur? Quomodo videmus, & finaliter experimur, quòd in multis, eſtò hoc Sacramentum ſumentibus omnibus octo diebus, vel omni triduo, vel quovis die; nihilominus iſte ignis Divinus non conſumat humorem peccantem linguarum, ventum inutilem vanitatum, nocivum calorem iræ, præcipitantia verba impatientiæ? Iſtud Divinum Sacramentum, quod aliàs tanta facit prodigia, quomodo ità animas, quæ illud vel quovis die ſumunt vel quaſi omnibus diebus, relinquit ut antea tepidas, diſtractas, impatientes? Quare iſte ignis in ſinu repoſitus, non ardet ſaltèm in veſtibus? Iſta eſt, Dilectiſſimi mei, mea admiratio, videte an non ſit juſta? iſte eſt meus ſtupor, perpendite an non ſit bene fundatus.

III. Non loquor ergo nunc cum illis, qui rariſſimè, qui omni anno ſemel ſumunt hoc Sacramentum; in iſtis enim immediatè valde bene cognoſco originem infortunii ſui, & timeo nè ſint fœnum præparatum pro inferno, ligna ſicca & arida ad ardendum in æternis flammis; *Percuſſus ſum ùt fœnum, & aruit cor meum*, dicit nomine illorum David Pſal. 101. v. 5. Et quare? *Quia oblitus ſum comedere Panem meum*; ibid. Per integrum annum ſi quiſpiam nihil comederet, quomodo ſubſiſteret vita corporis? & quomodo ſe habebit per tantum temporis intervallum vita animæ, ſinè unico & ſolo cibo ſuo? Hoc jam dicunt talium depravati mores, ſcandala, ac ad quæque ſcelera effuſio. Apage; cum his enim non loquor; nec loquor cum illis qui percipiunt (ſi tamen talis datur in quem tanta audacia cadere poſſit, & Fidem habeat) non loquor, dico, cum illis, qui indignè percipiunt Sacramentum iſtud, in peccato mortali. O DEUS! quid ego dicam, cùm illis loquatur ad conſcientiam manifeſta quæ

quæ illos manet damnatio: *Judicium sibi manducat & bibit; non dijudicans Corpus Domini*; ad Cor. 1. c. 11. v. 29.

Loquor itaque cum timoratis & timorem Domini habentibus, cum filiis Domûs DEI, cum amicis Ejus mensæ; Hic consistit energia & vis meæ admirationis; cur, dum sibi nullius conscii sunt peccati mortalis; nihilominus, non videamus illos in suis emendationibus, in suis profectibus, in suis virtutibus, hujus Divini Sacramenti consecutos esse effectus? Certum est, illos, qui ità nullius sibi conscii peccati mortalis hoc Sacramentum percipiunt obtinere principalem effectum, qui est, augmentum gratiæ sanctificantis: quòad hoc nullum est dubium. Sed de reliquo quare illos videmus non obtinuisse gratias actuales, auxilia, quæ ibi confert Sacramentum Animæ ad refrænandas passiones, ad meliorandos affectus, ad consumenda, & exstirpanda vitia, ad accrescendas virtutes. Quare imperfectiones perdurant? Quare culpæ veniales perseverant? Quare cum ipsamet salute non existimus sani? Quare cum ipsamet luce non sumus lucidi? Quare cum ipsamet sanctitate non efficimur Sancti? IV.

Sed admirationum, & interrogationum satis sit. Outinam responderent nostræ ipsissimæ Animæ! Sed locò omnium respondit Dominus per admirabilem similitudinem amatæ Sponsæ Sanctæ Catharinæ Senensi, Dial. c. 110. Si tu, Filia, dixit illi, teneres accensam aliquam candelam, & totus mundus veniret accendere suas candelas ab illa, nunquid communicaret suum lumen & ignem absque suæ lucis imminutione? Hoc jam advertis. Si autem ex illis, qui advenirent, aliqui apportarent certas parvulas candelas quatuor unciarum, alii candelas unius libræ, alii grandes faces, etiamsi omnes accendendo sumerent lumen & ignem, non videtur tibi illum plùs luminis & ignis accepisse, qui attulit cereum sex librarum, quàm ille, qui attulit candelam quatuor unciarum? Ità admodum evenit in meo Sacramento illis, qui sinè conscientia peccati mortalis illud percipiunt; omnes lumen referunt & ignem gratiæ; sed quod reportent aliqui tam exiguum lumen, tam parvum ignem, hoc illorum facit dispositio, illorum exigua admodum & remissa præparatio: *Tantum ergo percipitis ex isto lumine, quantum vos disponitis cum sancto desiderio ad recipiendum.* Cesset igitur nostra admiratio, si non experimur lumen magis accrescens, & ignem magis accensum ab isto Divino V.

Sacramento ratione noſtræ brevis & tepidæ diſpoſitionis, cùm apportemus certas candelas, in quibus ſe vix flamma ſuſtentare poteſt.

VI. Conſtringo magis iſtos defectus diſpoſitionis timoratorum, & non loquor nunc de diſpoſitione neceſſaria ad percipiendam in hoc Sacramento gratiam, de hac enim poſtmodum loquar. Loquor ſolummodo de diſpoſitione ad percipiendum majorem profectum, ad creſcendum in virtutibus, ad perveniendum ad perfectionem. Tres poſſunt eſſe rationes ob quas adeò infructuoſæ fiunt permultæ, & ſæpius repetitæ communiones. Prima eſt defectus conſiderationis, quô accedimus ad Sacram Communionem, minimè conſiderantes, quod facimus, minimè attenti, minimè perpendentes præſtantiam cibi quem ſumimus, adeò negotiis domeſticis immerſi, ut nec fides excitari, nec memoria refricari poſſit, quàm inexplicabile nobis beneficium in S. Euchariſtia donetur. Quid ergo mirum eſt, quòd poſtmodum non experiatur Anima debita cum efficacia profectus ſuos? Ideo lupus, qui voraciſſimus brutorum omnium eſt, remanet ſemper macer, & macilentus, dicunt Naturaliſtæ, eò quòd, cum ſit adeò avidus vorator, & gulo, non maſticet cibum, ſed avidiſſimè illum abliguriat, & ſic nunquam illum ſumat pro ſuo commodo & emolumento, nec nutrimentum inde ſibi conducens ſentiat. Et ſi idipſum evenit in quocunque alio cibo corporis, ità ut non conducat, niſi priùs bona maſticatio, & digeſtio fiat, certo certiùs etiam in hoc Pane, qui eſt Panis vitæ & mentis: *Panis vitæ, & intellectûs*; conſideratio priùs illum maſticet oportet, debitè conſiderando antea, quis ille ſit qui venit in Sacramento; ad quem veniat, quare, & ob quos fines veniat? Si hoc per aliquod ſpatium recogitaretur, ô quales forent in qualibet Communione noſtri profectus? Manna, ùt vobis aliunde conſtat, habebat omnium ciborum ſaporem; ſed ut cuivis ſaperet ſicut volebat, debebat priùs recogitare, & certum quemdam cibum ſibi in mente proponere, ac dicere intra ſe: volo ut mihi ſapiat ſicut e. g. perdix &c. quia ſi nihil ante recogitabat, nullum etiam ſaporem experiebatur. O quot ex Chriſtianis accedunt ad Communionem, provolvuntur in genua, percutiunt pectus, ſumunt Corpus Domini, & inter hæc omnia nec quidem unicam vel minimam faciunt cogitationem de illo, quod agunt, nec quidem unicum actum Fidei; quis ille ſit quem ſumunt.

Quam-

Quamobrem posset illis dici: *Vos adoratis quod nescitis*, Joan. 4. v. 22. Et hæc quidem nonnisi ex consuetudine, ex usu: libelli leguntur quasi memoriter, & interim distracta existit Anima, aliena ab hoc, quod facit. Quomodo igitur sentiet saporem de illo, quod comedit? Et etiam naturaliter nescio, quem saporem conferat gustui, scire vel pretium ciborum, vel expensas ferculorum. Idcirco monstrum illud Abdomini natum Heliogabalus volebat, ut dum illi cibus præsentabatur, pariter diceretur, quanti fuerit pretii, causante & faciente tali modo valore expensarum embamma appetitui. Et si recogitaremus quantum constiterit DEO dare nobis illum Cibum, quantus esset ad manducationem illius noster gustus & appetitus? Si quidam amicorum, si quædam persona, cui affecti sumus, nobis transmittit ad mensam aliquem cibum, ob hoc solùm nobis delectabilior, sapidiórque redditur. Si igitur consideraremus quis sit ille amicus, qui nobis ibi præparat ferculum, quales ibi forent nostræ delitiæ?

Verùm non est iste defectus considerationis sola causa nostri VII. exigui profectûs, sed quod parùm consideremus, & perpendamus nostras leves passiones, nostros pravos affectus, nostras spurias inclinationes. Non loquor de graviter peccaminosis, sed loquor de illis, quæ spernuntur, quæ pro nihilo habentur, de illis, quas continuò negligimus ab anima evellere, quarum nulla habetur ratio. Et istæ sunt causa secunda, quòd non in hoc Diviniſſimo Sacramento abundantes fructus consequamur. *Novate vobis novale*, dicit Dominus per Jeremiam Prophetam cap. 4. v. 3. *& nolite serere super spinas*. In agricultura Primò necessarium est mundare agrum ab omnibus zizaniis, ut messis copiosior crescat; nam quis seminabit supra spinas frumentum? Si in tantum procurat agricola has evellere una & altera vice, etiamsi frumentum crescat, etiamsi abundantem habeat irrigationem; cur pravi affectus non evelluntur ex Anima, ut istud Divinum frumentum det suos profectus? O! dicunt multi: ego nullam habeo inimicitiam; ista quam gero parùm importat, est demum modica commotio, & excitatio bilis; murmurationes meæ nonnisi leviores sunt; ista vel illa vanitas non pervenit ad gravem DEI offensam. Et quantumvis ad hanc non perveniat, nonne sufficiet ad impediendos in una Communione imponderabiles fructus? Non dedit Dominus Manna Israëlitis usquedum ex integro defeciſſet

illis farina, & victualia, quæ ſecum ſumpſerant ex Ægypto; non ſunt fruiti favoribus hujus Panis Cæleſtis uſquedum nec quidem unicus illis remanſiſſet pugillus de terrenis cibis. Cuidam Sancto Religioſo, narrat Henricus Gran, ſemper quotieſcunque communicabat, & hoc ſingulis octo diebus contingebat, communicabat Dominus certam quandam ineffabilem dulcedinem, quâ ſenſibiliter fruebatur ſumptô Divinô Sacramento. Habuit iſte levem quandam diſſenſionem cum alio Religioſo (dixerat illi neſcio quale verbum pungens) totum hoc fuit tam exigui momenti, ut cùm eſſet valde timens DEUM, abſque alia reconciliatione, & ſcrupulô, Dominica ſequenti acceſſerit ad Sacram Menſam Domini; ſed loco dulcedinis, quam antea percipiebat, expertus eſt amaritudinem maximam. Cognovit ille cauſam, hanc deflevit, & in veritate, quantumvis illam emendaverit, nunquam amplius dignatus eſt Dominus illam rurſus illi communicare dulcedinem, relinquendo illi hoc perpetuum motivum pro ſua humilitate. Agite; ſpernamus jam ut res leves, paſſiones, & defectus, qui nos tantô privant bonô?

VIII. Pro ultimo: tertia ratio, quæ impedit lucrari cum exceſſibus, & præſtantia fructum Communionum, dicit elevatus Sanctæ Thereſiæ Spiritus à JESU Cam. de perf. c. 14. eſt, qui poſt ſuſceptionem Hoſpitis tam magnifici, Regis Supremi, DEI tam liberalis intrà noſtrum pectus in opportunitate ſuorum favorum, in momento relinquimus illum ſolum abſque eo, quòd nos detineamus in ejus ſocietate unicô ſaltèm quadrante horæ in reddendis illi gratiis, & de novo impetrandis ejus favoribus. Diſtrahimur immediatè noſtras cogitationes, revertimur ad noſtras converſationes, & forſitan non pauci ad inſtar Judæ, ſurgentes cum buccella in ore, vertunt terga DEO. Hoc eſt tempus negotiandi cum DEO de omnibus bonis, dicebat Sancta Thereſia; iſta eſt occaſio tam pretioſa, de qua nobis nec unicum quidem momentum foret perdendum, quando Dominus loquendo intimè Animæ unicô verbô pro tunc illam ſalvare poteſt: *Cum manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare Animas veſtras*; Jacob. cap. 1. v. 21. Iſta eſt illa particula diei, unde poteſt dependere noſter dies æternus; illud momentum immediatum poſt Communionem: *Particula boni diei non te prætereat*; Eccleſ. cap. 14. v. 14. Quæ benedictiones, quæ felicitates non impleverunt domum

domum Obededom eò quòd ibi manserit tribus mensibus Arca Testamenti? 2. Reg. c. 6. v. 11. Quam salutem, & quam vitam non est consecuta domus Zachæi per breve spatium temporis, quo habuit Dominum ad mensam suam? Luc. 19. v. 9. Quantas fortunas non acquisivit Samaritana per brevissimum discursum habitum cum isto amabilissimo Peregrino? Joan. cap. 4. Quæ igitur bona & dona non percipiet Anima, si sciat uti præsentiâ hujus Divinissimi Hospitis? Si in tuas deponerent manus clavim ad integrum aliquem thesaurum, concedendo tibi unicum quadrantem horæ, ut sumeres, quantum & quidquid voles, quam festinationem non adhiberes, ut tantò plus & plus inde sumere posses? Ecce dando tibi Christus suum ipsissimum Corpus, quid aliud vult, quàm dare tibi claves ad suos thesauros? Vivifica tunc Fidem, excita Spem, accende Charitatem, & gratiis peractis, pete ab eo favores, repræsentando illi omnes necessitates Animæ, & Corporis; dic illi cum humilitate, deosculando ejus pedes: non dimittam te Domine, abscedere ex mea domo, nisi tuam mihi impertitus fueris benedictionem; *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, Gen. 32. v. 26. Offer illi tunc corrigendum illum defectum, in quem solitus es cadere; reprimendam illam passionem, quæ tibi solet prædominari; propone illi ex nunc te velle moderari verba ab ista ad sequentem usque Communionem; mortificare affectus, vincere istum, vel illum appetitum, recreare te per aliquod spatium saltèm, cum illo, qui est recreatio Angelorum. Et si hoc tali modo factum fuerit, ego te assecuro, quòd, repiente qualibet Communione Animam multis bonis, & donis, exterminaturæ sint Communiones ex Anima omnia mala, & sit cessatura admiratio, vel querela, quòd tam parùm proficiant Communiones.

IX. Beata Maria de Victoria, Fundatrix Monialium Cælestinarum, habuit hanc specialem devotionem post sumptam Communionem, ùt refert Hautinus num. 663. quòd semper in gratiarum actione, postea quam petiisset à Domino plurima beneficia, proposuerit seriò emendare aliquem specialem defectum, vel imperfectionem suæ vitæ. Mediante hac curâ & industriâ, obligatô & quasi etiam obstrictô Domino ad conferenda illi sua auxilia, sensim ad talem conscendit perfectionem, ut aliquot annis ante suam mortem, inquirendo

& ſe examinando quid petendum & proponendum haberet, jam nihil ampliùs inveniret, & deſiderans offerre Suæ Majeſtati aliquem maximè heroicum actum, neſciret qualem; poſtmodum audivit intra Animam ſuam dicentem ſibi Dominum: *Ama Me, ſicut te amavi,* offeras mihi, quòd me velis amare, ſicut ego amavi te. Illa verò: Quomodo poteſt eſſe, ſi Tuus pro me fuit Amor Divinus, fuit Amor infinitus, & meus eſt amor minimus, amor remiſſiſſimus, amor cordis carnei? Iſte, dedit illi Dominus ad intelligendum, erit ſicut meus, ſi prorſus nihil in illo remanſerit terreni amoris, ſi totum, totum illum in Me collocaveris. Cum hoc remanſit plena jubilô, & proſecuta eſt adimplere ſuum promiſſum.

X. Et jam cùm defectus conſiderationis, cùm negligentia evellendi ex Anima affectus perverſos, cùm ingratitudo perpendendi ſaltem per breve ſpatium hoc beneficium, ſint cauſæ quæ nos impediunt ab acquiſitione abundantium ejus profectuum & fructuum; ejà Animæ eſtote bono animo, vires reſumite ad tam faciles diligentias & ſedulitates; eas arripite, ut cum illis creſcant fructus, augeantur virtutes, augmententur merita, ut in hac jam vita anticipent gloriam.

INSTRUCTIO IX.

De Diſpoſitione neceſſaria ad dignè percipiendam Sanctiſſimam Communionem.

I. MOrtem inter, & vitam media conſiſtit voluntas noſtra; attamen, quis crederet, quòd hæc de talibus extremis mortem arripiat: cùm tamen in manu vitam habeat? Arripit tamen: Et quamvis hoc (quantùm ex ratione eſt) intellectui impoſſibile videatur, voluntati, tamen facillimum eſt propter ſuam cœcitatem; quæ ità ſæpe diſpoſita eſt, ut ex ipſiſſimo fonte vitæ non rarò funeſtam originem mortis faciat. Roſa, amabilis pulchritudo pratorum, ſubminiſtrat apiculæ pro ſuo favo dulcedinem, & hæc ipſiſſima ſcarabæo ſervit pro mortali veneno. Balſamum, præſervativum ſemper à corruptione, quodſi inveniat

cada-

cadaver, quod jam incepit putrescere, accelerat eò citius corruptionem. Sol, qui ceram liquefacit, indurat lutum. Panis, alimentum & sustentamentum hominum, est toxicum quod occidit Falcones. Denique in aliquo convivio, ubi convivantibus iidem cibi ad gustum & delitias æqualiter apponuntur, alius ob suam indispositionem exinde sumit initium suæ infirmitatis, ex qua moritur: *Nihil prodest, quòd non lædere possit idem*; dixit bene ille profanus. Quid igitur multùm est, quòd idem Convivium Divinum, in quo DEUS nobis præparat, & dat vitam, sit pro multis maximè terribilis mors; quòd ipsamet vita DEI, sit mors æternarum etiam tenebrarum, *Mors est malis, Vita bonis: vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* O horrorem maximum! quem vel concipere vix intellectus potest, quod ex duobus hominibus, qui eodem tempore, qui eodem ipsissimo instanti genuflexi ante Altare percipiunt Sanctissimum Sacramentum, unus recedat ab inde per judicium, per sententiam datam, reus æternæ damnationis; alter cum corona, cum diademate præparato, particeps æternæ gloriæ. Unus fœtens ut mortuus pro æterna morte; *Aliis quidem odor mortis in mortem*, alius fragrans odore Paradisi pro vita semper duratura: *Aliis autem odor vitæ in vitam*; ad Corinth. Epist. 2. c. 2. v. 16. Quid est hoc? Unus idémque cibus effectus habet tam contrarios? Quid est, quòd unus idémque ignis faciat ex stramine cineres, & auro suam elevet probam & æstimationem? quòd idem vinum sano corroboret vires, febricitanti consumat spiritus? & quòd dispositio ultimatè distinguat tam prodigiosè hujus Divini Panis effectus? quòd nostra voluntas faciat, ipsissimam vitam nobis servire pro maximè lacrymabili morte?

II. Nunc ergo si in tantum in nostra voluntate positi sunt vel omnes thesauri DEI, vel omnia inferni tormenta; vel tota beatitudo; vel æterna damnatio; vel vita ultimatè, quæ nunquam finitur, vel mors: quæ nunquam terminatur; qualis dispositio ex parte nostra nos faciet tam felices? Qualis præparatio aperiet portas Animæ, & concedet illi frui mediante vitâ Divina omnibus deliciis DEI? Hoc est punctum quod sequitur in Doctrina, & est punctum, à quo dependet felix vel infelix æternitas, in bono vel malo usu Sanctissimæ Communionis. Loquor cum distinctione, quia hoc requirit gravitas materiæ. Una est ergo dispositio, quæ esset conveniens, altera,

quæ

quæ est omnino necessaria. Et si de conveniente deberem dicere quantùm meæ obligationis esset, possem solummodo, si mihi suas Seraphini linguas præstarent, de hac dignè differere, eámque vobis debitè explicâre; sicut illi Beatæ Angelæ de Fulinio, Beatæ Margarethæ de Cortona, & aliis Animabus eam explicârunt, quæ quantumvis fuerint purissimæ, tamen adhuc debuerunt pro isto Sacramento augere ornamentum, elevare perfectiones, & mundare teneritudines. Possem solummodo exprimere, qualis apparatus conveniret, si mihi concederet sua labia ipsemet Salvator Mundi, quibus illum docuit Sanctam Catharinam Senensem, Sanctam Mechtildem, & alias, quæ quantumvis magnæ charitatis ardore arserint, nihilominus adhuc debuerunt plura superaddere, ut se dignas facere possent. Solummodo possem vobis innuere, qualis puritas esset conveniens præparationi, si ipsemet Æternus Pater mihi præstaret illam vocem, quâ docuit se præparare Sanctam Magdalenam de Pazzis, quamvis vixerit in carne sicut purus spiritus, & adhuc in terris posita habitaverit in gloria.

III. *Opus grande est*, suggerit hic ultimatè mihi sua verba David, 1. Paral. c. 29. v. 1. *Opus grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO.* Totus attonitus ad præparationem in sua idea illius magni Templi, non capiens intellectu magnitudinem, perfectionem, supellectilem, quæ erant convenientia in hæc verba prorupit: Opus grande, negotium imponderabile, quia domus, quam ego dispono, non est pro aliquo Principe, vel Rege Terræ; est Palatium ut ibi habitet DEUS; Opus grande. Et quod si fuerunt divitiæ, magnificentia, aurum, argentum, ornamenta pulcherrima, perfectiones sublimissimæ artis in illo Templo, quod solummodo dedicatum DEO erat pro collocanda in eo Arca; pro Templo vivo, in quod cum reali Præsentia debet Ipsemet intrare DEUS, quæ conveniens erit præparatio? Rapit in stuporem hoc considerantem. Quid non effudit DEUS abundantiæ, puritatis, abyssi gratiarum in MARIAM! O DEUM immensum! quis erit sufficiens hoc edicere? Et hæc omnia, quare? In quem finem fecit DEUS expensas has infinitas? In quem finem impendit totam suam Divinitatem in hæc tam immensa Ornamenta? In quem finem? Solummodo pro præparanda B. V. MARIA, pro illa disponenda, pro illa digna reddenda concipi-

cipiendi in ſuis viſceribus Filii DEI. Ità hoc recognoſcit, & ità hoc confitetur Sancta Mater Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui Glorioſæ Virginis Matris MARIÆ Corpus & Animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparâſti.* Solummodo ad excipiendum DEUM tanta puritas in MARIA, tanta perfectio, tanta gratia?

IV. Qualem ergo conveniret eſſe pro ſuſcipiendo iſto ipſiſſimo DEO noſtram puritatem? Utinam, exclamat hic Spiritualiſſimus Pater Joannes Euſebius Nieremberg, utinam ante ſuſceptionem hujus Sacramenti Anima purgaretur, & præcederet Purgatorium, quod non relinqueret in Anima nec quidem leviſſimam culpam! Et cum ille deſiderârit Purgatorium; quid foret æquiùs, quàm, ut noſtra illud devotio & diſpoſitio ſuppleret, quàm ut, ſicut Sanctus Aloyſius Gonzaga tres dies integros à die Jovis inſumebat ſolummodo in præparatione ad ſuſceptionem iſtius Domini Dominicô die; & tres dies ſequentes applicabat ſolummodo gratiarum actioni; quàm ut ſicut Margaretha ex Hungaria Hiſt. Dom. 1. p. l. 3. c. 2. jejunans veſperi in pane & aqua, tranſigebat noctem integram in oratione, & poſtmodum integrum diem in ſtrictiſſimo ſilentio; ità & nos idem faceremus, ac nos ad percipiendum hoc Sanctiſſimum Sacramentum præpararemus tam ſolicitè, ſicut pro morte; ut quamlibet Communionem haberemus pro ultima, quâ percepta præſentari deberemus immediatè ante Tribunal DEI ad reddendam rationem. Ità ſe præparabat Venerabilis Gregorius Lopez, qui vice quadam interrogatus: ſi Sacerdos eſſet, quid faceret? Reſpondit: Facerem hoc quod nunc. Ubi denuo ex illo quæſitum fuit: & pro celebratione quomodo ſe præparet? Reſpondit: ſicut me pro nunc præparo; & ſuum ſermonem ulteriùs proſecutus eſt, dicendo: ſi aſſecuratus eſſem pro certo, me intra paucas horas eſſe moriturum, non facerem plus quàm modò facio, quia ego reddo totum, quod habeo, & non poſſum illi dare plùs, ſi ille ex ſua miſericordia illud mihi non det. O Animæ puræ! O Animæ fortunatæ! Quomodo quis admitteret in ſuum cor culpas veniales voluntarias, affectus depravatos &c. quæ omnia impediunt debitam puritatem? Igitur conveniens præparatio, quouſque ſe noſtræ vires extendunt & pertingunt, eſſet totalis ſeparatio à terra, ità ut nec quidem leviſſimus affectus, nè dicam culpa ve-

venialis, macularet Animam; ardor inflammatus charitate, fervidum desiderium, sicut illud, quod patiebatur usque ad deliquium animi Catharina Genuensis; cura semper timorata, diligentia semper solicita, sicut illa, quam habebat Sanctus Franciscus Borgias.

V. Sed quis tantum præstare poterit? dicunt jam mihi pusillanimes. Quis potest pervenire ad similem puritatem? Nec unicus sinè gratia: cum gratia omnes; non enim isti erant ex alia carne, quos nominavimus; Nihilominus tamen est ote attenti, dicit Sanctus Augustinus; Zachæus peccator quidem, sed pœnitens, excepit confidenter, & gaudens Dominum in suam domum, & impetravit salutem. Centurio abhorrens, & timens dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, & licèt sint contrariæ eorum rationes, sortiti sunt tamen eundem effectum: *Non litigaverunt inter se Zachæus & Centurio, cùm alter gaudens suscepit, & alter dixit: Domine non sum dignus:* Sanctus August. Epist. 118. c. 3. Supplebit igitur peccator totam istam præparationem puritatis; Quomodo? per unicum actum, & hunc quidem facillimum. Et qualis est ille? Actus veræ humilitatis, cognitio vera suæ indignitatis: *Non sum dignus:* duobus brevibus verbis Sancti Petri; *Tu mihi? Tu? & quidem mihi? Tu* Sanctitas infinita, Puritas summa, Bonitas immensa, *mihi?* qui tam vilis sum, tam ingratus, tam plenus imperfectionibus, & peccatis, tam vacuus meritis; *Tu mihi?* Quâ præparatione mediante possum ego Te percipere, dicebat quadam vice Sancta Gertrudis Domino; & ille respondit: nihil aliud à te desidero, nisi ut ex toto vacua venias ad me percipiendum, de reliquo ego postmodum omnia faciam: *Hinc intellexit, quòd evacuatio illa sit humilitas, quâ se reputaret nihil habere de meritis.* Ista est, in summa, Peccatores! præparatio facillima, cognoscere nostra delicta, & ratione horum nostram indignitatem: *Domine non sum dignus.* Matth. 8. v. 8.

VI. Talis est ergo præparatio conveniens, quam semper procurare indubiè deberemus, sed non idcirco dico, quòd si desit tanta puritas, quòd si non adsit tam excellens præparatio, esse sacrilegium & peccatum mortale; sumere istud Sanctissimum Sacramentum. Non dico, quòd si non adsit in Anima tanta perfectio, quòd hac de causa non sit perceptura in hoc Sacramento gratiam. Qualis est igitur præ-

præparatio omnino neceſſaria? Breviter reſpondeo. Reverentia, Fides, & mundities conſcientiæ. Reverentia, non ſolùm in Anima, ſed & in corpore, ut permaneat à medio noctis in totali jejunio naturali ante ſumptionem Sanctiſſimi Sacramenti, ſinè deglutione etiam unius tantùm micæ panis, aut guttulæ aquæ, aut alterius cibi, vel alicujus potûs? Decentia, mundities, nitor in vultu, & in veſtitu. *Mundities, & decentia* dixi, non profanitas, non vanitas; nam cum pectoribus nudis accedentes ad Sacram Communionem damnant peccati mortalis varii Theologi, ùt Joan. Sanchez Select. diſp. 11. a. 22. & Sanctus Carolus Borromæus ſanctè mandavit in ſuo Archi-Epiſcopatu, nè talibus denudatis porrigeretur Sacra Communio. Acta Eccleſ. Mediolan. Cum ſune ad collum ſuſpenſo accedebat ad hanc menſam Sancta Margaretha de Cordona, & merita fuit quòd illam Dominus filiam vocaverit, & ob hoc nomen ſolum illam reliquerit per integrum diem abſorptam, & immerſam inter dulcedines. Sanctus Jonas Monachus veſtitus ſemper incedebat hiſpidô ſaccô; accedens autem ad Sacram Communionem, induebat tunicam decentem, & hac ſumptâ, immediatè illam deponebat, & munda atque decens illi duravit per octuaginta quinque annos, ità refert Bollandus in vita illius.

Sequitur poſtmodum Fides, ut vivificetur hæc flamma, & ac- VII.
cendatur iſtud lumen, non ad illuminandum versùs terram, ſed versùs DEUM ſolum. Eſt hoc Sacramentum *Myſterium Fidei*; & ſic debet Fides facere illi introitum cum profectu. Idcirco in primitiva Eccleſia, referente Sancto Ambroſio, proponebat Sacerdos Communionem ſumpturo, dicendo: *Corpus Chriſti*; & ille profitendo Fidem de hoc Myſterio, reſpondebat: *Amen.* Idcirco in antiqua Hiſpania, juxta diſpoſitionem tertii Concilii Toletani, illi, qui Sacram Communionem ſumebant, priùs dicebant altâ, & clarâ voce: *Credo.* Si Fides vivificaretur ô quales eſſent ex hoc Sacramento profectûs! Cryſtallus translucida, & expolita, quæ oppoſita ſoli facit concipere ignem in fomite, & elevare flammam; illa ipſiſſima poſita contra ſolem ante aliquam accenſam candelam, illam exſtinguit: *Cæleſti lumine vincor.* Illâ ergo Cryſtallô Divinâ exſtinguatur lumen ad terram, accendatur ad cæleſtia. Sed ſola non ſufficit Fides, definit Sanctum Concilium Tridentinum: Seſſ. 13. cap. 7. *Pro-*

bet autem seipsum homo, micat nobis tonitru Apostolicum 1. ad Corinth. c. 11. v. 28. *& sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.* Proberur conscientia; & quomodo? Examinando illam maxima cum cura, & diligentia, cùm hic agatur de vita: an adsit in Anima aliquod peccatum mortale; & si ibi sit, quantumcunque sibi videatur contrita, debet priùs confiteri, modò non sit in necessitate tam gravi, & tam urgenti, ut necessarium sit Sacram Communionem sumere, & desit illi copia Confessarii. Et cùm ipsemet Judex, qui nos judicaturus est in suo tremendo Tribunali, intret in nos, scrutari maximè abscondita cordis nostri, ut quid quærit se palliare passio nostra? ut quid fingit prætextus amor proprius? *Probet autem seipsum homo*; si absconditur in corde vel odium palliatum, vel affectus turpis, vel amor rei alienæ, quæ detinetur; O DEUS, quam timeo de communionibus, nè sint sacrilegæ; & nè loco vitæ, quæ debet intrare in Animam, aliqui manducent damnationem; *Judicium sibi manducat, & bibit.* Quid? Manducare in illa buccella panis sententiam mortis? Corvinus Princeps Angliæ occultè abstulerat vitam uni Fratrum Regis Eduardi; non fuit probatum delictum; sed in Rege durabat suspicio. Fecit quoddam convivium, & vocavit Corvinum, & inter epulas declaravit Rex mentem suam. Ego suspicor, dixit illi, te esse illum, qui meum occidit Fratrem. Tunc ille faciendo signa insolitæ admirationis; Ego? dixit, & inter alias imprecationes concluſit: istud frustum panis auferat mihi vitam, si hujus rei sim reus. Ità factum est; quia dum frustum ad guttur pervenit tali modo se invertit, ut suffocatus ac immediatè mortuus conciderit. Debet peccator vitam Filio DEI, quam per peccata sua amiserat, & quòd si in hoc Convivio, quod illi facit, adhuc reservet in corde suam proditionem, in hoc pane Divino deglutit mortem. Quid opus est mihi nunc subjungere horribilium castigationum, tremendorum experimentorum eventus, qui à tempore Judæ, primi indignè Communionem sumentis usque ad nostra evenerunt tempora. His repletæ sunt historiæ ad terrorem sacrilegorum, qui in peccato mortali audent committere majus peccatum quàm Herodes, dicit Sanctus Augustinus, magis horrendum quàm Judas, dicit Sanctus Chrysostomus, multò terribilius quàm commiserunt Judæi crucifigendo nostrum Redemptorem, dicunt Sancti Patres, &

pro

pro omnibus Sanctus Paulus: *Reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Qui tali modo in peccato ad sacram venit mensam, ille reus est Corporis, & Sanguinis Domini? *At si Christum occiderit, punietur,* explicat Glossa; punietur, acsi suis manibus abstulisset vitam, effudisset Sanguinem Filii DEI. Sed tardè pervenio ad considerandam, & bene ponderandam horribilitatem, & enormitatem hujus sacrilegii. Si hic adest Fides, superflua est omnis consideratio, & ponderatio, & sufficiat hæc sequens experientia:

VIII. Servi duo cujusdam Nobilis fovebant ordinariè inter se inimicitias, & quamvis à Domino saepiùs reconciliati fuerint, rursus magis, & magis crevit inimicitia, & ad interpositionem Heri, unus ex illis simulavit se velle reconciliare cum altero, sed preserat occultè suum rancorem, tempore commodo eundem executurus. Aderat interim septimana sancta, & cum illa paschalis Communio; & nullâ habitâ ratione hujus peccati, quin illud vel confessus fuisset, accessit ad Sacram Mensam; sed postmodum remordente conscientiâ die sequenti confiteri statuit: dilatione verò minuit sibi scrupulum, & distulit confessionem de uno in diem alterum. Appropinquabat jam dies Ascensionis Domini; ac quodam manè intranti hortum suæ domus, exivit obviam certus Æthiops horribilis, & turpis, adigens illum ad luctam secum ineundam, stringénsque illum suis brachiis, postquam corpus ejus pessimè tractâsset, in terram prostravit, & suprà illum se ponens, tot ictus pedibus illi dedit, ut totum deformaverit, & relinquens illum ità abominabilem, ut ipsemet erat diabolus, cum quo luctabatur, dixit illi: hoc ideo accepisti, quia pessimè die Paschatis Communicâsti. Disparuit, & ille rependo, ut potuit, ascendit ad aulam, ubi videns illum Dominus, signans se immediatè signo Sanctæ Crucis, & vultum ab illo avertens, dixit: Infelix unde venis? horribilior es ipsô dæmone, & videris ac si nunc ex inferno exivisses? Non inde exeo, respondit, sed nunc illuc vado. Narravit Domino successum, & narratione finitâ, concidit mortuus. Bene mereretur pedibus diaboli calcari ut mancipium, qui ratione hujus Sacramenti perdit ob suam culpam esse Filius DEI. Simile huic adjungo in terrorem illorum, qui odia, & rancores contra Proximum nutriunt, nec ex corde injurias condonant. Reliquit illud posteris conscriptum noster P. Gabriel de Vega, Rector Colle-

gii Madritensis. Fuit Cordubæ homo familiæ satis illustris, qui dudum capitales inimicitias foverat, non sinè publico scandalo totius urbis. Hic ùt in morbum lethalem incidit, nostrum Sacerdotem advocat, ut animam sacra exomologesi expiet; sed Confessarius illi negandam absolutionem dixit, nisi palàm cum inimico in gratiam rediret, cujus inveteratum odium jam omnibus notum erat. Annuit æger, alter advocatur, & inter complures testes, alter alteri veniam rogat, & injuriam omnem remittit. Quo facto, sacrô epulô munitus fuit, eôque sumptô exspiravit, ac honorificè, ùt decebat, sepultus est. Quis hic non exclamet: *Moriatur anima mea morte justorum? Num. c. 23. v.* 10. Sed alia sunt judicia DEI, alia hominum. Nocte insequenti postquam terræ mandatus fuerat; en! tibi duo Ephebi pulsant portam Collegii Cordubensis, facem manu gestantes, rogant loqui Confessario defuncti, habere se rem magni momenti illi communicandam. Adest Confessarius, quem face prælucente deducunt ad summum templum, ubi hic sepultus erat. Dum ad fores templi ventum est, unus eorum claves Patri exhibet, dicens, audacter aperiret, non esse quod timeret. Hinc deducunt ad summam Aram, & dant in manus clavem tabernaculi, in quo hierotheca, seu ciborium Corporis Christi asservabatur: jubent, ciborium secum deferat, illúmque cum facibus deducunt ad sepulchrum defuncti. Quò ùt pervenit, unus eorum dixit: Pater, hic conditus est Dominus--- qui multis adstantibus & testibus alteri ignoverat; quia tamen non ex animo, sed in corde fovit iracundiam, & sic ausus est Sacrosanctum Corpus Domini sumere, cessit illi in judicium, & in æternam damnationem; maledictum ejus cadaver adhuc in ore habet Sacram Hostiam, quam non valuit deglutire, sed illi fuit in laqueum. Quo dicto, pede terram pulsant, & ecce cadaver arcanâ vi assurgit, aperit sacrilegum os, & Hostiam exhibet, quam sacerdos in ciborium recondit. Tum rursus pede terram pulsant, ac subitò corpus concidit in abyssum inferni; nam tumulus postero die repertus est in ingentem fossam concidisse, & corpus usquam repertum est. His peractis Patrem deducunt ad Collegium, & illico disparent. O hic certè judicium sibi manducavit. O peccatores! *Christus vobis nihil proderit*; ad Gal. 5. v. 2. O sacrilegi! qui indignè de Pane Vitæ, & Sanguine Christi participatis, judicium, & mortem manducatis. Et

Et cùm hanc fortunam habeamus in noſtra manu cum auxiliis DEI, quæ nobis non deſunt; quis erit qui ſuâ propriâ voluntate eligat infernum dum poteſt conſequi cum lucro eminenti ſublimiſſimam gloriam? IX.

INSTRUCTIO X.

De Obligatione, quam habent Chriſtiani ſumendi Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ.

ANtiqui Sapientes crediderunt, non poſſe amicitiam eſſe ſecuriorem, unionem firmiorem illâ, quam inter ſe ſtrinxerunt liberalitas & penuria, abundantia & neceſſitas: eò quòd illa manum aperiat inopi, & extendat ad pauperem; eandem iſta arripiat: illa habeat, unde benefica ſit, ſuâque beneficia effundat, iſta ſuum agnoſcat debitum, quo ſe gratam exhibeat. Ità depingebant reciprocam conjunctionem, & indiſſolubilem unionem, quæ cùm nunquam deſit ex parte liberalis, quis unquam credat, quòd poſſet deeſſe ex parte indigentis? Ille cum liberaliſſimè largiri velit, quis ſibi perſuadeat, quòd deſit, qui accipiat. Solummodo cum DEO videmus hoc adimpletum, quòd DEO nobis danti ità omnimode repugnemus. DEUS, abundantia infinita, liberalitas immenſa, qui nihil aliud deſiderat quàm dare; & homo ipſa miſeria, ipſa neceſſitas, omnibus viribus recuſat accipere! Qualis hæc protervia: Omnibus egere, & ſolummodo ideo quia DEUS liberaliter omnia offert, nolle acceptare? Rem mirabilem & miræ admirationis! Intimat DEUS Adamo: ſi de fructu comederit, ſentiet ex eo ocyùs mortem: *In quocunque die comederis morte morieris*; Gen. 2. v. 17. Et quid agit? illico illum appetit, comedit, & moritur. Offert è contrario, & aſſecurat verbo ſuò Divino, illum, quicunque manducârit Panem Sacramentatum, vitam in eo habiturum; *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum*; Joan. 6. v. 59. Et quid videmus audientes talem promiſſionem? Repugnantiam, difficultatem, impedimenta, dilationes &c. omnia hæc nè manducetur ille Panis Divinus, omnia, nè acquiratur in eo vita! Quam ob I.

cau-

cauſam exiſtente in illo fructu morte, manducat illum tam celeriter Adamus; & in iſto Pane, qui totus vita eſt, comedendo tanta exiſtit difficultas? Si ergo neceſſitatis ultimum ac maximum telum, ſi neceſſitatis impulſus efficaciſſimus; ſi vita ipſa, argumentum invincibile nos non movet per ſe ad ſummenda in hoc Sacramento omnia bona & dona DEI, qui nobis dat omnes ſuos theſauros, qui nobis offert ipſam æternam vitam, de qua nos aſſecurat; quid debeo dicere de neceſſitate quam habent Catholici, ac obligatione ſumendi iſtud Excellentiſſimum & Diviniſſimum Sacramentum? Punctum hoc magni momenti pro noſtra Doctrina; at imponderabile onus animæ oblivio eſt, quæ nutrit tam perditos mores, tam radicata vitia, tam præpotentia ſcandala, tam depopulatas Domus DEI, & tam plenum Animabus infernum. Ecce grande malum! quod provenit ex rara & remiſſa frequentatione Sanctiſſimæ Communionis; ex oblivione, quâ innumeri, ſicut bruta vivunt, nec recordantur Panis, qui Electorum eſt, nec hujus Cibi, qui Angelorum eſt.

II. Bene ſcio, quòd permulti, reſiſtentes DEO, ùt beſtiæ vivant, ac non ſolùm obſtinentur in ſuis perditis moribus, ſed ipſam etiam pietatem traducant, ipſam etiam rationem cavillentur, atque contra ſancta illorum exempla, qui ùt Chriſtiani vivunt, irriſionibus, ac illuſionibus ſe arment. Dicunt ergo hi tales: Eccleſiam unica ſola vice ordinare in anno accedere Comunionem, & quandoquidem ità hoc diſponit Eccleſia, id ſufficere. O miſerè decepti! Nonne vidiſtis: quando infirmus jam debilitatus, omnibus viribus deſtitutus, perditóque omni appetitu, omnem medicinam, omnem cibum, renuit, quid faciat, qui magis erga ipſum affectionatus eſt, ac ſolicitè ſuper eum intendit. Poſtquam preces, ac perſuaſiones omnes incaſſum abiêre: quæſo, inquit ad illum, hunc bolum, ultra nihil, introſumas, unicum cochlearium ſorbeas, plura non exigam: quô fit, ut infirmus perſæpe expugnetur, ſuúmque tandem conſenſum præbeat. Nunquid ſic ſe res habet? Jam interrogo: Mater, quæ ità agit cum filio, ideóne ſic dicit, ac ſi non vellet, ut filius, plus quàm unicum bolum, aut cochlearium ſumat, an ideo ſic dicit: quia ſibi perſuaſum habet, hoc filio ſufficere? Nequaquam, ſed videns illa filii renitentiam ac nauſeam, hôc modô, & fraude utitur; contentatur bolô unicô, expertura, an filius induci non poſſit, ut pro recu-

recuperandis ſuis viribus, & alterum, & plures ſumat. Ratione certè amoris ſui ac affectus materni vellet, ut non unum tantùm, ſed plurimos boles filius manducet, quò ſanitati omnimodæ, & integræ reſtituatur.

Hoc ad amuſſim contingit cum noſtra multò meliore, ac amoroſiore Matre Eccleſia. Videt infirmum penitus ſubmerſum in ſuis vitiis, deſtitutum omni appetitu, ut ad nullum feratur cibum, qui illi vitam dare poſſet. Et quid facit? Advertens ſe nil ultrà poſſe conſequi; unicum ſaltèm bolum, dicit, ſaltem unica vice in anno: *Saltem ſemel in anno*, ſaltem in Paſchate; *ad minùs in Paſcha*; ità Concil. Lateran. ſub Innocent. III. cap. 12. *Omnis utriúſque de pœn. & remiſſ.* Concil. Tridentin. Seſſ. 14. cap. 5. de Confeſſ. & Can. 8. & Seſſ. 13. Can. 9. Sed Eccleſiæ deſiderium & ſolicitudo eſt, ut omni die ſumerent ſui Filii hunc excelſum Panem. Clariſſimè hoc demonſtravit per ſua Concilia. Repetitis vicibus illud Tridentinum: *Optaret Sacroſancta Synodus, ut ſingulis Miſſis Fideles Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent.* & Seſſ. 22. cap. 6. & Seſſ. 13. cap. 8. *Quòad uſum autem.* graviſſimis, tenerrimis, & ponderoſiſſimis verbis adhortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ DEI noſtri JESU Chriſti, omnes Fideles, quatenus tali modo ſe diſponant; *ut Panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Hoc ipſum Concilium Baſileæ celebratum, hoc ipſum omnes Doctores, & Sancti Patres Eccleſiæ perſuadent, non aliud clamant, nihil aliud cum majori efficacia, & fervore inculcant, quàm frequentem ſumptionem hujus Diviniſſimi Sacramenti: *Quod ſæpe accedere dignè, & devotè, ſit valdè proficuum, imò ſumme neceſſarium*, dicit Concilium Baſileenſe, *Omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent inceſſanter fidelem Populum.* Iſtæ ergo ſunt ſolicitudines Eccleſiæ, iſta ejus declarata deſideria. Conſiderate cæci, videte decepti, an vos excuſet dicentes, quòd unica ſola vice mandet; videte infirmi nauſeam patientes, an dicendo vobis ut ſaltem unum bolum comedatis, & hic comeſtus ſinè fame, ſinè diſpoſitione, vobis ſit ſuffecturus pro ſuſtinenda vita? III.

In primitiva Eccleſia, illis aureis temporibus, Fideles omnes ſingulis diebus ſumebant Sacram Communionem, prout nobis dat hoc intelligendum caput ſecundum Act. Apoſt. *Erant perſeverantes* IV.

in Doctrina Apostolorum, in Orationibus, & in Communione fractionis Panis, v. 42. An tunc fuerit hoc de Præcepto, controvertunt Theologi: magis mihi arridet sententia nostri Eximii Suarez, 3. p. disp. 70. Sect. 2. *Fidelium devotio, obligationem præcepti præveniebat.* Erat talis fervor, talis devotio Fidelium, ut absque necessitate Præcepti, illi prævenerint. Elapsis postmodum aliquot sæculis, & tepescente fervore, Sacram Communionem accedebant omnibus octo diebus, quantum creditur, ex mandato Pii I. & Concilii Nannatensis. Cum tempore frigefactâ magis charitate, & per consequens frequentatione hujus Sacramenti, Sanctus Fabianus Pontifex, ut constat ex capitulo; *Et si non frequentiùs*, de Consecr. Dist. 2. ordinavit, ut intra annum Sacram Communionem ter sumerent, *in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.* Et Concilium Agathense non recognoscit pro Catholicis, qui tribus relatis diebus non communicant; verba ejus sunt cap. 19. de Consecr. Dist. 2. *Seculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Sed jam ob raram frequentationem, ob raram sumptionem hujus Panis Divinissimi, magis & magis depravatis moribus, exulante in olivione usu hujus Sacramenti, videns ex una parte necessitatem sua, ex altera nostrum fastidium, sicut diximus de nauseantibus; statuit nostra Mater Ecclesia in Concilio Lateranensi, ùt suprà retuli, nobis persuadere saltem unum unum bolum, & nobis imponere, sicut & imposuit, Præceptum semel intra annum Sacram Communionem sumendi, registratum in capitulo; *Omnis utriúsque sexus*: 12. x. de Pœniten. & Remissionibus. Ità, ut cùm sit Præceptum Divinum ex ore Vitæ nostræ Christi JESU sumere Sanctissimum Sacramentum, Ecclesia nobis declaret tempus solummodo, benignè & misericorditer se nostræ miseriæ accommodans.

V. Et quis non videt, Dilectissimi, effigiatam hic statuam Nabuchodonosoris Dan. 2. Caput totum aureum in illis primis Fidelibus quotidie hanc Sacram Mensam accedentibus; in sequentibus, qui saltem omni octiduo id præstabant, pectus & brachia argentea; in iis postmodum, qui nonnisi tribus vicibus in anno Sacram Synaxim frequentabant, humeros æreos. Et quid nobis remanet? Crura & pedes ex ferro & luto. Quot sunt, qui sæpiùs frequentant Sacram

cram Communionem? Perpauci ſanè (ſed & hi ab impiis derideri, murmurationibus appeti, vulgíque digitis deſignari ſolent) ex quibus, ſi non omnes, certè multi nonniſi fictiles & lutoſi, in pietate nimirum & devotione ſua remiſſi, negligentes, ac tepidi exiſtunt. Quàm timeo, nè aliquando à diabolo, velut illa in pedibus Nabuchodonoſoris ſtatua, percutiantur, atque ex integro comminuantur.

VI. Præceptum ergo iſtud Communionis ſumendæ, obligat ſub peccato mortali à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam Reſurrectionis Domini (in Italia) omnes illos, qui pervenerunt ad uſum rationis. Et tamen etiam pro hoc adimplendo quales difficultates prætenduntur? quales dilationes fiunt? qualia mendacia excogitantur, & quod pejus eſt, quot, & qualia ſacrilegia contingunt? Quid ergo mirum eſt tam multos vivere ut beſtias? Inamoratus turpiter quidam Juvenis in mulierem maritatam, dum illam repetitis fraudibus inducere in ſua turpia deſideria non valuit, tandem irritatus amorem ſuum in odium convertit, & conſulens quendam veneficum, ope diaboli effecit, ut paupercula illa mulier omnium oculis in equam mutata videretur. Quid Maritus cogitaverit; & cujus animi fuerit ad talem metaphorſim? Alloquebatur illam, & non reſpondit: ablandiebatur illi, & illa manibus, pedibúsque obſtrepuit. Tandem incantatam Uxorem coram S. Macario ſiſtere ſtatuit. Atque ità eandem, velut brutum quoddam animal, fune ad Sanctum Virum traxit, qui facta oratione aquâ benedictâ aſperſam priſtinæ hominis formæ reſtituit, dixitque: hanc illi afflictionem accidiſſe, quòd intra quinque propemodum ſeptimanas Sacram Communionem non perceperit: *Hæc tibi acciderunt, quòd jam quinque hebdomadis non acceſſiſti ad intemeratam noſtri Salvatoris Sacramenta.* Pallad. l. 8. c. 9. O DEUS! ſi ergo ob ſolas quinque ſeptimanas, quibus defuit huic defenſio inexpugnabilis Sanctiſſimi Sacramenti, poterat diabolus illam transformare externè in ſimilitudinem equæ; quàm multi per annos integros non ſumentes Sacram Communionem, erunt internè ex toto ſicut beſtiæ?

VII. Obligat igitur Præceptum illos, qui pervenerunt ad uſum rationis. Et hic Parentes, qualis eſt obligatio veſtra circa veſtros filios? Bene ſcio, hic regulam certam non eſſe, nec dari poſſe: Dum aliqui ſeptimô annô, alii tardiùs, alii verò citiùs ad uſum rationis

perveniunt; ſed Parentes, qui facilè prolium ſuarum capacitatem advertere poſſunt, quàm intolerabilem negligentiam admittunt, dum illos taliter ſinè hoc Pane relinquunt, qui eſt lac puriſſimum, quod nutrit animas! *Rationabile, lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*, 1. Petr. c. 2. v. 2. Iſtos parvulos vocat Sapientia ad Menſam ſuam: *Si quis parvulus eſt, veniat ad me.* Prov. 9. v. 4. Ætas hæc innocens eſt, in qua vult DEUS facere fructus vitæ; in qua vult plantare lilia puritatis; teneræ iſtæ creaturæ pro hoc Pane Angelorum electæ ſunt: *Frumentum electorum*; & ſicut legunt omnes verſiones: *Juvenum, adoleſcentum, puerorum, & virorum germinans virgines*; Zach. 9. v. 17. Non dico, quòd adhuc omnino rationis expertes ad Sacram Communionem admittendi ſint; ſed ſi obſervetur in illis calliditas, ſagacitas, dicta, & facta talia, vi quorum ſufficienter diſtinguere, ac per ſidem diſcernere hunc Panem Divinum ab alio ordinario poſſint, ô Parentes! ecquid retardatis eos à Menſa hac Angelica? O in quot domibus verificantur querelæ Jeremiæ! *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thr. cap. 4. v. 4. Parvuli quærunt panem vel Doctrinæ Chriſtianæ, vel Sanctiſſimæ Communionis, & non eſt, qui illis talem porrigat. Uvæ feruntur virulentæ fieri, ſi vitis radici venenum immittatur; è contrario verò arbor Perſica in ſuo fructu nucleos rubicundos producit, ſi minium ejus radici inſeratur; Filii quoque veſtri, ſi dum adhuc tenelli ſunt, maturè eorum cordibus Corpus & Sanguinem Filii DEI implantetis; quando malarum ſocietatum veneno exponentur, quales non ſpargent virtutes, quos nos proferent fructus maturos? *Iſte eſt*, dicebat loquens de parvulis Sanctus Franciſcus Saleſius lib. 2. Ep. 50. *iſte eſt error grandis, juxta meam opinionem, differre tanto tempore hoc Bonum his temporibus, in quibus infantes plùs diſcurſûs habent & intellectûs decimô annô, quàm nos decimô quintô habuerimus.*

VIII. Et quod ſi, prout refert Sanctus Gregorius, infans ſolummodo quinque annorum, damnatus fuit; videte an non poſſit exactè deſumi ex annis malitia? Scio ego narrare diſcipulum, quòd quidam parvulus novem annorum, cui denegârunt Communionem, dum vicinus morti eſſet expetierit illam inſtantiſſimè, & porrigentibus illi particulam non conſecratam, immediatè reſponderit; Quare me deci-

decipitis? hoc non est Sanctissimum Sacramentum: Ità ipsum illuminante DEO, ad monstrandum quantum gauderet intrare in Animam pueri; & percepit postmodum valde jubilans Eucharistiam. Scio, quid illi admirabili Virgunculæ Imeldæ contigerit, de qua noster Pater Paulus Barry in Solitud. Hagioph. die decimo, Differt. Matut. de Commun. refert sequentia: Monumenta Ordinis Divi Dominici produnt Beatam Imeldam Bonnonienſem nonnisi annorum circiter undecim, sed jam Sacro Habitu indutam, hoc modo, atque hac occasione obiisse. A reliquis Sororibus optimè instructa de bono Communionis, tantô ejus fruendæ votô, affectúque rapiebatur, ut moram omnem, dilationémque tolli enixissimè postularet. Verùm, quæ illi præerant, non rebantur id tantillæ ætati concedendum. Itaque cum aliquando cæteræ Sacram Mensam accederent, hæsit illa in Chori angulo lacrymis indulgens, deploránsque, quòd capax tanti beneficii non foret. Lacrymæ tantopere Divinæ bonitati placuerunt, ut miraculô obtinuerint illud, quod Superiorum gratiâ non potuerant adipisci; dum enim sic affligitur, Sacra Hostia, videntibus omnibus è Tabernaculo egrediens in aëre suspensa, supra caput parvulæ Imeldæ consistit. Quô prodigiô attonitæ Sorores monent Sacerdotem illico, qui accessit, & Hostiam priùs patenæ imposuit, deinde Divinô instinctu monitus, tandem Imeldæ porrexit. Hæc ùt erat flexis genibus, dum tam singulare, tantisque votis & ardoribus exoptatum beneficium capere animo non potest, subitò exspiravit, non sinè maxima Religiosarum, aliorúmque ad quos brevi fama dimanavit, admiratione. Quale meliùs lac potest esse, Parentes! pro vestris filiis, quàm ex pectore DEI lac ipsiusmet Divinitatis?

IX. Obligat pro ultimò Præceptum Communionis, in sententia communi, & juxta meliorem Theologiam, quando sumus in periculo mortis; in illo puncto, *Quando tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet*, apud Suarez in 3. p. dis. 69. Quando angustiæ horribiliores quàm unquam aliàs, Animam, quando anxietates gravissimæ ac capitalis hostis cor ac integrum hominem obsident, quando vita maximè cruciat, quando mors maximè perterrefacit, & quando nemo nisi solus DEUS nobis succurrere potest. Ut quid hic opus est Præcepto? Ah non puniat nos DEUS pro nostris peccatis, ne-

gando nobis in illo puncto Sacram Communionem, nolendo nos admittere pro tunc ad suos amplexus. Et cùm timor iste sit justissimus, ad hoc dirigendæ sunt nostræ preces, & nostræ orationes, nostræ continuæ supplicationes, ut nobis in illo puncto concedere dignetur hoc Sacramentum suscipere, pro augmento virium nostrarum Animarum, in defensionem nostri certaminis, pro viatico nostræ peregrinationis, in pignus nostræ gloriæ. Ità illum orabat, ità ad illum indesinenter clamabat Beata Maria à Sancto Benedicto, Monialis Dominicana, quæ nunquam Sacram Communionem sumpsit, in qua non petiisset à Domino mori eô ipsô momentô, quô hoc Sanctissimum sumpserat, quod & felicissimè obtinuit. Sint ergo istæ nostræ ferventissimæ preces, faciamus in hunc finem nostra bona opera, ad consequendas hac mediante fortunata sorte, omnes nostras beatas fortunas.

X. Refert Cæsarius lib. 9. mirac. c. 49. Militem quendam perversæ vitæ, accusatum fuisse de aliquot latrociniis coram Imperatore Friderico, atque hunc mandâsse, quatenùs ob illa comprehensus suspenderetur. Ità hoc mandatum fuit executioni datum, relictô eô in campo ex arbore pendente. Tres dies erant elapsi, quando illac transiens quidam Nobilis subsistit, pendentem considerans, & audivit se ab illo vocari. Retrahebat se pavidus, & ille magis extollens vocem: nè timeas, dixit illi, sum enim Christianus, & defactô vivus. Accessit Viator, & allocutus est illum suspensus, dicens: Inter multa scelera meæ vitæ habui certam devotionem, quòd omni die recitaverim tria *Pater noster*, & tria *Ave Maria* ad Sanctissimam Trinitatem; quinque ad Vulnera Domini nostri JESU Christi, & unicum *Pater noster*, & unicum *Ave Maria* in honorem Sanctissimi Sacramenti, quod consecrabatur in toto mundo, precando DEUM, nè in fine vitæ meæ privaret me hujus perceptione; & hunc favorem Divina Majestas mihi demonstrare vult: solve me & demitte deorsum. Solvit & demisit eum Viator, contulit ille se ad locum viciniorem, advocavit Parochum, hic attulit Sanctissimum Sacramentum, & depositâ priùs Confessione hoc percepit, immediatéque exspiravit. Divulgatum per totam viciniam maximô cum jubilo hoc prodigium postmodum fuit.

Ah cedat nobis omnibus in ſtimulum non ſolùm pro-frequentia hujus Panis Diviniſſimi, in quo noſtra ſita eſt vita; ſed ut ſemper clamemus ad DEUM, quatenus illum obtineamus etiam pro noſtro Viatico, quod dignè ſumptum & perceptum nos perducat ad gloriam. XI.

INSTRUCTIO XI.

De Frequentia Sanctiſſimi Sacramenti.

DEO, qui ipſam pro eſſentia ſua gloriam habet, DEO, qui ipſemet Deliciarum centrum eſt, DEO, qui ipſe infinitam in ſe Beatitudinem complectitur, addere gloriam, augere delicias, accumulare beatitudinem quô modô creatura poſſit? Hoc ſi poſſibile foret, nullum homo in vita munus nobilius, nullum anima officium præſtantius, nullas denique partes digniores, feliciorésve, ſibique utiliores creatùra obire poſſet. Sed ut demonſtremus, non ſolùm poſſibile, ſed & facile hoc eſſe, audiamus prius Plutarchum. Canus, præſtantiſſimus Muſicus, ac in tibia inflanda incomparabilis Excellentiæ, de ſua ſe arte ſuſtentabat: frequentavit Principum aulas, ibique in conviviis, & commeſationibus ſuô inſtrumentô cecinit. Dementati quaſi à modulo ejus Convivæ multùm pecuniæ homini largiti ſunt. Verùm Ex muſica, & arte ſua multò majorem ipſe Canus, quàm Auditores voluptatem, ac animi lætitiam ſenſit, adeò ut intra ſe frequenter dicere ſit ſolitus: quòdſi mentem illi ſuam perſpectam haberent, ſciréntque, quàm incredibili ex proprio ſuo modulamine & cor & anima ſua dulcedine perfundatur, quamque vehementer ad dulciſonum tibiæ ſuæ melos exultet, citra dubium, datæ mercedis locò, ſeipſum ad ſolutionem adigerent, eámque in præmium ſibi oblectationem darent, quam ipſe cum majori animi jubilo ac gaudio ex Muſica ſua haurire conſueverat. Atque hoc certè ad oculum nobis exhibet, quàm multò magis gaudeat DEUS ſua nobis beneficia largiendô, quàm nos ipſi eadem acceptandô: ità quidem, ut ſi infinitam illius gloriam, immenſam illius beatitudinem augere poſſemus, id ſolùm fieret, dando ac præbendo ipſi occaſionem, exercendi in nos liberaliſſimam ſuam benefi- I.

neficentiam, quam nobiſcum aureo quodam fœdere gratia connectit, quemadmodum amoroſo de ſe nexu natura ſuos illaqueat. Quòdſi quandoque Matrem vidiſtis cum filiolo à mamillis pendente; præbere, ac porrigere illam materna ubera, hunc induſtriè eadem ſugere: quis ex hiſce alteri beneficium confert? an Mater filiolo; an verò hic Matri? Hæc dat illi in lacte ſuſtentationem, & vitam; ſed ſi ille lac non ſugeret, hoc retentum in pectore tot Matri dolores cauſaret, quot guttæ eſſent, cùm exonerare ubera ſicut pro filiolo eſt nutrimentum, ità pro Matre ſit levamen, ſicut parvulo delicias, ità Matri ſolatium cauſat maximum. O vinculum Amoris quàm multò melius in gratia perfectum? *Significatur gratia lacte*, dixit admirabiliter Sanctus Eucherius, *hoc eſt in carne gratuitum, ubi Mater non quærit accipere, ſed ſatagit dare. Hoc Mater gratis dat, & contriſtatur, ſi deſit, qui accipiat.* Ità ad amuſſim contemplor ego Vitam noſtram Chriſtum JESUM in illo Divino Sacramento, in quo poſitis ad ubera DEI: *Ad ubera portabimini:* Iſai. c. 66. v. 12. dat nobis illud lac puriſſimum; *Rationabile lac*, 1. Petr. 2. v. 2. quod, credebam ego prius, ideo ſolummodo vocari lac, eò quod nobis det primum, puriſſimum, & optimum alimentum vitæ; ſed rem jam aliter eſſe deprehendo: quia, quando lac dat Mater filiolo; *non quærit accipere, ſed ſatagit dare*; dat illud adeò benevolè, ut nullam quærat recompenſationem, ſolùm ut illud continuò ſumat infantulus, hoc reputat ſuam optimam ſolutionem, habétque pro maximo guſtu, dum filiolus ſæpiùs ſe ad mamillas applicat, ac contriſtatur, quando ubera non ſugit: *& contriſtatur, ſi deſit, qui accipiat.* Iſta ergo ſunt deſideria ardentiſſima JESU Chriſti, quando in Sanctiſſimo Sacramento nobis dat Lac Divinum pro viribus roborandis & adaugendis: *Significatur gratia lacte*; idcirco ſicut infantulus, quando percipit vitam, adauget Matri gaudium & lætitiam; ità nos Divinæ Majeſtati ſolummodo per frequentem hujus Sacramenti perceptionem gloriam adaugemus, atque ſic rurſus ſolutionem præſtamus pro innumeris, quæ in nos confert beneficiis: *Non quærit accipere, ſed ſatagit dare.*

II. Hæc frequens ergo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptio, in qua tota vita noſtra, in qua tota noſtra fortitudo, in qua totum augmentum noſtrum conſiſtit; frequens iſta Communio, cui tota acclamat Eccle-

Ecclesia, quam omnia inculcant Concilia, omnes Sancti Patres suadent: ista frequentia, quæ tot virtutes plantavit in animabus, quæ tantos profectus adauxit in virtutibus, quæ tot dedit, & etiamnum dat animas DEO, est punctum hodiernæ meæ Doctrinæ, applausus Cæli, tripudium Angelorum, ter-fausta emendatio Christianæ Reipublicæ, & totum desiderium Filii DEI, quod demonstravit per admirabiles effectus, voce sua propria explicavit, confirmavit tantis prodigiis, porrigendo modò manu propriâ Communionem non paucis Animabus, quibus illam negabant proprii Parochi, modò per ministerium Angelorum, ut Catharinæ Senensi, Lidvinæ, Coletæ, & aliis innumerabilibus Animabus. Et cum omnes id videamus, nec possit negare nostra Fides, in frequentatione hujus Sacramenti consistere vitam nostram, ut quid gratis impendam tempus in adducendis rationibus & argumentis? Dicant, qui hoc Sacramentum frequentant, suos profectus, confiteantur, qui immemores illius sunt, propria damna; & si veritatem loqui velint, cessabunt facilè fatuæ cavillationes improborum, ac victoriosa triumphabit Fides.

III. Locutus jam fui de eo, quod Præcepti est, nunc loquar de illo, quod consilii est; dixi de obligatione, dico nunc de eo, quod convenientiæ & nostram ad utilitatem, ac spiritualem profectum est. Jam quænam personæ debent frequentare, & sæpius sumere Sanctissimam Communionem? Quales sunt? Quàm bona interrogatio, à qua dependet error intolerabilis, damnum animarum inexplicabile. Eò demum humana malitia devenit, ut arbitrari non solùm, sed & palam effutire soleat: Sanctum propemodum esse debere, qui sæpius S. Angelorum mensam accedere velit; ac proinde, quòd frequentior Sacramentorum usus nonnisi iis conveniat, qui peculiari vitæ Sanctimoniâ sunt; Hominem verò in curis temporalibus constitutum, momentosa negotia tractantem, famulos, filios, aliósque id genus homines frequenter Sacram Synaxim sumere nequaquam posse. Quin dicere non veretur: nisi quis singulariori ad Christianam perfectionem studiò incumbat, omni die communicare omnino non posse; quódque planè inconveniens sit, illum sæpius Ecclesiam adire, qui postmodum impatientiæ, iræ &c. expositus esse, aut aliunde domi verbis mordacibus pungi, murmure appeti &c. solet; imò percipere DEUM Sacramentatum ad solos

(prout virtuosos subsannant) insipidos pertinere. Atque hanc crassissimam ignorantiam diabolus in multas jamjam animas introduxit; turpissimus hic error adeò inveteravit, ut in obviis quibusque conventiculis, ac conversationibus velut fidei dogma pro indubitato proferri consueverit. Sed dicteria hæc sunt ineptiorum, atque eorum, qui rudioris genii sunt: ac si sumptionem Eucharistiæ non reliquisset Christus JESUS pro Christianis. O sibilos venenatissimos infernalis serpentis! ò latratus rabiosorum canum, in quibus dum zelum demonstrant, ardet spuma invidiæ. Auditæ linguæ pestiferæ quinam teneantur & debeant frequentare hoc Sanctissimum Sacramentum.

IV. Et nolo vobis pro nunc citare Augustinos, & Ambrosios, Chrysostomos, & Hilarios, aliosve similes, Columnas Ecclesiæ, qui omnes nobis frequentiorem Eucharistiæ sumptionem unanimiter suadent, & inculcant. Omitto hos omnes, & audite solum Prælatum, Oraculum proximè elapsi sæculi ob suam insignem sapientiam, Prodigium Orbis ratione suæ Doctrinæ, dignum veneratione Ecclesiæ propter suam Sanctitatem, quem, eò quòd scribat idiomate vulgari, hac de causa vobis adduco, Sanctum Franciscum Salesium in Introd. ad Vit. Divin. p. 2. c. 21. Nomine hujus Magni Patris respondeo omnibus vestris Sophismatibus in gratiam Animarum, quas adeò irridetis, & carpitis: *Si mundani ex te quærant*, dicit, *cur tam frequenter communices? Responde illis, ut discas amare DEUM, ad purificandum te à tuis imperfectionibus, ut te liberes à tuis miseriis, ad consolandum te in tuis afflictionibus, ad fortificandum te in tuis imbecillitatibus. Dicillis* (hic mihi expeto vestram attentionem) *dic illis, quòd duo genera hominum debeant sæpiùs communicare; Perfecti, quia existentes bene dispositi, malè facerent, si non accederent ad scaturiginem, & fontem perfectionum; & Imperfecti, ut possint convenienter discere perfectionem. Fortes nè lassescant; & lassi, ut fiant fortes: infirmi, ut sanitatem recipiant, & sani, nè infirmentur.* Ista sunt verba hujus Oraculi. Quid opponitis? Si de imperfectionibus, & culpis inuffatis; qui descendit in obscuro per aliquos gradus, nónne quærit lumen, nè cadat? Qui in lectulum decidit infirmus, nónne advocat Medicum ut curetur? Qui suam maculavit vestem, nónne illam mittit ad aquam ut lavetur? Ille qui sitim patitur,

tur, nónne accurrit ad puteum ut illam ſedet? Si ergo hoc Sacramentum eſt lumen, eſt medicina, eſt aqua, quæ mundat, quæ ſatiat, & delectat; in quem finem excuſatis vos cum mendaciis, & quod pejus eſt, illa ſolidatis rationibus, ac dicitis, quòd eſſe ſanctus debeat, qui ad Sacram Communionem accedit? imò dico ego, quòd ſi aliquis in veritate foret Sanctus, jam non haberet tantùm opus, quantùm indigent peccatores, & infirmi: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* Matth. 9. v. 12. Non advocatis Medicos quando eſtis ſani, nec illi pedem inferunt in veſtram domum; ſed dum malè valetis, omni die, ac ſæpiſſime accedit Medicus. Jam, inquit aliquis: adverto hoc; ſed eſt tanta mea fragilitas, ut omni die cadam; & quod ſi non perduro, nec perſevero in meis propoſitis, ut quid mihi accedendum eſt ad Sacram Communionem? Propter hoc ipſum; ut poſſis durare, ut poſſis perſeverare: Cum enim reiterentur lapſus; reiteretur pro ſanitate Medicina: *Debeo illum Panem Cæleſtem ſemper accipere*, dicit Sanctus Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 6. *ut ſemper mihi peccata dimittantur, qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Olim Seneca, dans conſilium ſuo Lucillo, quales debeant eſſe invitati & hoſpites menſæ, quamvis nonniſi politicè ad illum epiſt. 47. ſic ſcripſit: *Quidam canent tecum, quia digni ſunt, quidam ut ſint.* Invita quosdam, quia merentur; alios, ut videntes tuam humanitatem mereantur; aliquos quia digni ſunt, alios ut digni fiant.

Sed inquis: Hic rei cardo vertitur: quisnam dignus ſit ſumere V. DEUM in Sacramento? O quæ humilitas, niſi videretur ejus calliditas. Reſpondeo breviter: quodſi quæſtio ſit de dignitate, quam Filius DEI per ſe meretur, nullus dignus eſt, nec Supremi Seraphini. Quod ſi autem ſermo ſit de dignitate illa, quam homo poſſet conſequi per majorem & majorem charitatem, ac perfectionem; obtinere illam, magna eſſet gratia; ſed ad hanc obligati non ſumus, nec nobis præcepta eſt. Quod ſi denique ſermo ſit de dignitate illa, quæ in hoc conſiſtit: quòd quis conſervet Animam puram à peccato mortali, vel ab affectu ad illud, hæc obtinetur per Confeſſionem veram, & doloroſam. Ità hoc definit, quin aliquis hoc poſſit vel etiam audeat vocare in dubium, Sanctum Concilium Tridentinum, Seſſ. 13. cap. 7. Jam ergo, ubi eſt aliqua impoſſibilitas, ubi impe-

dimentum habes ex hoc capite, quia forte concupiſcentia carnis tibi dominatur, aut quia rem alienam reſtituere non vis, quæro: diſferre Communionem quolibet anno, adfertne hoc remedium? Et ſic permanere per integrum annum in peccato mortali, éſtne hoc ſe bene diſponere pro Communione in Quadrageſima? Et ſi tunc non relinquitur turpitudo carnalis, ubi manet dignitas, quâ quis communicet? Et ecce hic diſcoopertos hujus mentitæ humilitatis ungues, & ungues diaboli. Et quod ſi etiam ad annum integrum, deficiente diſpoſitione, Communio omittitur, ubi eſt vita animæ? *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. cap. 6. v. 53. Verbane ſunt, an fulmina ipſiusmet JESU Chriſti?

VI. Ità optimè eſt. Sed, inquit alius: tanta ſunt agenda, tantæ occupationes & negotia, ut nullum ſuperſit otium. Singulis diebus accedere ad Sacram Communionem eſt pro hominibus otioſis. Audite rurſus Sanctum Franciſcum Saleſium: *Dic illis: quòd illi, qui non habent multa negotia mundana, debeant frequenter communicare, quia habent commoditatem; & illi qui tractant negotia terrena, quia habent neceſſitatem; & quòd illi qui multùm afficiuntur laboribus, & onerati ſunt afflictionibus, debeant comedere cibos ſolidos, & frequenter.* Quàm acutè! Adſunt negotia, adſunt labores? Ecce, nullum melius, & opportunius quærendum lumen eſt ad hæc inchoanda; nullibi magis quærendus DEUS ad perducenda illa ad bonum finem; quàm in Euchariſtia. Premunt curæ, & afflictiones? Nulla eſt melior occaſio quærendi, & procurandi illis conſolationem, & levamen? *Venite ad me*, dicit Chriſtus JESUS, *omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos*; Matth. cap. 11. v. 28. Et Ego vobis dabo alimentum, quod pro omnibus valeat, quod vos exoneret, quod vos conſoletur, quod vobis bonos & felices det exitus, quod vos aſſecuret de lucris. Ità, ut curæ & negotia in his, labor, & defatigationes in aliis, non ſint excuſationes, imò major obligatio; quandoquidem de octo diebus unicum tempus Matutinum non aufert tempus, verùm æternitatem tutam reddit. Sed qui vivit in Mundo tam depravato, tam perdito, inter tot, & tantas occaſiones, quomodo poteſt ſe recolligere? *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Pſal. 136. v. 4. Quomodo poſ-

ſumus

ſumus cantare, dicebant Iſraëlitæ, Cantica Syonis in Babylonia? Attamen advertite, illos hoc dixiſſe, non quia erant *in* Babylonia, ſed quia in Babylonia ſervi erant, & captivi: in Babylonia erat pariter Daniel quando omni die tribus vicibus genua curvabat versùs Templum, quod erat Hieroſolymis: in Babylonia erant illi tres Pueri, qui cantaverunt Domino Canticum laudum; *Benedicite omnia opera Domini*; Dan. 3.

Rem paucis ſtringam. Tenentur frequentare Sacram Communionem omnes Chriſtiani, omnes, abſque ullius exceptione: Peccatores, ut deſinant eſſe tales, Juſti, ut magis juſtificentur, occupati pro levamine, otioſi pro ſuo dulciore ſolatio & deliciis; Conjugati pro melioratione ſui, & ſuæ familiæ, ſoluti pro ſua directione meliori ad futurum ſtatum, & omnes denique pro bono ſuo. Et hoc convincit Fides, monſtrat ratio, confirmant quotidiani profectus. Et quandoquidem illi ſunt jamjam perditi, qui hoc Sacramentum non frequentant, quia dura illos indurat voluntas; ſaltem convictô intellectu, obmuteſcant illorum linguæ maledictæ, ceſſent tantæ blaſphemiæ contra DEUM, & eant ad infernum ſoli abſque eo ut fiant Agentes, & procuratores diaboli contra Animas, quæ DEUM quærunt. Certa quædam Monialis ex bono zelo murmurabat contra alias Moniales, quæ ſæpius Communionem Sacram ſumebant, & oranti pro illa Sanctæ Gertrudi dixit Dominus: cùm ſint, Filia! meæ delitiæ eſſe cum Filiis hominum; ſi quempiam, non exiſtentem in peccato mortali, vel verbis, vel perſuaſionibus quis abſtrahit à mei ſuſceptione, iſte mihi impedit, & aufert meas delitias, & meam conſolationem. Et quomodo hoc ſua ulciſcitur Majeſtas? Frequentes Sanctæ Ludgardis Communiones Abbatiſſæ malæ videbantur; prohibuit hæc ab illis Sanctam Virginem, & Sancta reſpondit: Ego; Mater! faciam quod mihi mandâſti, ſed ſpero me viſuram, quòd meus Sponſus Chriſtus JESUS de hoc ſit ultionem ſumpturus in tuo corpore. Ità factum eſt. Ceſſavit Sacram ſumere Communionem Ludgardis, & cæpit Abbatiſſam illô ipsô momentô tam acutus, tam gravis dolor affligere, ut alligantibus eam anguſtiis lectulo, eam non ſiverit exire de cellula. Ità ſolvit cruciata & tormentis afflicta ſuam malam opinionem, uſquedum agnoſcens ſuum errorem, Ludgardi conceſſiſſet acceſſum, ùt antea, ad Sacram

VII.

Communionem. O! ùt credo, ſi non tali modo, ſaltem in infortuniis, in amiſſionibus, in ruinis, ſolvunt multi impii mariti ſuas impeditiones, qui dum vi obligationis deberent fovere pietatem, impediunt ſuas uxores à Communione, quarum multæ, ùt ſolet facere Pavo fœmina, faciunt, quæ dum ova ponit, eadem abſcondit, nè Pavo maſculus, animal ſtolidiſſimum, pro more ſuo ea confringat. Ex deriſoribus illis, qui Sanctæ Catharinæ Senenſi frequentes Communiones cavillari ſolebant, mulier una, ubi plusquàm ſatis Sanctam illam virginem traduxerat, in Domum ſuam reverſa ſimul, & ad mortem uſque derepente infirmata, ſinè perceptione Sacramentorum obiit; alius ſubitò phreneſi correptus eſt.

VIII. Jam alloquor vos, Animæ Chriſtianæ, Animæ nobiles! eſtote alacres, & impigræ ad percipiendum frequenter hunc Panem Diviniſſimum. Et ſiquidem vos retineat inanis timor, quòd vos indignas æſtimetis? Spernite illam; nonniſi tentatio eſt. Similem timorem patiebatur Sancta quædam Monialis, quæ dum ſe ob hunc timorem aliquandiu à Communione retraxerat, orante pro illa Dominum Sancta Mechtilde, confortata eſt. Nam Mechtildis audivit dicentem illi Moniali Divinam Majeſtatem: *Quid me fugis, ô Amantiſſima mea? eja confortare, accede cum confidentia ad Omnipotentiam Patris, ut te confirmet; ad Sapientiam Filii, ut te illuminet; ad Bonitatem Spiritûs Sancti, ut tibi cor tranquillet.* Ità Hautin. num. 607. Si retardet vos quandoque, quòd vobis tepidæ, aridæ, & minùs tenerè erga Auguſtiſſimum hoc Sacramentum affectæ videamini? Audite Sanctum Bonaventuram lib. de Proceſſ. Relig. Proceſſ. 7. c. 21. *Licèt tepidè, accede fiducialiter, confidens de miſericordia DEI, quia quò magìs æger, magìs indiges medico.* Si retineat vos pugna tentationum? malarum cogitationum agmina? Etiam hæc patiebatur tempore Communionis Beata Catharina Bonnonienſis; ſed perſiſtente affectu firmo in DEO, aſſecurata fuit ab ipſo Domino; nihil horum impediviſſe, quin aſſecuta gratiam in hoc Sanctiſſimo Sacramento fuerit. Denique ſi retineant vos ineptæ impiorum irriſiones ac ſcommata: hoc ſolùm ex vobis quæro; quis recuſaret ad fundum alicujus putei deſcendere pro extrahendis inde adamantibus & unionibus ob timorem eò quòd aqua frigida ſit? Spernite has Frigiditates

tates congelatorum cordium, & lucremini hanc gemmam, in qua consistit valor vitæ, valor vitæ æternæ.

IX. Nolo hìc determinare pro omnibus, quanta debeat esse ista frequentia, an omni octiduo vel triduo, an quovis decimo quinto die ad mensam Domini quis conferre se debeat. Hoc Patres Confessarii, secundùm statum Personarum, & circumstantias determinent. Concludo solummodo cum citato Sancto Patre Francisco Salesio: *Sæpius communica; Philothea, & toties quoties possis, cum consilio tui Patris spiritualis, & crede mihi, quòd sicut lepores efficiuntur albi in medio nostrarum alpium in hyeme, quia nihil aliud vident, nec comedunt, præter nives; ità ex vi adorationis, & comestionis pulchritudinis, bonitatis, & puritatis ipsissimæ in hoc Divinissimo Sacramento, experieris, & invenies te totam pulchram, totam bonam, & totam puram.* Duo studiosi devoti tractantes quodam die de morte, stipulati sunt invicem, quòd, si illis à DEO concessum fuerit, qui ex ipsis prior morietur, teneatur rationem dare alteri statûs sui, in quo post mortem exstiterit. Unus intrà breve tempus mortuus est, & die decimô septimô apparuit alteri magno circumdatus splendore, & pulchritudine; alteri de statu ejus scisciranti, respondit: Per Misericordiam DEI sum in statu salutis, & fruor bonis æternis Cæli. Dic mihi Amice, reposuit alter; in quo maximè DEO placuisti vivens in terra, & per quid consecutus es plus gloriæ? Ille denuo: quia frequenter, & summa semper, qua potui devotione, ac conscientiæ puritate ad S. Communionem accessi. His dictis dispariuit relictô amicô suô in non minori cordis jubilô, quàm paris imitationis stimulo simul, & studiô.

X. O utinam hoc assequeremur omnes, accumulando ad invicem per frequentiam hujus Divinissimi Sacramenti thesauros gratiæ, ut possemus pervenire ad fruitionem æternæ gloriæ.

INSTRUCTIO XII.

De Communione Spirituali; de ejusdem fructibus, & facilitate.

I. Est aliquid, quod omni quidem votô majus est, atque omne desiderium superat, & excedit, omnium tamen in vita acquisitu facillimum est: Est aliquid, quod quidem valoris in-

æstima-

æſtimabilis eſt, leviſſimo tamen brachiô, citra laborem, citra negotium, citra incommodum aut curam obtineri poteſt. Paucis: Eſt aliquid, quod unica ſolum volitione acquiritur. Et quid illud? ſi omnem in id animum intendas, peragres terram, quà latè patet univerſam, atque abditos intra illam angulos, & extremos quosque fines penetres, nuſpiam tamen in toto orbe reperies. Verbô dicam: ſolus DEUS tali modo, unicô nimirum velle obtinetur, ac præter DEUM in mundo aliud nihil. Res viliſſimæ nonniſi labore comparantur; abjectiſſima quæque curarum, & difficultatum plena ſunt. Correptam quondam adverſa valetudine Sanctam Mechtildem, præipſis etiam morbi doloribus unicè, ac vehementiſſimè affligebat, quòd alias Moniales ad Sacram Communionem accedere, ſe verò ad hanc percipiendam inhabilem viderit. Ideo levavit gemitus ſui cordis ad Dominum, & immediatè, videns ſuam Majeſtatem in pulcherrimo throno ſedentem, advertit quòd aſſurgeret, dicendo: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam.* Pſal. 11. v. 6. & accedens ad illam dixit: *quando ità propter me gemis, me attrahis ad te; Ecce quantumcunque res aliqua ſit vilis, & abjecta, ut eſt feſtuca, homo cum ſola voluntate, aut gemitu unico habere non poteſt; ſed me quilibet unicô ſolô deſideriô, unicô ſolô gemitu conſequi poteſt, & me habere pro ſuo.* O verba bona, verba conſolatoria! Nihil eſt in Mundo, quod minoris conſtet, quàm conſecutio DEI. Qui ſitim patitur, ad poculum aquæ ſe recipere debet; vel conſtat illi aliquot certè paſſibus ut hoc obtineat, vel ſaltem movere manus, & labia debet, ut aquam bibat. Vel culmum qui in terram cecidit, non ſufficit ſolùm velle; ad illum levandum, corpus inclinandum, manus extendenda eſt; at vero pro obtinendo DEO, pro acquirendis Animæ omnibus infinitis DEI bonis, nec quidem movere pedem, nec extendere digitum, nec labium aperire opus eſt, unicum ſolum velle efficax, unica voluntas ardens, & deſiderium fervens ſufficit, ultrà nihil requiritur. Quod ſi ſola deſideria ſufficerent pro acquirendo auro & argento; quot eſſent homines ditiſſimi? Si ſolum velle pro conſequendis officiis, & dignitatibus ſufficeret; quot homines eſſent potentiſſimi? ſi ſola voluntas adipiſceretur bona terræ, quot eſſent homines per omnia felicisſimi? Et ſi tantis laboribus, curis, negotiis, & moleſtiis hæc

& ſimi-

& similia consistent, quæ quantumvis ut plurimùm appetuntur, tamen aut non obtinentur, aut, quamquàm obtineantur, denuo illico amittuntur, transeunt, & evanescunt; quid nos retardat illud velle, quocum per unicum solum velle omnia pariter bona nobis simul obveniunt?

II. Hoc igitur, quod in communione Spirituali universaliter certum, facilimum, fructuosissimum, & utilissimum est, explanabo hodie. Duo sunt in communione spirituali, ob quæ sanè in negligentia, ac tepiditate nostra inexcusabiles sumus, ejus nimirum facilitas, & qui exinde capitur fructus, & emolumentum inexplicabile. Distinguit igitur Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 8. tres modos communicandi, & Corpus percipiendi Vitæ nostræ Christi JESU. Primus est illorum, qui illud percipiunt solummodo Sacramentaliter. Hi sunt, qui cum Anima in peccato constituta, cum intellectu, & attentione ex toto distracta, etiamsi accedant ad Altare, etiamsi percipiant Sacram Particulam, attamen non recipiunt gratiam, sed manducant propriam damnationem. Alter est eorum, qui communicant Sacramentaliter, & spiritualiter; id est qui cum Sacramento, quod percipiunt, uniunt spiritualem dispositionem in puritate Animæ, in reverentia, in Fide, in desiderio Sancto: atque isti omnem virtutis florem, omnem gratiæ succum colligunt. Verumtamen est adhuc alia Communio, quam spiritualem vocant. Et quæ ista? Est, dicit Sacrum Concilium, desiderium efficax, id est, verum, fervidum, percipiendi hunc Panem Cælestem, quod desiderium unitum cum Fide viva, quæ per charitatem operatur, facit, quòd illi, qui ità spiritualiter communicant, in Anima jam fructum, & commodum hujus Divini Panis lucrentur. Isti ergo communicant spiritualiter, dicit Sacrum Concilium locô citatô, *Qui votô propositum illum cælestem Panem edentes, Fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt.* Ità ut Communio Spiritualis nihil aliud sit, quàm desiderium vivum, & sacra quædam esuries comedendi hunc Panem Cælestem, stipata Fide, quæ latentem & absconditam ibi Divinitatem agnoscit, & adorat; confirmata & roborata Charitate, si Anima est in gratia; sin minus: actu Contritionis antecedente, per quem lucratur fructus inexplicabiles.

III. Ista est ergo Communio Spiritualis. Jam, cùm tot Animæ, quæ desiderant proficere, quærant devotiones, preces & orationes prolixas, & quandoque etiam periculosas; quæ devotio poterit huic assimilari ad usum etiam ipsius Sacramenti? quæ abbreviatio facilior pro lucranda gloria? quis profectus & fructus major? Huc voco advocatos occupatos, negotiosos, infirmos, illos denique omnes, qui tot excusationes allegant, quod non possint tam frequenter facere Communiones Sacramentales: quas excusationes proferent pro non usu quotidiano hujus Communionis Spiritualis, quæ in solo quodam accensæ, & fervidæ voluntatis actu consistit, quæ in unico actu Fidei assecuratur, quæ in unico actu Contritionis perfectè completur? O mi Domine! dicebat Virgo Joanna à Cruce, quàm bonus modus communicandi est iste, absque eò quòd ab aliquo videri, vel notari possim, absque omni cogitatione de meo Patre spirituali; nec habeam, à quo dependeam, præter te, qui in solitudine nutris Animam Tuo pectore, & ibi illi ad cor loqueris. O quàm felix facilitas! hic nec opus est petere licentiam à Confessario; quandoquidem remota aliorum animadversio est, ac proinde talis persona non habet, unde carpi & derideri timeat, ideóque sive in Ecclesia, sive domi, sive sola, sive cum aliis sit, quoties & quandocunque velit, communicare possit. Nec opus est, ut pro facienda hac spirituali Communione utpote quæ omni diei hora fieri potest, jejuna sit. Porrò piò hôc spiritualiter communicandi exercitiò potest laboriosus quisque, atque summis negotiis implicatus intra spatium brevissimum per ardens solummodo desiderium erga hunc Panem Divinissimum cum Fide viva, & vero cordis dolore facillimè fungi. Et si quis à frequenti Communione Sacramentali prohibeatur, aliave impedimenta obsint, potest hac spirituali citra obstaculum uti. Etiam infirmus, qui in dies ad Ecclesiam venire non potest, & ab infirmitate sua non solum summè molestatur, sed à reali Sacramenti usu impeditur, potest suo in lecto, inter suos gemitus accumulare suæ Animæ lucra & emolumenta maxima, repetendo sæpiùs hanc Communionem Spiritualem. O facilitatem prodigiosam! Quis est, qui ab hac Communione Spirituali se excuset? Omnium minimè illæ certè Animæ, quæ in timore DEI, & desiderio DEO serviendi vivunt, ac aliunde frequenti Sacramentorum usui assuetæ sunt.

Idcir-

Idcirco Venerabilis Joanna à Cruce, quæ plena quidem favoribus Cæleſtibus, viſionibus, & miraculis admirabilibus, tamen omni die ad ſacramentaliter Sacram ſumendam Communionem ſe indignam judicans, amorem ſuum hac Communione ſpirituali ſingulis quaſi momentis adeò implevit, ut tota illius vita (dicit Hiſtoricus de illa) fuerit una continuata Communio ſpiritualis; in qua tantum ſibi complacebat Dominus, ut hoc ſtupendis demonſtraverit miraculis. Ex quibus inter alia hoc unum eſt: aliquando ſtans extra Eccleſiam in Clauſtro, campanulam ad Elevationem audivit; & en! provolutæ in genua cum illis ſuis deſideriis ardentiſſimis; paries Eccleſiæ, qui viſum ei impediebat Hoſtiæ, ex improviſo apertus eſt, uſquedum adoraverat Hoſtiam, poſtmodum immediatè ſe occluſit, & reliquit uſque in hodiernum diem in compage ſignum miraculi. Ità pariter Beata Angela à Cruce, Monialis Dominicana, adeò ardebat amore, & deſideriò erga hoc Sacramentum, ut, niſi illam hunc ſpiritualiter communicandi modum Confeſſarius docuiſſet, vivere non poſſe ſibi videretur; hac de cauſa ſpiritualiter centies quovis die, ac toties etiam intra noctem communicabat. Chariſſimi! quæ devotio facilior? quod exercitium facilius? quæ diverſio utilior? Sed Eheu infelices nos? qui dum idem præſtare, & ſanctas háſce animas facilè imitari poſſemus, ad alia trahimur, in aliis occupamur! IV.

Bene ſcio, animas quasdam ſcrupuloſas inter alia obſtacula etiam hoc mihi propoſituras eſſe: quòd ad quamlibet etiam Communionem ſpiritualem ter, quatérve priùs confiteri vellent. Sed jam dixi, unicum veræ Contritionis dolorem ſufficere, nec eſſe neceſſarium pro Communione ſpirituali Confeſſarium quærere. Et quamvis auditio Miſſæ pro utiliſſimo hoc exercitio occaſio commodiſſima ſit, tamen illud etiam domi & inter res familiares aſſumere non minus utile, quin potiùs pro obtinendis cæli favoribus ac gratiis ſummè proficuum erit, tunc præſertim, quando curis & malis domeſticis quis impeditus Communionem Sacramentalem adeò frequenter adire non poteſt. Sanctæ Gertrudi quadam vice, ùt ſcribit Hautin. 915. dum morbô pariter & obedientiâ à ſumenda cum aliis Monialibus Sacra Synaxi impedita, nonniſi ſpiritualiter communicabat, dixit poſtmodum Dominus: Plùs ipſam gratiæ, quàm omnes Reliquæ conſecutam fuiſſe. Certum eſt, & definitum per Sacrum Concili- V.

um Tridentinum Seſſ. jam citata, quòd quis per Communionem Sacramentalem conſequatur multò majorem gratiam *ex opere operato*, quàm per ſpiritualem, ubi tota gratia, quam quis conſequitur, obtinetur ſolum ex opere operantis, ſive ex diſpoſitione & meritis ejus, qui operatur, & talem Communionem ſpiritualem facit; nihilominus tamen in iſto, tantus poteſt eſſe fervor, tam efficax deſiderium, tanta teneritudo charitatis, ut ſuperet illum, qui tepidè, remiſsè, & cum imperfectionibus re ipſa hoc Excellentiſſimum, & Sanctiſſimum Sacramentum percepit. Ità Dominus dixit quodam die Venerabili Joannæ à Cruce: illam omnibus vicibus, omnibus inſtantibus, quibus ſpiritualiter communicabat, percepiſſe in ſua Anima eam ipſam gratiam, quam percepiſſet, ſi realiter communicâſſet. Tantus poteſt eſſe fervor, qui conſequitur lucrum tam admirabile.

VI. Hoc aliqualiter nos docet eventus ſequens. Devotus quidam laicus Ordinis Sancti Franciſci miſſus à ſuo Guardiano die Jovis Sancto ad colligendam eleemoſynam, obedivit ſperans ſe rediturum tempore debito ad Communionem percipiendam; ſed in tantum ſe detinuit, ut, quando reverſus fuit, omnes jam Sacram ſumpſerint Communionem, & Officium Divinum penitùs finitum fuerit. Depoſitâ itaque ſua hippoperâ, ſeu manticâ, triſtitia impletus, contulit ſe ad Eccleſiam ac genuflexus ante Sanctiſſimum Sacramentum, quod jam in ſepulchro erat, non minus accenſis deſideriis, quàm lacrymis orabat Dominum, quatenus ſibi concedere dignaretur percipere hoc die tam feſtivo ſuum Sanctiſſimum Corpus. Illò ergo tali modo perſeverante in ſuis anxietatibus, & ſollicitudine tabernaculum ſponte ſua apertum eſt, & vidit prodeuntem infantulum parvulum, & pulcherrimum, qui cæpit obambulare ſuper Altare, & ſicut obambulabat, ſic per momenta etiam creſcebat, uſquedum perveniſſet ad ſtaturam viri perfectam: cæpit procedere poſtmodum verſus Sanctum Laicum; ille verò humilis, recollectus, pius & tremens retrocedere, & Dominus illum ſequi: ille ſe uſque ad ipſam portam Eccleſiæ jam retraxerat; tunc aſſequens illum Dominus amoroſiſſimè ejus frontem oſculatus eſt, ex quo tantam ſenſit ſuavitatem, ut in terram conciderit totus extra ſe poſitus, ubi illum Confratres invenerunt, & in uno lapide impreſſas plantas pedum noſtri Redemptoris. Hoc donum, & munus, has delitias lucratus eſt

ille

ille unicâ Communione Spirituali. Eſtne hoc exiguum commodum? Sed in hoc res non ſubſtitit. Quandoquidem quòd Dominus ex tenello parvulo uſque ad ſtaturam viri ſenſim creverit, quid per hoc aliud indicare voluit, quam quòd ad menſuram ardentium deſideriorum Animæ, illum percipiendi, ità in illa creſcat, ità augmentetur per gratiam? Et idcirco dicunt Doctores Myſtici, Communionem Spiritualem eſſe optimam diſpoſitionem, quâ poſſumus accedere ad Sacramentalem, *emergente & exſurgente in Anima fame ad hunc* Panem Diviniſſimum, ut tali modo major ſit guſtus, & fructus ad illum ſumendum. Et cum præſens vita habeat ſingulis momentis moleſtias ac magnis, & multis plena ſit periculis, ſcimúsne, quomodo nobis accidat mors, an nobis ſit conceſſura tempus, an ſimus habituri hanc fortunam percipiendi in illo tranſitu illum Panem Sanctiſſimum, ut nos confortet & corroboret? Cum poſſit accidere caſus improviſus, vel morbus tam moleſtus, vel ſolitudo talis, ut non conſequamur illud Diviniſſimum Sacramentum, quale pro tunc remedium? Facillimum, ſi ex nunc aſſueſcamus Communicare ſpiritualiter, quod cùm ſit tam facilè, multò faciliùs nobis fiet mediante tali conſuetudine, lucrari hanc fortunam in illa terribiliſſima anguſtia.

VII. Refert Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura in vita Sancti Franciſci lib. 13. c. 15. de Miracul. virum quendam, Bartholomæum dictum laborâſſe cum magna devotione in ædificio alicujus Eccleſiæ, quæ erigebatur in obſequium, & venerationem Seraphici Patris, & illò tantò diligentius laborante, una trabs, quæ malè erat fulta, decidit cum violentia, inferens tale vulnus capiti boni viri, ut ipſi illud totum diviſerit. Clamavit immediatè ad aliquem Religioſum, ut ſibi apportaret Sanctiſſimum Sacramentum; ſed Religioſus credens jam illum mori; non adeſſe tempus pro apportando Corpore Domini, dedit illi conſilium Sancti Auguſtini, quod ego pariter dedi meis Auditoribus: *Crede, & manducâſti.* Deſidera vivâ Fide Sanctiſſimam Communionem, & credere Corpus Domini percepiſſe. Tali modo illum reliquit, & nocte ſequente apparuit illi Glorioſus Sanctus Franciſcus, *qui portabat inter ſua brachia concluſum Agnellum,* & appropinquans infirmi lectulo, dixit illi: Bartholomæe nè timeas; iſte eſt Agnellus quem quæſiviſti, quem jam percepiſti per ſervidum deſi-

desiderium, quò desideravisti ut intraret in tuum pectus, & ratione cujus virtutis recipies cum salute Animæ, illam etiam corporis. Et postmodum ducens manum Sanctus per infirmi vulnera, eidem mandavit ut se conferret ad prosequendum laborem, quem inceperat, in fabrica suæ Ecclesiæ. Surrexit mane sequenti cum stupore omnium, qui illum omnimodè videbant sanum, quando die antecedente jam illum viderant semimortuum. Et cùm sit minùs æstimabilis sanitas corporis in tali periculo, qualis erit illa Animæ adepta per Spiritualem Communionem?

VIII. Magna consolatio pro illis omnibus quicunque illam voluerint acquirere, maximè proficua devotio pro illis qui desiderant omnibus momentis meliora lumina spiritus, exercitium facillimum pro vita ducenda instar Angelorum in terra, & pro facienda societate cum Angelis in gloria.

DE
Sancto Sacramento Extremæ Unctionis.

INSTRUCTIO UNICA.

Essentia, Compositio, & Institutor hujus Sacramenti, & ejus admirabiles Effectus.

I. QUò major adversitas est, eò magis amicus cognoscitur. Sincera amicitia est sicut aurum, quod alteri comparatum suam exhibet probam, quod in proba ostendit suum valorem; & tamen in tantum aurum superatur, in quantum verum est, nullam dari comparationem pretio alicujus Amici, qui in maxima tribulatione conservat suam fidelitatem: *Amico fideli nulla est comparatio*, Eccles. c. 6. v. 15. *& non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem Fidei illius.* Et quod si ex gradibus angustiæ cognoscendum est, quis ex omnibus melior, & sincerior sit Amicus; in illa tribulatione maxima, in qua omnes simul uniti amici nihil possunt, quis erit ille amicus qui pro tunc solus nobis assistit? *DEUS meus es Tu*, dicebat tremens hoc recogitando David

Psal.

Pſal. 21. v. 12. *Nè diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adjuvet.* O Domine, tu es DEUS meus, nè elongeris à me in illa tribulatione ſuprema & ultima vitæ meæ, quando jam in pugna, & certamine terribiliſſimo mortis, Parentes nihil poſſunt quantumcunque id deſiderent, cognati non ſuccurrunt, quantumvis id quærant, filii nihil obtinent, quantumcunque fleant, Amici nihil conſequuntur, quantumcunque id velint, Medici nihil efficiunt quantumcunque ſtudeant, *Non eſt qui adjuvet.* Cùm ergo nullus adſit, qui nos poſſit adjuvare, quis amicorum nobis remanet? Solus pro tunc noſter amabiliſſimus Redemptor, cui non eſt ſatis quòd nobis per totum ſpatium vitæ præparaverit auxilium in neceſſitatibus in ſuis Sacramentis, ſed præparavit illud etiam pro ultimo puncto maximæ tribulationis: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione,* Pſal. 9. v. 10. Non ſatis illi erat dediſſe nobis vitam in Baptiſmo, vires in Confirmatione, & robur; nutrimentum in Euchariſtia; reſtaurationem, & reſarcitionem noſtrorum debitorum in Pœnitentia; ſed etiam tunc, quando deficiunt jam reſpiria, quando proſtratæ jam ſunt vires, quando obſident nos anguſtiæ mortis, nos non deſerit: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me,* Pſal. 70. v. 9. Non derelinquas me, DEUS meus! Non derelinquas me, quando ultimatò anhelitus mihi deficient, quando dolores me cingent, quando turbata ratio, confuſi ſenſus, lapſæ vires, creſcentes anguſtiæ erunt; *Nè derelinquas me.* Ità hoc à DEO precabatur anxius David; & de hoc Chriſtus nos aſſecurat uſque adeo in Sanctiſſimo Sacramento Extremæ Unctionis, ut nullum intermitteret tempus, dicit Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. de Extr. Unct. totius noſtræ vitæ, in quo nos non protegat. Quis Amicus ergo eſt iſte, qui tam prævidè nobis habet paratum in maxima anguſtia auxilium? Quis amor ille, qui tam ſolicitus anticipat maximæ neceſſitati præparatum ſubſidium, & robur non aliunde quàm ex ſuo proprio ſanguine? Hoc eſt ergò Sacramentum Extremæ Unctionis, inſtitutum à noſtra Vita Chriſto JESU pro infirmis, qui in gravi periculo vitæ appropinquant morti. Hoc eſt Sanctum Oleum, in quo, multi ſtulto errore decepti, latere mortem autumant, & inſpiciunt ipſam vitam ac ſi foret mors, ac fugiunt ab auxilio ſicut à maxima tribulatione. O ſi hunc horrorem tam futilem, ô ſi hunc metum ignorantiæ,

tiæ, ô si hunc terrorem modicæ Fidei possem ego eradicare de cordibus! O si possem exterminare illum omnimode ex Christianitate; quanta, non solum pro salute Animæ, remedia & profectus & lucra, sed etiam pro sanitate corporis consequerer emolumenta. Aggredior ergo ejus explicationem; utinam & ejus meditationem, & amorem aggrediamur omnes!

II. Vocatur hoc Sacramentum Extrema Unctio; vel ideo, quia solummodo confertur illis, qui sunt in extremo vitæ periculo, vel ideo, quia in ordine communi illud percipiendi, est ultimum, & extremum Sacramentorum, vel ideo, quia est ultima, & extrema unctio Sacrarum Unctionum quas percipimus. Tribus vicibus fuit unctus David (videtur ac si illæ præfigurâsset hoc Mysterium.) Prima vice in domo sui Patris, unctus jam pro tunc in Regem. Hoc est illud, quod nobis evenit in Unctionibus Sancti Baptismi, quòd jam ab hinc destinemur pro Regno. Secunda vice, unxit illum Samuel in Hebron, quando inceperant illius certamina, & pugnæ. Ista est in nobis Unctio Confirmationis, ad certandum & pugnandum absque verecundia pro Fide, toto decursu nostræ vitæ. Tertia vice unctus fuit à toto Israël in Hebron, quando finivit vincere suos inimicos, & coronam triumphalem accepit super Israelem & Judam. Ista est unctio Sancta, quæ dum jam in fine vitæ sumus, nobis imponitur in hoc Sacramento, pro consequenda in ultimo certamine ultima victoria, unde nobis sequi debet impositio æternæ Coronæ. In Baptismo, & in Confirmatione ungimur Sacro Chrysmate, quod componitur ex oleo olivarum mixto cum balsamo odorifero; ideo quia à nobis quæritur bonus odor nostrorum morum, fragrantia nostrorum bonorum operum. In Extrema Unctione Oleum olivarum consecratum ab Episcopo, sinè alia admixtione, est solummodo materia, quia pro tunc puritas conscientiæ, serenitas, & tranquillitas Animæ in moribundo intenditur. In Baptismo, & in Confirmatione solummodo unguntur determinatæ partes; sed in Extrema Unctione ubique inungimur, ut ex integro puri intremus in gloriam: *In Extrema Unctione præparatur Homo, ut accipiat immediatè Gloriam*, dicit Sanctus Thomas, 3. p. q. 65. a. 1. ad 4. Omnia alia Sacramenta ex sua institutione sunt quidem media ad consequendam gloriam, sed hoc solum Amabilissimum Sacramentum nos immediatè disponit ad intro-

introitum ad illam. Alia ſunt via; iſtud eſt ipſiſſima Cæli porta. Alia diſponunt; hoc perficit & conſummat, dicit Sanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 14. de Extr. Unct. *Quod non ſolùm Pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus*; Adeò, ut poſtquam illud rite, & dignè ſuſceptum eſt, aliud non ſuperſit, quàm infallibilis ingreſſus in cælum, ac beatifica DEI viſio in ſua gloria.

Et per hoc jam innui Inſtitutorem Divini hujus Sacramenti eſſe Chriſtum JESUM noſtram Vitam, qui illud inſtituit ad dandum nobis in extremis, & maximis anguſtiis auxilium. Materia ejus remota eſt Oleum Olivarum ab Epiſcopo conſecratum; materia proxima eſt ſuſceptio illius per unctionem in omnibus ſenſibus corporis, infirmi graviter & periculosè decumbentis, ſeu in periculo mortis conſtituti. Sive Materia proxima hujus Sacramenti eſt unctio dicti olei per Sacerdotem in modum Crucis facta; quæ quidem Crucis formatio de eſſentia & neceſſitate Sacramenti non eſt, eſt tamen de neceſſitate Præcepti; atque ad valorem non requiritur niſi unctio ſimpliciter talis. Effectus Extremæ Unctionis varii ſunt, eósque enumerat D. Jac. c. 5. his verbis: *Oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Tridentinum Seſſ. 14. c. 2. de Extrema Unct. addit: *Ac peccati reliquias abſtergit.* Porrò primarius ex his ac principalis effectus, eſt alleviatio infirmi, quæ eſt augmentum gratiæ, habens annexum jus ad ſpecialia auxilia corroborantia contra difficultatem mortis, ut ſcilicet homo morti propinquus dilectione DEI, humili obedientiâ & pœnitentia ſuſcipiat morbi moleſtias, tentationes dæmonis ſuperet, in ſpem vitæ æternæ ſe erigat, Chriſtiana reſignatione ſententiam mortis acceptet, atque Anima diſponatur, ut quàm citiſſimè, ſi non ponat ex ſua parte impedimentum, conſequi gloriam valeat. Ubi ſunt modò timores vani, ubi pavores leves & inanes, quorum causâ adeò recuſatur, adeò abhorretur perceptio hujus Sacramenti; quod ùt Concil. Trid. cit. loquitur, infirmum ab ipſa etiam infirmitate corporali liberat, ſi ſaluti animæ expediat? Si in vobis Fides, ſi cognitio DEI, & æternitatis gliſcit: Ut quid reluctamini, infirmitatis tempore, ſaluberrimum hoc Antidotum, ut quid fugitis Sanctum hoc oleum, ſingulariter à Chriſto ad id electum, ut demonſtraret, ſuas il- III.

lud proprietates & effectus, quos corpori exhibet, multò meliùs in anima præstare. Etenim i Soleum dum externè quis ungitur ad intima usque ossium penetrat secundùm illud Davidis Psal. 108. v. 18. *Intravit sicut oleum in ossibus ejus*; Certè multò meliùs per hoc Sacramentum gratia sanctificans intrat in Animam ad dandum illi succum melioris vitæ: Si oleum ungendo vires corroborat, nervos solidat, quemadmodum usitatum idcirco à Luctatoribus est, antequam in arenam descenderent; Multò meliùs Sanctum hoc Oleum fortificat Animam ad ineundam multò crudeliorem luctam: si mitigat oleum dolores; istud multò meliùs illos alleviat: si oleum flammam fovet; istud multò meliùs in Anima flammam Spei, Fidei, & Charitatis non excitat solùm, sed & conservat: si occidit oleum muscas; istud multò meliùs liberat à peccatis venialibus; Denique si oleum etiam delet vulnerum cicatrices; istud multò meliùs consumit & abstergit reliquias peccati.

IV. Dignè Dilectissimi de his admirabilibus Effectibus Divini Sacramenti Extremæ Unctionis sentiamus, & locò timoris inanis excitabitur in Anima amor sanctus, & ardens desiderium illud percipiendi. Quamobrem ipsemet infirmus illud petat, nam hoc ità asserit Sanctus Jacobus c. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Si Fide viva credimus, quàm inexplicabilem in hoc Sacramento Thesaurum habeamus, minimè opus erit, ut alii nos adhortari, & ejusdem nobis susceptionem ambiguis verborum involucris suggerere debeant; quin potiùs ipse infirmus votis omnibus illud expetet, & avidissimè desiderabit. Imaginemini vobis terribilem illum ex hoc sæculo transitum; considerate vos, ac si in extremo illo vitæ termino positi sitis; quid pro tunc desiderari à vobis poterit, quod cum hoc Sacramento non consequemini? Desideratis propter malam vitam vestram, propter strictissimam rationem reddendam, quæ jamjam appropinquat, gratiam DEI? Per hoc Sacramentum illam obtinebitis. Desideratis in terribili illa cum diabolo pugna, robur, vires, vigorem Animæ? Per hoc Sacramentum specialia auxilia conferuntur. Desideratis levari dolores corporis? Isti per virtutem hujus Sacramenti mitigantur. Causant vobis solicitudinem innumerabilia, quæ in vita commisistis, peccata venialia, & si quæ adhuc de mortalibus lateant? Hæc omnia per hoc Sacramentum

tum condonantur. Affligunt vos anguſtiæ, timores, puſillanimitas cordis, reliquiæ peccatorum? Iſta omnia per hoc Sacramentum auferuntur. Timetis tandem terribiles illas Purgatorii flammas, quæ vos expectant? Iſtæ, vel ex integro, vel ex parte, ſecundùm veſtram diſpoſitionem, & fervorem, per hoc Sacramentum condonantur. Ità hæc omnia Sanctum Concilium Tridentinum exprimit Seſſ. 14. de Extr. Unction. cap. 2. O amabiliſſimum Sacramentum! O thesaurum inexplicabilem in extrema illa anguſtia! Ubi eſt Fides noſtra? Sanè ſi extra caſum extremæ aut gravis infirmitatis licitum foret, omni die inungi deberemus.

Hucuſque tamen adhuc pauca dixi. Affirmant (& bene) Viri V. inſignes, per hoc Sacramentum multos ſalvatos, non paucos è contrà ideo ſolummodo damnatos eſſe, quia Extremam Unctionem non perceperunt. *Quocirca nulli eſt negligenda*, dicit locò omnium noſter Cornelius à Lapide, in cap. 5. v. 15. Epiſt. Sancti Jacobi: *Quia multi per eam ſalvantur, qui alioquin damnarentur: multi recta in cælum evolant, aut leviter in Purgatorio expiantur, alioqui diu in eo expiandi.* Sed (dicetis) cùm in extremis, Sacramentis Confeſſionis, & Euchariſtiæ utamur: quomodo ſolumodo per Extremam Unctionem poteſt accidere ſalvatio, vel damnatio? Dicam paucis: Certum eſt, non omnes poſſe conſequi Sacramentum Euchariſtiæ, quia, cum ſubinde jam ſint privati ſenſibus, hæc illis miniſtrari, ſicut Extrema Unctio, non poteſt. Præterea multi etiam nec quidem Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis percipiunt: Hic igitur communis Theologorum ſententia docet: tunc Sacramentum Extremæ Unctionis poſſe facere animam ex attrita contritam; Volo dicere: quòd, ſi quis de ſuis peccatis ſolummodo dolorem attritionis elicuit, exiſtimans ſe eſſe contritum, & hoc Extremæ Unctionis Sacramentum ſuſcipit, dum alia obtinere non poteſt, per hoc juſtificetur & in ſtatum gratiæ reponatur. Quàm multis hoc jam contigerit in extrema illa anguſtia? in ultimo illo vitæ diſcrimine? Necdum ſatis: atque attendant hic, qui aut teneræ nimiùm, aut ſcrupuloſæ conſcientiæ ſunt; itaque ſemper dubitant, & anguntur de valore confeſſionum ſuarum, an nimirum bene confeſſi ſint. Eſt ſolidata ſententia Theologorum, quòd, ſi aliqua Confeſſio non fuit bona ex aliquali inadvertentia inculpabili, per hoc Sacramentum

defectus ſuppleatur; Quòd ſi etiam poſt Confeſſionem eſt in Anima de novo aliquod peccatum mortale, cujus quis vel recordatur, vel per invincibilem ignorantiam non cognoſcit, per hoc Sacramentum auferatur. Videte ergo nunc, an non multi erunt in Cælo ſolummodo ratione Extremæ Unctionis, & an non pauci ob defectum illius ſint in inferno futuri? O conſolationem pro illo tranſitu inexplicabilem! Certum eſt non dari Præceptum quod præcipiat, illius perceptionem; ſed quod ſi adeſſet ſcandalum vel contemptus, hoc Sacramentum omittere, eſſet peccatum mortale graviſſimum. Equidem conceſſerim, quòd illud differre, non ſit contemptus; ſed ob timorem adeò inanem, nè ſcilicet, ut ridiculè autumatur, mors acceleretur, ſumptionem hujus Sacramenti differre ſummè periculoſum eſt. Charitativus Pater pauperum Sanctus Joannes de DEO habebat in ſuo Hoſpitali Granatæ pauperem graviter infirmum, volebat, ut illi conferretur Extrema Unctio, & ille timore inani taliter ſe afflixit, deprecando illam differri, ut Sanctus, nè illum contriſtaret, conſenſerit. Exivit interim pro colligenda ſua eleemoſyna per Civitatem, & quando redivit, erat jam mortuus infirmus ſinè percepta Extrema Unctione. Cœpit cum ſuis Fratribus illum ſepelire, & derepente ſe erexit, & ſedit defunctus, & miranti factum Sancto, dixit: Pater Pauperum, ob negligentiam, quam admiſi in non perceptione Sacramenti Extremæ Unctionis, quam mihi voluiſti dare, ſum condemnatus ad pœnas purgatorii per viginti annos, & immediatè iterum ſe poſuit, & denuo obiit. Per annos viginti ad pœnas Purgatorii? Pergite nunc cum dilationibus in hoc Sacramento.

VI. Sed, Pater reponitis: tamen multi moriuntur? O homines amentes! ſed quàm multi etiam adhuc vivunt, qui extrema unctione uncti jam ſunt? Iſte eſt alter effectus hujus admirabilis Sacramenti, tam longè diſtans à veſtra notitia. Ego vobis dico, quòd, ſi Animæ eſt expediens, confert illico corpori ſanitatem. Ob hunc ipſum timorem vanum recuſabat percipere hoc Sacramentum Robertus Imperator ut refert Marchant, Candel. c. 6. ſect. & victus inſtantiis aliorum illud tandem percepit; & eô ipsô momentô quô illud percepérat, ſurrexit ſanus, & robuſtus. Pater Nicolaus de Nice Franciſcanus refert, certum aliquem nobilem Illuſtriſſimæ Familiæ dum peſſimè

mè valuiſſet, & propoſitum illi fuiſſet ut perciperet Extremam Unctionem; reſpondiſſe: *Nè me pro tali habeatis: quia omnes illi, qui ſacrô unguntur oleô moriuntur.* Non multum temporis elapſum fuit, & ſinè unctione mortuus eſt. Priuſquam ergo ſepeliretur, præſente grandi concurſu populi, in feretro ſe elevavit, & dixit: *Quia nolui percipere Extremam Unctionem, patior ex juſto judicio DEI centum annis in Purgatorio.* Et ſubjunxit: *Si illam percepiſſem non fuiſſem mortuus, & liberatus fuiſſem ex mea infirmitate.* Quod ſi hoc hic videmus in tam multis circa ſanitatem corporis, quales pœnas in Purgatorio patientur illi, qui vel hoc Sacramentum differunt, vel illud non percipiunt? Si ſicut dixit Sanctus Thomas (& eſt ſententia communis Eccleſiæ) hoc Sacramentum eſt ultima diſpoſitio, quæ præparat, & habilitat Animam pro immediato introitu ad gloriam, vel non adeſt Fides, ſi illud recuſatur, vel non adeſt ultrà ſenſus, & prudentia ſi differatur.

Narrat Diſcipulus in Prompt. V. Unct. Extrem. Certum Religioſum Ordinis Sanctiſſimi Patris Dominici dictum Bonifacium, graviter infirmum petiiſſe à ſuo Priore, quatenus ſibi Extrema conferretur Unctio. Ille, cùm jam aliquantum ſerò fuiſſet, noluit congregare Communitatem. Diſtulit proin uſque manè, & veniens viſitare, & videre Religioſum infirmum, hic afflictiſſimus dixit illi: ô Pater quàm malè negotium mihi feciſti; quia ſi nocte præterita unctus fuiſſem, jam pro nunc eſſem in pulcherrimo Palatio, quod hac nocte vidi. Vidi ibi Fratrem Reginaldnm, & alios Fratres, & Sanctos, qui jam defuncti ſunt, & qui exeuntes mihi obviàm ad me excipiendum, illuc me introduxerunt, & conſedi cum illis, ubi ego eram lætiſſimus; ſed intrans poſtmodum meus Dominus JESUS Chriſtus, dixit mihi: Foras tecum, abſcede hinc; tu enim non potes ſtare cum meis Sanctis, quandoquidem non percepiſti meam Sanctam Unctionem, ut te purificaſſet. Hac de cauſa redivi, ô quàm mœſtus! velim ſcires quantum hoc malum ſit, quod mihi feciſti differendo mihi hoc gaudium! VII.

O! utinam omnes eandem mentem, easdem cogitationes foveremus! quantô amore, quàm Sanctis deſideriis, quantâ alacritate, & excitatione Fidei, quibus fervoribus Animæ perciperemus VIII.

hoc Sacramentum, quod, purgans & mundans nos à peccatis, eſt porta feliciſſima, per quam nobis eſt intrandum ad gloriam.

DE

Sancto Sacramento Ordinis.

INSTRUCTIO I.

Eſſentia hujus Sacramenti, & Poteſtas Suprema, quam conferi ad celebrandum.

I. EST Ordo pulchritudinis anima, harmoniæ vita, eſſentia omnis artificii, ac naturalitatis decor. Eſt Ordo nexus totius Univerſi, qui illud ligat; eſt vinculum, quod illud conſervat, eſt tota elegantia, quæ illud exornat; *Optimum Univerſi eſt Ordo*, dixit Ariſtoteles. Ità videmus conſervare cælos inviolabili Ordine motûs ſui conſonantiam: Planetas obſervare recurſûs ſui harmoniam, aſtra communicare benignitatem ſuorum influxuum, Elementa alternare ſuæ activitatis effectus, atque ex compoſita horum ſerie ſequi pulcherrimum dierum, anni & temporum ordinem unà cum integro in ſuis mutationibus bene ordinato agmine mixtorum. Ità igitur ſolus Ordo animam univerſo & vitam in naturali ſua pulchritudine confert. Etenim ſi artificialia ſpectes: ubi in ædificiis & fabricis ſinè ordine, ſinè proportione unius partis ad alteram, ſinè ſymetria lineæ unius cum alia; aut ubi in muſica ſinè dulci vocum concordia (ſinè ordine) decoram harmoniam invenies? Etiam in Politicis: quid Reſpublica aliqua ſinè ordine; & confuſus ac inordinatus Exercitus quàm imbecillis foret! Solus nimirum infernus ſinè ordine, & confuſus eſt, & in hoc ipſo horrorum ſuorum ſummarium habet: *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

II. Huic ergo Univerſo tam in naturalibus quàm artificialibus, & Politicis, velut horologio rotæ ſuperiores, quæ movent, & inferiores, quæ moventur, ordo partium indebita ad ſeſe invicem proportione conſiſtentium dat eſſe, vitam, motum, & omnem denique

que pulchritudinem: *Pondus, & ordo movent.* Jam ſi ità DEUS formavit materialia, & inanimata ut conferret omnibus vitam cum ordine: *Quæ à DEO ſunt, ordinata ſunt*, dixit Sanctus Paulus ad Rom. cap. 13. v. 2. Quidni etiam ſpirituali ſuo ac multò meliori Regno, myſticæ ac multò digniori Reipublicæ ſuæ (Eccleſiæ) non daret cum ordine omnem excellentiſſimam pulchritudinem? *DEUS in domibus ejus cognoſcetur*, dicebat David, Pſal. 47. v. 4. & legit Sanctus Auguſtinus; *DEUS in gradibus ejus cognoſcetur.* Dabit ſe DEUS cognoſcendum multò melius quàm in tota fabrica Cælorum, multò melius quàm in tota venuſtate Univerſi, in gradibus, queîs diſponendo Palatii ſui (Eccleſiæ) officia, adumbrabit in terra ordinem cæleſtium Hierarchiarum, quæ in novem diſtinctæ choros (illæ ſuperiores, inferiores alteræ) ſicut admirabiliſſimum in gloria concentum formant, ità certè etiam hic in terra ordo faciet, ut ex diſtinctis Sacris Miniſteriis ſplendor, decor, claritas, & harmonia Eccleſiæ pulcherrima reſultet.

III. Inſtituit ergo noſtra Vita Chriſtus JESUS Eminentiſſimum Sacramentum Ordinis ad faciendam in ſua optima Republica diſtinctionem inter Nobiles, & Plebejos, inter inferiores & ſuperiores, ut dum alii gubernant, obediunt alii, tali modo conſervetur Divini ſui cultûs ſupremus decor. Idcirco illos, quos pro intimis Aulæ ſuæ, pro Miniſterio Palatii ſui deſtinat, in hoc Sacramento ſeligit, de mundo extrahit, ſegregat à terra, *ex hominibus aſſumptus*, Hebr. c. 5. v. 1. atque gradatim, ab uno nimirum ad alterum, uſque demum ad ſupremum Sacerdotii gradum aſcendere facit; ità ut Iſti ſint canales, per quos in noſtra corda lumen Cæleſte derivetur; ut ſint Interpretes DEI, Magiſtri Fidei, Oracula Cæli, Diſpenſatores gratiæ, Grammatophylacia Divinæ Sapientiæ, ac Secretarii Diviniſſimi Conſiſtorii. Sed cùm ego explicandi Gradum tam eminentem impotens ſim; notum ſolummodo faciam Fidelibus: quid ſit Sacramentum Ordinis, quia hoc requirit Ordo Sacramentorum, de quibus huc uſque agere ſum ſolitus. Dicam ſolummodo de Suprema Dignitate, quæ confertur, de Magnitudine, & Excellentia, quæ commendantur hoc Ordine; de Hierarchia Eccleſiæ, maximâ illius pulchritudine, & elegantiâ.

Iſtud

IV. Iſtud Sacramentum ergo eſt modô quodam admirabili fons, & origo aliorum Sacramentorum; quandoquidem omnia alia indigent Sacramento Ordinis ad habendos legitimos Miniſtros. Quilibet pro ſe ſolummodo alia Sacramenta percipit; ſic enim pro ſe ſolummodo baptizatur, qui Baptiſmum percipit; pro ſe percipit Confirmationem qui confirmatur, &c. ſed hoc Sacramentum non pro percipiente ſolùm, ſed pro communi obſequio, pro communi Fidelium, & Eccleſiæ utilitate eſt. Sunt ergo ſeptem diſtincti ordines. Nec dicite: ſi ſeptem diſtincti Ordines ſunt; quomodo unicum ſolùm Sacramentum eſſe poteſt? Reſpondeo: Quemadmodum ſcala eſſe ſcala non deſinit, licèt plures ac diſtinctos gradus habeat, ex queîs ipſa componitur; ità Diviniſſimum hoc Ordinis Sacramentum quod myſtica quædam ac ſpiritualis ſcala eſt, *unum* eſſe Sacramentum non deſinit, quamquam ſeptem Ordines, veluti totidem gradus in ſe contineat, quibus diſtincta, ac ſingularia, cuique ordini propria Miniſteria deſignantur. Primus itaque Ordo (primus gradus) eſt Oſtiariatus: quo confertur poteſtas ſpiritualis, aperiendi, & claudendi januas Eccleſiæ; admittendi dignos, & repellendi indignos. Hujus igitur officium eſt: aperire Fidelibus Eccleſiæ januam, eandémque infidelibus claudere ac interdictô prohibitis, & Excommunicatis, qui Divino aſſiſtere officio non poſſunt, populum arcere, nè propius ad Sacerdotem Divina facientem accedat; in Eccleſia dormientes, vendentes, & ementes, colloquentes, aut quomodolibet Divina perturbantes admonere, Eccleſiam purgandam curare, canes expellere, campanam pulſare, Sacrarium aperire. Secundus Ordo (ſecundus gradus) eſt Lectoratus: quo confertur ſpiritualis poteſtas publicè in Eccleſia legendi Lectiones, & Catechiſmum faciendi, ac docendi Myſteria Fidei Catechumenos, ſi qui dantur, aliósve Fideles, qui in Doctrina Chriſtiana nondum inſtructi ſunt. Officium Lectoris olim erat legere S. Scripturam, & Evangelium ad Concionem; nunc ad ejus officium ſpectat legere Scripturam Sacram, ac preces, & horas nocturnas, Prophetias in Miſſa, inſtruere pueros in rudimentis Fidei, ſi tamen hoc ultimum Epiſcopo viſum fuerit. Ordo tertius (tertius gradus) eſt Exorciſtatus: quo confertur poteſtas ſpiritualis ejiciendi dæmonia ab energumenis. Quod ſi dicatis: Non dari inter nos, qui à dæmone obſeſſi eſſent. Equidem hoc

hoc inficiàs non ivero; ſed tamen multæ in Eccleſia garrulitates, irreverentiæ, aliæque nugæ & ineptiæ fieri aſſolent, ad quas exterminandas perſæpe Exorciſmis opus foret. Porro Munus Exorciſtæ eſt, ut Ipſius Domini noſtri JESU Chriſti officio fungatur; expellendo dæmones ex poſſeſſorum corporibus, idque per Divini Nominis invocationem & adorationem. Nec non ut populo dicat; ut qui non communicat, det locum aliis. Moderno tempore Epiſcopi juſtis de cauſis hanc poteſtatem Exorciſmos faciendi Presbyteris reſervant. Quartus Ordo (gradus quartus) eſt Acolythatus: quo ſpiritualis poteſtas confertur inſerviendi Sub-Diacono, & præparandi neceſſaria ad miniſterium Altaris. Officium Acolythi eſt deferre incenſa, ampullas, cereos accenſos pro celebratione Miſſæ, accendere luminaria Eccleſiæ, vinum & aquam miniſtrare, Sub-Diacono & Diacono in miniſterio Altaris inſervire. Atque hi primi *quatuor Ordines minores* vocantur, per reſpectum ad ordines, quos dicimus *Majores*, quia per hos major poteſtas confertur circa Corpus Chriſti, quàm per illos. Igitur poſt *quatuor minores* ſequitur Sub-Diaconatus, qui eſt Ordo quintus (gradus quintus) per quem confertur ſpiritualis poteſtas in Miſſa immediatè Diacono, & mediatè Presbytero inſerviendi, & ſolemniter Epiſtolam cantandi. Huic incumbit vaſa ſacra diſponere, & deferre ad Sacrificium, materiam Sacrificii panem & vinum Diacono porrigere, poſt offertorium panis, aquam infundere in calicem, in quem Diaconus priùs vinum immiſit; ſolenniter, id eſt cum Manipulo, Epiſtolam cantare in Eccleſia, Palas Altaris, Corporalia, & Purificatoria lavare, oblationes ex Altari ſuſcipere, rudimenta fidei docere, ſeu catechizare. Hunc excipit Diaconatus, Ordo (gradus) ſextus, quo confertur ſpiritualis poteſtas Sacerdoti in Miſſa immediatè aſſiſtendi & ſolenniter Evangelium cantandi: Hujus officium eſt: aſſiſtere proximè Sacerdoti, quod fundatur in Scriptura, ubi Diaconi aſſumpti ſunt loco Levitarum, qui in Veteri Teſtamento aſſiſtebant Sacerdotibus. Item Evangelium ſolenniter, id eſt cum Manipulo & Stola transverſa cantare, prædicare verbum DEI, baptizare: nam S. Stephanus & Philippus prædicâſſe & baptizâſſe leguntur: Euchariſtiam diſtribuere, Crucem in Proceſſionibus geſtare, veſtire, & denudare Altaria. Denique venit Ordo (gradus) ſeptimus Presbyteratus: quo duplex poteſtas

ſpiritualis confertur in Corpus Chriſti verum, & Myſticum, quod eſt Eccleſia Fidelium. Ità igitur tam multiplici proviſum Miniſterio Cæleſte Palatium (Eccleſia) videt ſibi ſummma cum Majeſtate famulatum præſtari: videt ſuos ſibi Miniſtros adſtare ſumma cum magnificentia: videt ſe ubique terrarum coli ſumma cum veneratione; adeò ut multi frequenter infideles religioſo quodam ſtupore repleti, per id, quod exteriùs viderant, ad cognitionem Summi DEI, veri DEI, quem fideles adorant, perducti ſint.

V. Non eſt igitur excellens iſta Miniſtrorum, & officiorum diſtinctio illi ſimilis, qua officia, & dignitates terreſtres ab invicem differunt: ſiquidem hæ nonniſi extrinſecè ſive per denominationem, Electionem, aut approbationem extrinſecam diſtinguuntur. O ſplendidam, & Excellentem Dignitatem Miniſtrorum DEI, quæ ipſos evehit non ſolùm ſupra alios Miniſtros, ſed uſque adeò ſupra Reges, & Imperatores Mundi. Conſiſtit ergo iſta poteſtas ſuprema cujuslibet ordinis in conſecratione, qua quem conſecrat DEO Epiſcopus Miniſter hujus Sacramenti, eô ipsô momentô, quo illi dat materiam cujuslibet Ordinis, & verba formæ pronuntiat, cum gratia quam illius Animæ confert, imprimit illi in Anima characterem indebilem, ratione cujus iſta dignitas eſt æterna. Maximè ſublimes dignitates Mundi totam ſuam durationem habent in vita, & mors ſpoliat Reges, deponit Imperatores; imò etiam ante mortem quàm multis de manu ſceptrum decidit, & ex magnis Monarchis ad ſtatum humillimæ ſervitutis redacti ſunt? Quot veluti pro diis habitos per illud tempus, quod illis conceſſit humana voluntas, poſtmodum vidimus depoſitos? Et quot, qui falsò ſe jactitant eſſe homines characteris Sacerdotalis, vidimus eſſe ſinè illo, quem linguâ blaſphemâ vocârunt ſuum characterem? Sed dignitas Sacerdotalis non eſt hujus ſortis infelicis; idcirco ſemel impreſſum Characterem in Anima, nulla vis creata, nec quidem in Cælo multò minùs in Terra, unquam tollere poteſt. Conjugatus, ſi poſt mortem reſuſcitaretur, jam non eſſet conjugatus; Rex poſt mortem rediens ad vitam, jam non eſſet Rex; ſed Sacerdoti, etiamſi millies reſuſcitaretur, impreſſum in Anima characterem, nec mors, quæ omnia aufert, tollere poteſt. Potentia quâ gaudent Reges, Principes, Gubernatores, Imperium totum, & omnis dominatio, advenit illis ab extrinſeco, à conſenſu Populi, ab obedientia Vaſallorum;

lorum; ſed poteſtas Sacerdotis, cùm ſit ſuprema, à nullo dependet, nullus illam aufferre poteſt, & ſemper in Anima reſplendet. Obviavit Romæ Sancto Philippo Nerio, ùt in vita ejus narratur lib. 3. cap. 8. num. 27. certus quidam Juvenis ſedecim annorum, nomine Thomas de Sancto Geminiano, in habitu ſæculari, ſubſtitit Sanctus, & fixè illum conſiderans in vultu, dixit Juveni: *Dic mihi veritatem, nunquid tu es Sacerdos?* Juvenis totus attonitus, ſe talem eſſe confeſſus eſt. Contigit hoc, antequam prodiiſſent decreta Sacri Concilii Tridentini, quæ determinant ætatem pro ordinibus. Erat ille Sacerdos, & Sancto dixit, quòd ſe ordinari fecerint ſui cognati contra ſuam propriam voluntatem; & hac de cauſa ſe incedere in tali habitu. Sanctus Juvenem in bonam reduxit viam; & interrogatus, quomodo illum Sacerdotem eſſe agnoviſſet, dixit Cardinali Franciſco Mariæ Tarugio, ſe vidiſſe in fronte illius Juvenis reſplendere characterem ſacerdotalem, inde illum ſe agnoviſſe. Ità in Sacerdotibus illum cognoſcunt, & venerantur Angeli. Ità illum monſtravit Cælum non rarò per prodigia. De Conrado Abbate Ciſtercienſi, & poſtmodum Cardinale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, homine magnæ pietatis, refert noſter Hautinus apud Marchantium Candel. Myſtic. tr. 7. lect. 1. quòd illi duo digiti, quibus attrectabat Hoſtiam, tali modo reſplenduerint, ut ipſi luxerint in tenebris, & quòd ei duo illi digiti conſecrati loco candelæ ſerviverint; cum illis ſolis legebat, & noctu ſtudebat. O quale lumen, quod hos illuminat ad majorem venerationem, & alios ad majorem puritatem.

Sed quò dirigitur totus iſte Ordo tam pulcher, omnes iſti gradus tam excelſi, omnia iſta officia tam Divina? Regina Saba non obſtupuit nec extra ſe præ ſtupore rapta, & admiratione fuit ſolùm, quia vidit Palatium Salomonis, illius magnitudinem conſideravit, perpendit menſæ delitias, & exquiſitiſſimos cibos; ſed quia vidit ipſi ſerviri tam bonô, & exactô ordine, tam admirabili harmonia à miniſtris, à quolibet illorum cum ſua diſtinctione, in veſtimentis, prout exigebat exercitium ſui Miniſterii: *Et ordines Miniſtrantium, veſtésque eorum*, 3. Reg. c. 10. v. 5. Atque hic ſupra tantam magnitudinem, tantam magnificentiam, tantas delitias, ubi vidit bonam, & pulcherrimam diſpoſitionem ſervorum, vehemens ejus Animam capiebat admiratio; *Non habebat ultrà ſpiritum.* Sed non viderat VI.

illa hujus infinitè Sapientioris Salomonis magnificentiam, quâ pro Menſa, in qua nobis apponit Divinas delitias, ordinavit ſapientia tantam varietatem Miniſtrorum pro harmonico ordine ſuorum obſequiorum. Ad hanc Menſam, dicit Sanctus Thomas, diriguntur omnes ordines omnes gradus, & Miniſteria hujus Sacramenti, ad ſerviendum huic Menſæ Divinæ, huic ſacrificio ſupremo Altaris: *Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Euchariſtiæ Ordinatur; & ideo diſtinctio Ordinum accipienda ſecundùm relationem ad Euchariſtiam.* Sicut Templa, Altaria, vaſa, ornatus, cultus, omnia hæc conſecrata ſunt ad hoc Divinum Sacramentum; ità ad obſequia illius ordinantur Sacramenti Ordinis omnes miniſtri, vel ad præparandum, vel ad conſecrandum, vel ad diſtribuendum, vel ad offerendum hunc Panem Divinum, pro ſalute mundi Æterno Patri. Ideo dicit Sanctus Doctor, offerre, & conſecrare illum Divinum Panem, eſt primarium, & principale officium Sacerdotis; porrigere huic ad manus Sacram Hoſtiam, & Calicem eſt miniſterium principale Diaconi: Iſta præparare in Altari, Sub-Diaconi; & ſervire deferendo ſacra vaſa pro Altari Acolythi eſt. Hæc Sacrificium ipſum reſpicit. Sed quia illi, qui huic interſunt, omnino digni & puri eſſe debent; eò collimant, & tendunt reliqui tres ordines minores: Exorciſta quidem ad liberandos à diabolo obſeſſos, lector ad inſtruendos Catechumenos, & Oſtiarius ad repellendos ab Eccleſia Infideles, & Excommunicatos; ut vel ſic ubique in Eccleſia, ubi hoc Divinum Sacrificium offertur, Sanctitas, Mundities, cultus, & reverentia videatur. Hinc primi tres ordines, *Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus*; vocantur *Sacri*, ad diſtinctionem aliorum quatuor qui dicuntur Minores, & *non ſacri*: Non ideo; ac ſi non omnes ſacri eſſent (ſunt enim *minores* in ſe etiam *ſacri*: cùm ſint ſignum ſacrum, & cauſativum gratiæ) ſed quia *Majores* proximius verſantur circa rem Sacram ſcilicet Corpus, & Sanguinem Chriſti, & vaſa Sacra, Corpore & Sanguine Chriſti referta. Et quia ordines Majores (propter majorem puritatem) votum perpetuæ caſtitatis annexum habent, per quod homo DEO ſpecialiter conſecratur. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: Iſaiæ c. 52. v. 11.

VII. Et jam, ſi per gradus tam ſublimes, tam excelſos uſque ad ipſum DEI ſolium in ſacerdotio, uſque ad ipſum Divinitatis Thronum aſcenditur,

ditur, qualis dignitas iſta? qualis poteſtas? Hic deficiunt linguæ Seraphinis ad hoc explicandum, huc non pertingunt cogitationes perſpicaciſſimæ ad comprehendendum id, quod in unico momento facit DEUS per virtutem hujus Sacramenti Ordinis in unico homine. Quouſque illum elevat? quouſque ſublimat? Confert ergo Sacerdoti duplicem poteſtatem. Unam Ordinis; Jurisdictionis alteram. Unam poteſtatem in Corpus, & Sanguinem verum Filii DEI; alteram in Corpus Myſticum, in Eccleſiam DEI. Illa eſt poteſtas conſecrandi, & conficiendi Corpus, & Sanguinem Chriſti; adeò, ut DEUS ipſe obedire voci hominis, à ſummo cælo deorſum in terram deſcendere, atque ad prolationem formæ conſecratoriæ poni ſub ſpeciebus panis, & vini debeat. Hæc eſt poteſtas remittendi peccata; per quam Sacerdos vi vocis ſuæ ad prolationem nimirum formæ abſolutionis hominem ex deterrima peccatorum cloaca, atque ex ipſis inferni faucibus eripit, & in gratiam DEI reponit. O virtutem inexplicabilem! O Poteſtatem admirabilem! O dignitatem ſublimiſſimam! Si quis noſtrûm ante factam à DEO conſtitutionem mundi creatus fuiſſet, illique DEUS totum hunc mundum quatuor verbis faciendi poteſtatem conceſſiſſet; & ſi quatuor iſtis verbis quotquot milliones hominum in terra fuêre creâſſet; ſi penes his omnibus quatuor verbis gloriam contuliſſet; ad hæc ſi hoc, quoties vellet, repetere, ſi creare ſingulis momentis Cælum; ſi formare quolibet verbo ſolem poſſet; haud dubiè cum mentis exceſſu: quis ſit iſte, percontaremur; haud dubiè omnes animo deficeremus, omnes nos admiratio exanimaret. Sed tamen hæc omnia collectim ſumpta nihil ſunt, in comparatione illius, quod Sacerdos facit, dum conſecrat actione tam validâ, ut ſi Corpus JESU Chriſti illo momento non exiſteret ſolummodo vi verborum Sacerdotis de novo crearetur, de novo produceretur; ità Leſſ. de Perf. Divin. lib. 12. n. 121. Sed quid comparo fabricam mundi, imò mille mundos cum hoc opere, quòd operum DEI omnium mirabilium mirabiliſſimum eſt, quod prodigiorum DEI omnium prodigioſiſſimum eſt? Hic attoniti obſtupeſcunt Angeli, dicit Sanctus Auguſtinus ſuper Pſal. apud Turlot in Theſau. Doct. Chriſtian. part. 4. de Sacr. Ord. cap. 8. lect. 2. & velut famuli aſſiſtunt Sacerdoti, eò quòd ipſi hanc dignitatem, quam homines poſſident, conſecuti non ſint; *Chriſtus tractat Chriſtum, id eſt,*

id est, Sacerdos DEI Filium, cujus sunt delitiæ esse cum filiis hominum; & quod datum non est Angelis, concessum est homini; Sacerdos enim hoc ineffabile conficit Mysterium, & Angeli conficienti tanquam famuli assistunt. Conferens olim Ordines S. Franciscus Salesius, inter alios etiam Presbyterum ordinavit; qui postmodum dum ex Ecclesia abiret, licet solus & unicus, tamen ad limen subsistit, & nescio cui alii humanissimè priorem exitum detulit. Vir sanctus hoc advertens, cùm præter Sacerdotem videret neminem, eumdem vocat, seorsim ducit, ac quocum insolitô illiô humanitatis Officiô certâsset, rogat. Cui ille: longo fatetur tempore à Custode suo Angelo hanc gratiam experiri: quòd illum in dies spectabilem habere, ab eoque semper ad dextram comitari soleat. Eundem, quocunque vel intrâssent, vel exiissent, huc usque præcessisse; hodie verò ubi ipse Sacerdos ordinatus fuerat, mutâsse locum angelum, occupare jam sinistram; atque ideo, cum ad Ecclesiæ limen pervenissent, se una cum angelo subtitisse: quia hic modò prior exire detrectaverat. Ità cælestis aulæ Principes, Angeli, Divinam hanc dignitatem venerantur. Et quid mirum: cùm in Sacerdote cum excessu quodammodo videant, quod in B. V. MARIA omnes cæli, & sæculorum sæcula summè admirantur? Etenim si in purissimo B. Virginis utero semel Incarnatum fuit, verbis humilitatis ejus obediens, Verbum divinum; non jam semel, sed singulis diebus ad verba Sacerdotis contingit hoc miraculum in manibus Sacerdotum, *O veneranda Sacerdotum Dignitas*, exclamat Sanctus Augustinus loc. cit. *in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius DEI Incarnatus!* Idcirco Domina nostra summam ostendit delectationem assistendô de Cælo, Divinissimo huic Sacrificio. Patri Antonio Ruiz de Montoya, ùt referunt Ann. dier. Soc. 11. April. è Societate nostra dum ad celebrandam primam suam Missam se indueret, apparuit visibiliter Virgo Sanctissima, & exiens cum eo ex Sacristia, astitit illi per totam Missam cum incredibili lætitia, & voluptate Neo-Mystæ. Sed quid multum dicam de hisce favoribus; quibus integra impleri volumina possent? Referam solummodo pro omnium solatio eventum, quem

VIII. Narrat Discipulus: Sacerdotem quendam valde devotum erga Sanctissimam Virginem MARIAM nimium tentatum fuisse circa Fidem

dem hujus ſupremi Myſterii. Fudit ad Dominam preces, & lacrymas, quatenus à ſimili tentatione liberari mereretur. Accidit igitur, ut dicenti Miſſam, ubi ad orationem Dominicam perveniſſet, diſparuerit ex Corporali Hoſtia, quam paulò ante conſecraverat. Quô totus attonitus, omni ex parte circumſpicit, quærit; tandem ſurſum oculos levans, videt Sanctiſſimam Virginem Filium ſuum Dilectiſſimum brachiis bajulantem, quæ hominem amorosè intuita, dixit: vide hic quem ego virgo peperi, & tu paulò ante conſecrâſti, inter tuas manus habuiſti, & elevaſti, quémque ordinariè manducas, & bibis in Altari. Eundem tibi hic reponam, ut cum reverentia, & devotione illum ſumas. Et repoſitô pulcherrimô infantulô in Corporali, tota diſparuit viſio; nec aliud, præter Hoſtiam Sacerdos invenit.

O! utinam tali modo hæc dulciſſima Domina, & Mater noſtra illum in cordibus etiam noſtris reponeret, eundemque nos per fidem vivam, & charitatem perfectam dignè reciperemus, ut mediante hoc excellenti Myſterio, per manus Sacerdotum perducamur ad viſionem illius in gloria. IX.

INSTRUCTIO II.

De Poteſtate ſuprema Sacerdotum Abſolvendi.

NOn ſcio, an admirationis magnitudo, an verò vehementia gaudii olim Lycaonios infatuaverit, ut Paulo, dum inſolitum in Claudo illo prodigium operatus eſt, Divinos exhibere honores voluerint. Lyſtram venientibus Sancto Paulo, & Barnaba (ut verbis ſcripturæ utar) ibi *quidam vir infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui nunquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Qui,* commiſeratione motus, *intuitus eum, & videns, quia Fidem haberet, ut ſalvus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus.* Et *exiliit, & ambulavit* ruptis naturæ vinculis, citra impedimentum coram univerſo populo. Act. 14. v. 7. & ſeq. *Turbæ autem cùm vidiſſent, quod fecerat Paulus,* præ admiratione ſui non compotes, *levaverunt* I.

vocem ſuam dicentes : Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. ibid. 10. ac ſi dixiſſent : Certò certius Hi, qui ad nos venerunt, Dii ſunt, quamvis eſſe homines videantur. *Dii ſimiles hominibus?* Nunquid melius, nunquid verius dixiſſent : Iſti homines ſunt, ſed homines Diis ſimiles? Si in omnibus, quæ foris apparent, illos eſſe homines vident, ut quid ob unicum, quod patrârunt, prodigium, visûs fallere ſtatim ſenſus debet, & contra hoc, quod oculi vident, admiratio fidem adſtruit? Homines ſunt, & eſſe agnoſcuntur: ſed ob perpetratum in Claudo prodigium nonniſi homines ficti, & apparentes; re autem ipſa veri eſſe Dii autumantur. Itane hoc ob datam ſolam uni tantùm claudo pedum rectitudinem? ob factam ſolam per duo verba unius tantùm infirmi nervorum ſoliditatem? Itáne hoc ideo ſolum, quòd, cujus ligaverat natura membra, ambulare cœperit? Quàm exiguum quid mirantur? quàm facilè in ſummam ſe abripi admirationem ſinunt. Sed quid; ſi ad duo verba ipſius inferni frangi catenas, rumpi repagula, diſſolvi compedes viderent? Quid? ſi ad duo verba aperiri Cælos, adamantinos peccati muros rumpi, & transferri hominem ex ipſo abyſſi fundo ad uſque celſiſſimos Angelorum apices viderent? Quæ comparatio curationis alicujus claudi ad liberationem à peccatis unius Peccatoris? Quid eſt diſſolvere debilia naturæ vincula reſpectu ruptionis inſolubilium catenarum peccati? Quid eſt homini greſſum ſuper terram conferre, in comparatione reſtitutæ uni tantum animæ libertatis, qua volare ad cælum poſſit. Quale inter hæc duo diſcrimen eſt? Tale, quale intercedit, dicit Sanctus Thomas, inter Animam & Corpus, tale, quale eſt inter viliſſimum lutum, & nobiliſſimum Spiritum: *Conſolidare corpus faciliùs eſt, & quantò nobilior eſt Anima corpore, tantò excellentior abſolutio criminum,* Sanctus Thom. in cap. 5. Luc. Hoc ergo facit Sacerdos per iſta duo breviſſima verba: *Te abſolvo.* Adunat in momento, DEI non unum, ſed omnia maxima prodigia; exercet per manum quam elevat, & vocem, quam profert, totum brachium infinitæ Omnipotentiæ, totámque virtutem productivam ipſius Divinitatis. *Et ſi habes brachium ſicut DEUS, & ſi voce ſimili tonas?* prout interrogabat Jobum DEUS cap. 40. v. 4. quod aſſerere de ſe cum veritate quilibet Confeſſarius poteſt. Hic omnino meliùs diceretur, & nos dicere poſſumus: *Dii ſimiles facti hominibus deſcende-*

ſcenderunt ad nos. Iſti, qui nobiſcum ità vulgantur, & tam faciles, tam acceſſibiles ſunt, videntur nobis homines eſſe, & præter homines nihil; ſed Dii ſunt in dignitate, qua pollent, in poteſtate quam exercent, in prodigiis quæ operantur, in beneficiis immenſis, quæ nobis faciunt, & in Gratia Divina, quam nobis diſtribuunt. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus DEUS?* Marc. cap. 2. v. 7. Et ſi iſti nobis illa dimittunt, Dii ſunt, etiamſi videantur homines. *Ego dixi: Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes*, Pſal. 81. v. 6. Iſti ſunt Sacerdotes, quorum excellentiam, quorum poteſtatem, quorum beneficia ſolùm poterimus plenè intelligere, quando mediantibus illis nos videbimus in gloria.

II. Dixi jam quod ſit duplex poteſtas, utraque omnino inexplicabilis, quæ conceditur Sacerdoti. Una poteſtas eſt Ordinis ſupra Corpus verum Filii DEI; Altera eſt Jurisdictionis ſupra Corpus myſticum, Eccleſiam. Prima eſt, ad ciendum per verba Sacerdotis DEUM de Cælo in terram: Secunda, ad transferendos homines per verba Sacerdotis à terra in cælum. Hæc conceditur per illa verba, quæ illis dicit Epiſcopus nomine Chriſti JESU, qui ſimiliter illa dixit ad ſuos Apoſtolos Joan. cap. 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Qualia verba ſunt iſta, ratione quorum totum liquefit cor illa audiendo, & Anima præ jubilo exultans, ſeipſam non capit illa auſcultando? Et quæ peccata debent eſſe iſta? Sint qualiacunque velint. Et quis numerus illorum? Etiamſi ſint infinita. Et quoties poterit abſolvere eundem peccatorem? Etiamſi veniat millies & millies. Et hoc facit unus homo cum altero? Homo miſerabilis factas DEO offenſas remittere poteſt? Ità eſt, & hac de cauſa (inquit Chriſtus ad Sacerdotes) depono in manibus veſtris theſaurum meritorum meorum: hac de cauſa relinquo poteſtati veſtræ infinitum Sanguinis mei valorem; hac de cauſa trado vobis claves ut cuique aperueritis cælum, illi apertum ſit: quemcunque abſolveritis à peccatorum ſuorum vinculis, ille abſolutus ſit; hac de cauſa demum committo vobis vices meas, vos locò mei ſubſtituo, facio vos Judices, ſicut Pater æternus me Judicem fecit: *Pater omne judicium dedit Filio*; Joan. 5. v. 22. ac transfero in vos, quamdiu Eccleſia mea durabit, totam meam poteſtatem.

III. Non possumus sat magnificè de hac immensa potestate Sacerdotum sentire, nisi priùs cognoscamus, quàm grave onus & sarcina unicum solùm peccatum mortale sit, cui malitiam etiam infinitam complures Theologi tribuunt. Est igitur (neque me rem exaggerare putetis, hoc dico, quod veritas est.) Est igitur inquam, peccatum mortale tanti ponderis, gravitatis tantæ, ut à nulla inter omnes, etiam possibiles creaturas, ac non nisi à sola DEI Omnipotentia tolli possit. Si vobis aliquis ad dorsum mons caderet: ab eo vos ipsos liberare, illum abjicere, aut transferre non possetis; posset tamen Angelus, eúmque velut pilam nullô negotiô excutere. Si quis vestrum medio in Oceano submergeretur, quantumcunque nandi peritus esset, tamen brachia debilitarentur, & deficerent, ac ipse emergere non posset, sed interiret; verùm supernorum spirituum quilibet transferre illum in ictu oculi per mille milliaria & ultra, usque ad oram maritimam sinè labore posset. Si quis in carcere subterraneo, & viginti stadiis sub terra existente, in manicis ferreis & compedibus, atque in angustissimo cippo sub quatuor vel pluribus portis æreis adeò arctè conclusus teneretur, ut ne quidem movere se posset; posset tamen Angelus in momento rumpere vincula, catenas confringere, eúmque citra difficultatem in plenam libertatem asserere. Sed quid de peccati gravitate dicam? Ab onere, ex vinculis, & abysso peccati mortalis, etiam unius tantùm nemo vos eripere, nemo eximere, nemo liberare potest. Conferant ad hoc omnem suam opem Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, tamen omnes collectim, minùs efficient, quàm movere formica montem possit. Congregent se, congerántque manus omnes Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, tota denique Ecclesia, Militans simul & Triumphans; tamen minùs vos liberare ab unico peccato mortali poterunt, minùs ad hoc, quàm quædam scintilla ad exsiccandum Oceanum, sufficientes erunt. Sola nimirum DEI Omnipotentia tantum potest, tantum consequitur. Hanc igitur Omnipotentiam suam transtulit DEUS in quemlibet Sacerdotem, qui duobus verbis efficit in momento tantum, quantum per seipsos Angeli, & Sancti omnes non possunt: & hoc quidem, dum dicit: *Te Absolvo.* O Potestatem Divinam! O Libertatem exoptatissimam quæ

quæ inde in nos derivatur! O peccatum vel unicum quàm horribilis carcer eſt? in quam ſqualliidas compedes per peccatum vel unicum conjicimur! hoc velim ab omnibus maturè trutinaretur. De Ariſtomene Meſſenio refert Plinius lib. 11. cap. 37. eum in forti conflictu à Spartanis captum fuiſſe; Hi, dum ad manum catenas non habebant, ei[illegible]em ſolidiſſimos toto corpore funes injecerunt, queîs adeò arctè ipſum conſtrinxêre, ut ſe ne quidem movere potuerit. Quid hic conſilii homini miſerabili, poſt duriſſimam ſervitutem, ad turpiſſimam etiam mortem condemnando? Noctu ſopitis ſomnô Cuſtodibus, ad ignem quem accenderant, advolvitur, & ut vincula ſua comburet, ad flammas corpus applicat. Crepuit aduſta cutis, cùm contorta canabis accenderetur, ipſéque ad omnem funium combuſtionem cruciatum ſuſtinuit, & dolorem indicibilem. Tandem fermè undequaque concremato effugere licuit: *Ad ignem advolutus lora cum corpore exuſſit.* Tantùm illi conſtitit, ab illa captivitate eximi; adeò carò ipſi libertas ſtetit. Nos verò à Sacerdote quàm facilè è carcere peccati, è captivitate diaboli liberamur, è qua nos æternus nè quidem ignis liberaret? Nec liberamur à peccato tantùm: ſed confertur inſuper gratia animæ, eáque in filiam DEI transformatur pariter & in hæredem gloriæ.

O magnam Sacerdotis poteſtatem! O fortunam Peccatorum infinitam! Qui, ſi ex ſua parte debitè ſe diſponunt, habent tali modo patens Cælum, habent in ore cujusvis Sacerdotis claves Paradiſi. IV. Si DEUS nobis aperiret oculos ad cognoſcendam hanc admirabilem efficaciam; dum videmus Sacerdotem elevare manum ſuper Peccatorem, & pronuntiare pauca illa verba: *Ego te abſolvo*; Si in illo momento videremus qualis mutatio contingat in Anima, certè in terram attoniti concideremus, nec remaneret nobis in corde ſpiritus, quô poſſemus ſuper terram alii adhuc rei intenti eſſe. Jam alibi ex Cæſario retuli, ipſum dæmonem, dum poſt abſolutionem, mirabilem hanc Peccatorum mutationem eosque in veros lucis Angelos transformari, atque ex abominabilibus feris totos pulchros & puros evadere invidô oculô conſpexiſſet, etiam ad confeſſionem acceſiſſe, ſed tantam pulchritudinem adeptum non eſſe exinde, quòd elicere dolorem non potuerit. In veritate, Dilectiſſimi, ut oculis Animæ penetremus iſtam tam admirabilem mutationem, fingite hunc

casum. Si hic aliquis inter nos daretur, qui offendens ad carcerem aliquem, innumera Æthiopum, qui lethaliter omnes sauciati essent, multitudine repletum, illis diceret: Ego vos liberos facio: ac illicò decideren catenæ, rumperentur vincula; quale istud prodigium foret? Plus adhuc: si diceret illis: ego vos omnes dealbo; ac quantocyùs sinè alio instrumento, quàm per prolationem horum verborum ex illorum corporibus pix nigra decideret, & cutis ad instar lactis albissima, crines quoque velut aurum politi, & flavi redderentur; quam admirationem res non adferret? Amplius: si omnibus diceret, jam moribundis: Ego vos facio sanos; & eò ipsò momentò omnes surgerent sani: Et si tandem alicui obscuræ habitationi alicujus Carbonarii diceret; Ego facio te Palatium multò melius illis, quæ maximi mundi Reges inhabitant; & eò ipsò punctò, sinè aliis operariis, sinè aliis Magistris, fieret fabrica pulcherrima, & sumptuosa: nunquid diceretis de tali homine: Quæ potestas est ista tam divina; sed & scitote, quòd, dum Sacerdos dicit: *Ego te absolvo*, operetur in Anima bene dispositа miracula, absque comparatione majora. Quid dico majora istis? Imò majora quàm quotquot operati sunt ipsi Sancti in alio genere. Majora quàm eorum fuerint, qui unicò verbò resuscitârunt defunctos, sanitati restituerunt paraliticos, visum reddiderunt cæcis. Et majora tandem cum infinita distantia illis; quotquot facta sunt in corporibus, sint illa qualiacunque velint: *Præstantiùs est Animæ mederi peccatis mortuæ, quàm iterum revocare ad vitam mortua corpora*, sicut dixit Sanctus Joannes Chrysostomus.

V. Ista ergo potestas confertur Sacerdoti in sui ordinatione, quæ solummodo per contemplationem omnipotentiæ DEI rite intelligi potest. Sed ecce hic dubium quod transire non possumus. Dicitis ergo: Si hæc potestas confertur Sacerdoti in ordinatione, quare dantur Sacerdotes, qui etiam post ordinationem confessarii non sunt? Huic quæstioni Respondeo; hanc potestatem dari in ordinatione omnibus Sacerdotibus, eámque etiam omnes accipere, & habere, quantum ex parte ipsorum est. Sed quandoquidem absolutio est actus jurisdictionis, actus Judicis, qui solummodo in illos exerceri potest, qui subditi, & subjecti sunt; subjectos, & subditos autem habeant soli Episcopi, & Parochi ex authoritate proprii officii: inde

inde est, aliquos Sacerdotes indigere licentia Episcopi ad exercendam suam potestatem, in illas, quæ sunt Episcoporum, &c. oviculas: Ità, ùt Sacerdos, qui est Confessarius, non habeat plus potestatis quàm ille qui talis non est, sed solummodo habeat commissionem, quâ illi, qui Confessarius est, permittit Episcopus, &c. spirituale suarum ovicularum regimen. Et hac de causa etiam solent reservare Episcopi certos casus, à quibus non potest absolvere quilibet Sacerdos. Sed hic valdè bene advertendum, & in memoria retinendum est, quòd *in articulo mortis* nullus detur casus reservatus, sit ille qualiscunque velit, ità definitum est à Sancto Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. de Pœnit. *In articulo mortis*, dico: Per mortis articulum verò non intelligo ultimum quasi vitæ momentum; sed probabile mortis periculum, quod tunc adesse censetur, (quamquam mors adeò propinqua non sit) si medicus Sacramenta percipere mandet; ità Diana, Mendo, Lugo &c. Tunc ergo sint peccata etiam enormissima, adsint censuræ, & aliæ quæcunque esse velint pœnæ, ab omnibus potest, & debet absolvi infirmus. Et à quo? si non adest ibi Confessarius, à qualicunque Sacerdote non approbato, & si nec quidem talis adsit; etiamsi sit Sacerdos irregularis etiamsi sit degradatus, etiamsi sit hæreticus, à tali absolvi potest, & extra omne dubium est per se validam esse absolutionem, ad reponendam Animam bene dispositam in gratiam DEI. O Portam misericordiæ, quæ tota patet pro salute nostræ Animæ. Et jam quæ ignorantia apud Plebeios invaluit: dum multoties petunt: *Ut illi conferant absolutionem Bullæ.* Ex quo apparet, quòd absolutionem Bullæ distinctum esse Sacramentum putent ab absolutione Sacramentali; videntur nè quidem credere, illum absolutum esse à suis peccatis per Confessionem, nisi percipiat absolutionem Bullæ. Dilectissimi, hoc bene intelligamus: Etiamsi infirmus non percipiat absolutionem Bullæ, tamen non solum in illo transitu potest percipere omnia Divina Sacramenta; sed, sicut jam dixi, etiam sinè absolutione Bullæ potest in illo periculo absolvi à qualibuscunque enormissimis, gravissimis peccatis, pœnis, & censuris. In quem finem ergo est absolutio Bullæ? Ego hoc dicam: Est solùm laudabilis devotio pro lucrandis plenariis Indulgentiis, quæ in articulo mortis conceduntur illis, quibus datur absolutio Bullæ. Jam autem hanc absolutionem

poteſt applicare qualiscunque Sacerdos habitâ ſolummodo intentione illam applicandi, & hoc etiamſi fiat extra Confeſſionem; ità Mendo Epit. V. Indulg. n. 26. Quapropter abſolutio Bullæ non eſt abſolutio à peccatis; hæc enim ſolum confertur in Confeſſione Sacramentali; ſed eſt demum abſolutio conferens Indulgentiam plenariam, quam lucrari magna eſt gratia, præſertim, quòd ratione hujus ignorantia errores valde pernicioſos introducat.

VI. Et jam, cùm ità in Sacerdotibus habeamus à DEO obviam pro noſtro remedio cum poteſtate infinitam miſericordiam; quem amorem tenemur his Patribus noſtrarum animarum, quam reverentiam his Judicibus ſupremis noſtrarum conſcientiarum; quem reſpectum his Diis, qui videntur eſſe homines? ſed hic, meliùs loquerentur lacrymæ quàm voces, plus exprimerent gemitus, quàm verba, nec ſufficeret ſanguis cordis pro deflendis contumeliis, deſpectibus, & injuriis, quæ in dies ſacerdotibus irrogari ſolent. Jam notæ mihi ſunt excuſationes malorum Chriſtianorum allegantium, Sacerdotum ità omnino indignorum ſicut ego, malam vitam. Sed ſi ex vi Legum, etiamſi ruinetur, & concidat aliqua Eccleſia, non ceſſat idcirco ille locus eſſe ſacer, & dignus veneratione; *Dirutis ædibus Sacris, areæ manent Sacræ*, leg. & in tantum ff. de rer. diviſ. etiamſi quandoque in moribus indecentiæ, & peccata valdè deturpent aliquem Sacerdotem, non perdit idcirco Characterem, & remanet illi ipſiſſima illa Divina poteſtas. Quis idcirco audet aggredi Chriſtos DEI? *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; Pſal. 104. v. 18. Si alicui ſervo, ſolummodo ideò quia eſt Præpotentis Domini, etiamſi ſit audax: non infertur caſtigatio, nè reſpectus Domini lædatur; erga iſtos Miniſtros DEI, erga hos ejus Legatos, erga hos qui tenent in Terra DEI vices, cur non habebitur iſta attentio, ut illis exhibeatur debita reverentia? Ut quid debeo referre horribiles caſtigationes talibus inſolentibus inflictas? Abundant funeſtis, & ſanguineis eventibus hiſtoriæ; has pro alio relinquo Auditorio, & hic ſolùm attingo unicum ex innumerabilibus præmiis, ob illis debitam præſtitam reverentiam.

VII. Narrat Sanctus Bonaventura in vita ſui Sancti Seraphici Patris, militem, nomine Gerardum, perdidiſſe viſum cum ſua maxima afflictione. Accidit: quòd duo Religioſi Sacerdotes Ordinis Sancti Fran-

Franciſci iter facientes venerint ex eleemoſyna petere hoſpitium in domo Militis. Recepit illos humaniſſimâ benignitate, amanter illos complectebatur, & recreavit eosdem quantum potuit; pro quo illi diſceſſerunt notabiliter obligati. Pervenerunt ad proprium Conventum, & nocte quadam apparens illorum uni Sanctus Seraphicus Pater Franciſcus, dixit: Homo ille, qui te hoſpitiô excepit, ob ſua, quæ commiſit peccata (ex ordine, & in ſpecie illa retulit) lumine oculorum privatus eſt. Et quandoquidem tu illum abſolvendi poteſtatem habes, vade, & adlabora, ut illa confiteatur. Rediit Sacerdos, vocat Gerardum ſeorſim, ac commiſſa illi peccata patefacit: ſuper quibus ille attonitus pariter, & plurimum contritus, illa confeſſus eſt, ac una cum abſolutione denuò viſum percepit. Ità illi cum incredibili gaudio reſtitutus corporis viſus, ſed cum majori Animæ fructu mentis oculus apertus eſt.

O utinam omnes ſic oculos aperiremus, iisque ſupremam hanc Sacerdotum Poteſtatem cognoſceremus! fieret certè, ut non ſolùm debitam illis reverentiam, ſed & omnia obſequia ac ſervitia noſtra exhiberemus. Utinam lucraremur per dolorem noſtrum, & diſpoſitionem Illorum efficaciam verborum: *Ego te abſolvo*, queis nobis cælum aperiunt, noſtràsque abſolvunt animas, quatenus volare poſſint ad fruitionem gloriæ. VIII.

D E

Magno Sacramento Matrimonii.

INSTRUCTIO I.

De Eſſentia hujus Sacramenti. Et quòd illos, qui illud percipiunt, non impediat à ſequenda Virtute.

PErfecti ſunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum, complevitque DEUS die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requievit ab omni opere quod patrârat. Viditque cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona Gen. 2. Quid igitur tunc deſuit pulcherrimæ huic Mundi Machinæ, omnibus numeris abſolutæ?

Quis

Quis defectus tunc in Paradiſo fuit, qui poſitus in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto, atque deliciarum quà corporis, quà animæ refertiſſimus erat? Quid tunc deſiderari ultra in homine potuit, qui undequaque perfectus, Dominium ſortitus eſt ſupra omnes creaturas abſolutum. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Quæſtioni huic DEUS ipſe reſpondet: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Gen. 2. v. 18. Defuit Mundo in aternis Entium permanentium mutationibus Generatio ſucceſſiva hominum, qui illâ fruerentur. Defuit Paradiſo in ipſâ omnium deliciarum abundantia caſti amoris vinculum, quo homo ligaretur. Defuit homini in ipſâ dignitatis ſuæ perfectione mutua ſocietas, in qua cor ejus dulciter quieſceret. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Nimirum Mundo, Paradiſo, Homini, tanquam omnium Eorum perfectionum complementum, Matrimonium defuit. Et ſiquidem Matrimonium in materiali *Naturæ* fabrica ultimum ornamentum fuit, certè etiam in Myſtica Eccleſiæ Machina hoc ipſum requirebatur ad complendum undequaque perfectiſſimum ſtatum *Gratiæ*. Supereſt igitur, ut, poſtquam omnia alia Sacramenta, velut rutilantia Eccleſiæ lumina conſideravimus, recto nunc ordine, ultimam Illius perfectionem, Matrimonium inſpiciamus. Pauca in hoc explananda ſunt: cùm ſuam conjuges obligationem, ac debitum Matrimonii haud ignorent; ſed multa tamen inculcanda vobis ſunt, quæ in Conjugiis negligi, non attendi, & intermitti frequentiſſimè aſſolent. Hic ad dignè deprædicandum *Magnum* hoc Sacramentum ſuas mihi pro vocibus flammas, ignem pro verbis Sanctus Paulus faveat velim, nè tam multis, quos Divinus hic nexus ligat per gratiam, cedat in funeſtiſſimum æternæ perditionis laqueum. Enimvero nonniſi ſummo cum timore de Sacramento Matrimonii loquor, nè fortaſſis non pauci Conjuges ex doctrina hac mea majorem ſibi damnationem adſciſcant; Sed quoniam me obligatio urget, dicam, quod me Divina Oracula docent. Tu Domina, Mater & Virgo puriſſima, Honos Supreme Matrimonii, ad cujus preces in nuptiis in Cana Galilææ Filius tuus primum operatus prodigium eſt, quô per aquam in vinum converſam, myſticam Matrimonii elevationem ad ſtatum Sacramenti præfigurabat; Tu, velut Commater Suprema etiam hic ſuccurre, & dignas mihi voces Audi-

Auditoribus meis debitam attentionem inſtilla, mihi illud lumen Doctrinæ, quod me juvet, Conjugatis omnibus illam cognitionem, quæ dulcorando moleſtias, accumulet illis ex ſuo ſtatu quondam cæli gloriam.

II. DEUS ergo, ùt dixi, Author Supremus Matrimonii fuit, dum quantocyus poſt fabricatum Mundum nolens Adamum relinquere ſolum; quando dormiebat, ex ejus coſta mulierem formavit, eámque ubi evigilaverat, ad ipſum adduxit, ubi ille conglutinatis illico per amorem animis in hæc verba prorupit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea;* Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem: & adhærebit inſeparabiliter Uxori ſuæ. Et ecce tibi hic primum Matrimonium Mundi, dum ipſemet DEUS paranymphum egit, vel ut noſtra voce dicamus: Matrimonii Inſtitutorem. Sed hic remanſit ſolummodo Matrimonium in *eſſe* puri contractus civilis, in quo eſſe manſit per multa ſæcula in Lege antiqua; jam verò in Lege fortunata Gratiæ Chriſtus elevavit iſtum contractum ad ſupremum eſſe Sacramenti; & quod ſolum erat debile ligamen naturæ, evexit ad eſſe inſolubile fortunatiſſimi vinculi Gratiæ; quódque ſolummodo manſerat in unitis affectibus naturalis inclinationis, transtulit ad eſſe jam repræſentativum excellentiſſimum altiſſimi Myſterii; Atque quod antea erat medium ad propagationem humani generis qua repleretur Mundus hominibus, jam elegit pro inſtrumento ad generationem, non filiorum, qui ſolummodo occupent, & impleant Terram, ſed filiorum deſcendentium, qui repleant Cælum, & occupent ſedes vacuas Angelorum. Utrumque illud primum Matrimonium, quod erat ſolummodo *Contractus*, & iſtud ſecundum Matrimonium *Sacramentum*, utrumque eſt opus DEI, ſed cum magna diſtinctione, magna cum præeminentia. Sic me explico: primò formavit DEUS ſtatuam mortuam de limo terræ (Adamum) & poſtmodum inſpirando illi ſpiraculum vitæ, infudit Animam; hoc erat formare hominem; quàm jam elevatum, quàm diverſum ab eo, quod antea erat! Fingite vobis nunc quòd tali modo proceſſerit Divina Majeſtas cum Matrimonio. Inſtituit illud Divina Majeſtas illic à principio, ùt patulum eſt; ſed ibi, ut irà dicamus, non fecit aliud præter mortuam ſtatuam de limo, permittendo Matrimonium in ſuo ſtatu naturali, terreo, & lutoſo, uſquedum elapſis multis ſæculis,

lis, veniens in mundum ipſemet DEI Filius, animavit illam ſtatuam Spiritu Divinô, elevando Matrimonium ad excelſum gradum Sacramenti. Eſt ergo inter hæc Matrimonia omnia antiquorum, & iſta Chriſtianorum diverſitas, diſtinctio talis, qualis intercedit inter Adamum, quando adhuc erat ſtatua inanimata ex limo terræ, & Adamum, quando jam fruebatur Spiritu vitæ. Uterque fuit opus DEI: ſed primò erat ſolummodo fabrica ex limo, poſtmodum erat jam imago viva DEI.

III. Hinc, quia in illo primo Matrimonio fuêre introducti varii abuſus, quales erant in Lege antiqua, poſſe Maritum habere plures uxores; poſſe dare libellum repudii, per quem ab invicem mutuò ſeparabantur, abrogavit noſtra Vita Chriſtus JESUS, ac amputavit ab hac vite iſtos vitioſos ramos, reducendo illam ad ſuum principium: *Ab initio non fuit ſic*, dicit Divina Majeſtas apud Sanctum Matthæum cap. 19. v. 8. ſed *maſculum, & fœminam fecit eos*, Gen. 1. v. 27. Non fuit ſic, dicit illis, ab initio; ſed Vir unus, & Mulier una conſtituêre Matrimonium; & inter hos, quos univit DEUS, nunquam homo ſeparationem facere poterit: *Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* ibid. v. 6. Et ecce hic reductam jam ad ſuum primum principium materiam (Contrahentes) Matrimonii; & adjungens illi Sua Majeſtas, cum excellentiſſima & ſuprema ſignificatione, quod repræſentat gratiam, quam Conjugatis confert; elevatum contractum Civilem, ut eſſet Magnum Sacramentum. Sed quid repræſentant Vir, & Mulier invicem Matrimonium contrahentes? Hic velim excitaretur Fides, O quomodo, relictis viliſſimis motivis, exurgerent in cordibus altiſſimæ & ſublimiſſimæ cogitationes! Repræſentant, & effigiant nihil aliud quàm ipſiſſimum Filium DEI, qui, prodiens de ſinu Patris ſui Æterni, venit ad ſe deſponſandum cum ſua Eccleſia, cum teneritudine amoris infiniti, cum donis liberalitatis immenſæ. Nam, cùm non ſatis fuerit, jam illi contuliſſe omnes ſuos theſauros, dedit huic ſponſæ ſuas curas, ſuas ſolicitudines, ſuas anxietates, ſuos labores, ſuas moleſtias, tandem ſuam vitam, & ſuum omnem ſanguinem; cum unione tam indiſſolubili, ut ab iſta ſua dilecta Sponſa nunquam illum ſit ſeparatura æternitas. Hoc ergo repræſentant, & effigiant omnes illi, qui Matrimoniô junguntur. Non ſiſtunt ſolùm in illo naturali amore; non in illa ſolùm actione dum

dum ſibi porrigunt manus: non habet Matrimonium pro fine motiva carnalia, vilia intereſſe, intentiones caducas: ſed repræſentare DEUM unitum & conjunctum cum ſua Eccleſia. Magnum Sacramentum eſt hoc, dicit univerſis Sanctus Paulus ad Epheſ. cap. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

IV. Et quid multum, quòd ipſemet Apoſtolus ad Hebr. c. 13. v. 4. illud omni veneratione digniſſimum eſſe affirmet? *Honorabile connubium in omnibus, & Thorus immaculatus.* O ſtatum ex omni parte honore digniſſimum, ex omni parte decore pleniſſimum, & maxima veneratione honorandiſſimum! Si conſideretur illius amor, ſupremus eſt. Si ejus Reformator, Divinus eſt? Si ejus antiquitas, mundi durationi æqualis eſt. Si fructus ejus; hi repleverunt Eccleſiam. Si ejus utilitates; hæ conſervant ſplendorem totius Chriſtianæ Reipublicæ: *Honorabile connubium in omnibus.* Gloriatur, dicit Guillelmus Peraltus, omnis Religio habere magnum Patriarcham, illa Sanctum Benedictum, hæc Sanctum Baſilium, iſta Sanctum Dominicum, & ſic de reliquis clariſſimis Fundatoribus Religionum, ſed ſtricta Religio Conjugatorum habet pro ſuo fundatore ipſummet DEUM, ob ſuam antiquitatem ætatem agit cum Mundo, & per ſuos fructus replevit, & replet Eccleſiam: *Honorabile connubium in omnibus.* Dignum eſt omnino honore Matrimonium, in illo quod illud præcedit, in illo, quod illud comitatur, in eo quod illud ſequitur. Conſiſtit ergo tota ejus Eſſentia in mutuo conſenſu Viri, & fœminæ (quæ ſint Perſonæ legitimæ) manifeſtato verbis, vel ſignis coram Parocho, & teſtibus; unde reſultat vinculum, & nexus, à quo poſt conſummatum Matrimonium, non poteſt junctos ſeparare, niſi mors; Ità, ut Parochus qui aſſiſtit, ut validum ſit Matrimonium, non aſſiſtat ùt Miniſter, talis enim ſolummodo eſt ipſemet Maritus, & uxor; ſed ſicut, qui repræſentat Eccleſiam, quæ illum admittit. Et ex hoc indiſſolubili vinculo ſequitur, quòd utroque vivente, nullus ex illis poſſit conjungi perſonæ alteri, niſi tandem mors, ſolvendo hunc nexum, illis det, ſicut omni die videmus, licentiam. Res incredibilis videbitur iſta, ad quam referendam me accingo, ſed omnino certa, dicit Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Gerontiam. Vivente me Romæ Mulier, quæ ſucceſſivè viginti duobus Maritis ſuper-

ſtes erat, & Vir, qui numerabat jam ultrà viginti Uxores, juncti ſunt Matrimoniô, & magna concertatio facta eſt, quis eorum alterum ſuperviveret, & quis vinceret. Vicit tandem Maritus, & à grandi concurſu populi, coronatus floribus, & cum palma in manu ducebatur ante funus, applaudente illi populo, locò compaſſionis, feſtivis congratulationibus ob ſuam victoriam: *Vicit Maritus, vicit Maritus.* Nihilominus tamen cum defuncta numeraret viginti duos maritos; unde ex hoc capite remanſit victoria dubia.

V. Sed cùm omnino ſpecialis gratia in hoc Sacramento conferatur illis, qui bene diſpoſiti illud percipiunt; atque hanc gratiam conferat DEUS ad dulcorandas moleſtias, ad confortanda, & fortificanda corda, ad conſervandos in pace, & in amore Animos; quare iſte ſtatus à DEO inſtitutus, hoc Sacramentum ditatum meritis, & Sanguine JESU Chriſti, ſæpe opponitur pro excuſatione negligentiæ in ſervitio DEI? quare ſolet allegari pro impedimento applicationis integræ ad ſatisfaciendum, & guſtum dandum DEO? Ego fateor, quòd quantùm præſtat ſol ſtellis, tantùm excellat per ſe Virginitas ſupra Matrimonium; quantum ſuperat unio concham, tantum apportet plùs valoris per ſe ſtatus integræ puritatis, & continentiæ, reſpectu licentiarum, & permiſſionum, etiamſi licitarum, ſtatûs conjugalis. Scio, & docet me Sanctus Paulus Animam in virginitate, & continentia ſe poſſe conſignare totam, & integram, & ſinè impedimento DEO; in Matrimonio autem eſſe neceſſarium dividere curas, modò pro Mundo, & modò pro DEO, modò erga propriam Uxorem, & filios, & modò ad proprium ſpiritum, & alios fructus & lucra. *Qui ſinè uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO; qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt;* 1. ad Cor. c. 7. v. 32. Sed his omnibus non obſtantibus, ſi in hoc ſtatu adhibentur, ſicut oportet, attentiones, ſi ſe verè applicet Anima ad quærenda in omnibus DEI beneplacita; præ quot, & quantis Virginibus faciunt in oculis DEI non paucæ conjugatæ emolumentum, & habent præeminentiam in virtutibus? Quot Religioſos ſuperant, excedúntque ſæpiùs quàm quatuor vicibus Matrimoniô juncti, meritis? Notus eſt ille caſus, quando magno Paphnutio, qui erat ſtupendum Eremi prodigium, monſtravit Angelus, quòd ipſum longè in virtutibus antecede-

cederent duo Conjugati. Non ergo ſtatus Matrimonii impedit, quando potiùs ex ipſiſſimis ſtatûs moleſtiis poteſt fabricari cum gratia DEI ſplendidiſſima corona.

Audite Conjugati Magnum Chryſoſtomum Tom. 1. Hom. 21. VI. *Audiant Viri & Mulieres, nec putent nuptias in cauſa eſſe, quò minùs quis DEO placeat.* Conjugatus erat Mathuſala, & habuit filios, & filias, & habuit DEUS in eo complacentiam: *& placuit.* Habuit uxorem Iſaias, & filios, & pervenit ad viſionem DEI in throno, & circa illum volantium Seraphinorum. Ergo *Cur non rectè vivis?* Quare non bene vivis Conjugate? Quia non poſſum, reſpondent, niſi me elongem à mea Uxore: *Quia non poſſum: inquiunt, niſi divertam ab Uxore*; dicit rursùs Sanctus Joannes Chryſoſtomus Tom. 1. Hom. 4. de verb. Iſai. Quàm peſſima reſponſio! Nullatenus Matrimonium te diſturbat: *Non obſtat Matrimonium.* Nunquid habebat Uxorem Iſaias, & erat in volatibus ſui ſpiritûs ecſtaticus? Nunquid Uxoratus erat Moyſes, & erat in ſuis prodigiis admirabilis? Nonne loquebatur cum DEO facie ad faciem, exiſtens uxoratus? Nonne dividebat maria, nonne turbabat aërem, nonne detinebat DEI iracundiam? Ità eſt; ſed inquis non fuit paſſus in domo inſolentias, & inhumanitates. Tales non defuerunt Saræ, cùm tamen eſſet Sancta, ideo tamen non intermiſit Abraham eſſe in ſuo Matrimonio admirabilis. Ità eſt; ſed non erat iſta Mulier tam perverſæ conditionis. Erat, & quidem ut plurimùm perverſa illa Jobi, & tamen fuit corona pretioſiſſima ejus patientiæ. Sed quid opus habeo audire excuſationes, quas alia vice videbimus, & examinabimus? Hoc autem certum eſt, hunc ſtatum Sanctum nequaquam diſturbare virtutes; certum eſt, in hoc ſtatu poſſe eſſe omnem domum Templum, poſſe eſſe omnem familiam Eccleſiam, in qua DEO poſſent offerri valdè grata Sacrificia. *Saluta Priſcam, & Aquilam, & domeſticam Eccleſiam eorum*; ſcripſit ad Romanos Sanctus Apoſtolus cap. 16. v. 3. Saluta mihi Aquilam, & ſuam Uxorem Priſcam, cùm tota illorum domeſtica Eccleſia. Ità nominat eorum familiam, dicit Theophilactus, ob eorum magnam pietatem & virtutes. Concludo ergo, deſiderans multò majori cum ratione illud, quod deſiderabat Magnus ille Sanctus Ignatius Martyr; Epiſt. ad Philipp. Utinam (dicebat) in Cælo adipiſcar & obtineam locum ad pedes multorum San-

ctorum, qui ibi ſunt: *Non quòd vituperem Divos, quòd rei uxoriæ ſe dederint; opto enim ut dignus ſim in Regno Cælorum ad horum pedes locum mihi dari.* Utinam (repeto ego ex tota mea Anima) non dico ad pedes, ſed multò inferius inveniar in Paradiſo, Magnorum Ludovicorum Regum Galliæ, Ferdinandorum admirabilium Regum Hiſpaniæ, Leopoldorum Auſtriacorum, Henricorum & Conradorum Imperatorum.

VII. Sed ut quid referam Cathalogos, qui eſſent innumerabiles? Rememorat Caſſianus, veniſſe quendam pauperem Agricolam ut offerret ſuas primitias Abbati Joanni, Venerabili ob ſuam Sanctitatem incolæ illius Eremi. Hunc invenit jam multô tempore laborâſſe in ejiciendo diabolo ex corpore cujusdam miſerabilis hominis; & quamvis Abbas repetiverit adjurationes, orationes, exorciſmos, Diabolus tamen immotus perſiſtebat & firmus; poſtquam igitur pauper hic Agricola cum ſua oblatione ad Sanctum Abbatem perveniſſet, & vix comparuiſſet, & ad ſalutationem præſtitam, Agricolæ nomen repetiviſſent adſtantes, tunc diabolus tremens, & collidendo ſe cum grandi ululatu dereliquit miſerculum, quem obſidebat, diſceſſitque fugiendo. Attonitus Sanctus Abbas viſô hoc factô, quæſivit ex Ruſtico, cujus conditionis, & ſtatûs eſſet, quale exercitium & artem, quásque virtutes haberet? Sum uxoratus, reſpondit, & me occupo laboriosâ vitâ agrorum excolendorum. Sit hoc, ſit; reposuit Abbas, ſed in his laboribus quomodo vivis, quas virtutes præterea ſoles exercere? Ego, dixit de me nihil boni & virtuoſi ſcio, niſi quòd nunquam in campum exeam, quin priùs Eccleſiam adeam pro imploranda Divina gratia & auxilio; nec redeam ex agro, quin rurſus ad Eccleſiam recurram reddere gratias DEO pro ſuis beneficiis, nec unquam attingam meas mihi à DEO conceſſas fruges, quin priùs DEO ſolvam ſuas primitias. Maximam curam adhibeo, ut nec minimùm quidem meis inferam vel cauſem damnum Vicinis. Omnia iſta videbantur adhuc exigua & parva Abbati Joanni. Quæſivit ex illo, an præter hæc nihil aliud haberet; & ille coactus & obligatus Abbatis inſtantiis; Undecim anni elapſi ſunt, ſubjunxit à quibus uxoratus ſum, & vixi in pace, in amore, & in quiete cum mea uxore, nullô die elabente, quô concordes non peragamus aliquid ad beneplacitum DEI; & ultimatè offerentes DEO noſtram caſtitatem,

tem, vivimus ùt Frater & Soror, abſque eo quòd vel in minimo etiam hucuſque quòad puritatem nos maculaviſſemus. Cognovit hic Sanctus Abbas ex relatione emolumenta & utilitates, ratione quarum etiam ob ſolum ejus nomen tremebat, fugam arripiens, perterrefactus diabolus.

O utinam ità fugeret victus virtutibus ex multis domibus, in quibus regnat. O ſi in hoc Statu Sancto ſcirent Conjugati frui gratiâ Sacramentali, quam in illo percipiunt; quomodo ex ipſiſſimis curis fabricarentur virtutes; & ex vinculo & nexu indiſſolubili corporum formaretur optima Animæ corona, ut ſoluto uni ex hac vita, alia obtingeret æterna cum gloria. VII.

INSTRUCTIO II.

De Intentione, quæ debet haberi in Matrimonio; Media ad illud piè ineundum, & quòd ſolus DEUS det Uxorem ſecundùm Votum.

SI recens, elegantérque conſtructa navis, dum deductis carbaſis inter feſtivas acclamationes in mare immittitur, ſi, inquam, ad ſui ſolutionem è portu inter communes aggratulationes, oculos ad videndum mare velivolum, ſupra quod deinceps quieſcere debeat, ſi rationem pro conſideranda inconſtantia, cui jamjam innititur, ſi intellectum haberet, ut de variis maris periculis & moleſtiis ratiocinari poſſet, certè ſicut integra illius machina ab aquarum æſtu fluctuat, ità cor ipſi præ horrore palpitaret, ſicut fremunt, & ſtrepunt ſiccæ illius tabulæ, ità internè illi cor lamentaretur, atque ipſum ponderis ſui æquilibrium tremor ipſi & mœſtitia foret, ac diceret: Ergóne pergam in tantum mare? Ad tantos ſcopulos? Ad tantas tempeſtates? Ad tot & tanta pericula? Ad ventos qui undique me aggredientur? Ad aquas quæ me ex omni parte oppugnabunt? Et quidem per totam meam vitam? Ad hoc ego ſolvor? Quid conſolationis mihi ſupereſt? Eheu! Nihil niſi ſolum cælum, quod debet eſſe dux meus: *Salus tantùm ab alto*; Solum cælum, quod contra violentiam maris, & periculorum, quæ me manent, ſecurè me deducat: *Cælo duce.* Ità etiam ego contemplor I.

ſpe-

ſpecioſum Juvenem, & Virginem pari modo modeſtam ſicut & elegantem, illô die, quô porrigentes ſibi in ſuo Matrimonio pronubas manus, velut ornatus, & pompoſus phaſelus ſe committunt integro mari, non minùs periculis, quàm fortunis, non minùs ſcopulis, quàm tranquillitatibus, non minùs tempeſtatibus, quàm favoniis, non minùs naufragiis, quàm felicibus proventibus pleno; & quòad hæc omnia nihil aliud eis remanet pro Duce quàm cælum, lumen cæleſte ad eis demonſtrandam viam; Verbô: ab alto ſolum eſt ſors fulectura. Ità ſunt omnes vocationes DEI ad quemlibet ſtatum ſuæ Eccleſiæ; omnes viæ per mare, omnes inter pericula, & ſolum à cæleſti ſtella poſſunt apprehendere ſecurum iter: *In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis.* Pſal. 76. v. 20. Sed in nullo ſtatu magis quàm in Matrimonio, tot & tantæ, ſicut in mari, numerantur experientiæ, audiuntur clamores, interdum conſpiciuntur ſyrtes, & brevia, & tanta ſicut in mari, occurrunt, & ſufferuntur pericula. Sed neſcio, an querelæ, & etiam naufragia proveniant ab hoc mari tam procelloſo, & amaro, vel an naſcantur ex eo, quòd quis velit navigare hoc mare ſinè ſtella, quòd quis velit hanc abyſſum percurrere abſque cæleſti Polo, qui Matrimonium inituris monſtret quonam ſit dirigendum iter. Jam, Dilectiſſimi, qualis debeat eſſe intentio, qua ineatur, qualis ſit finis, qui quæratur, qualia ſint media quæ ponenda ſunt pro conſequendo ſtatu Matrimoniali, portu ſalutis, eſt punctum, quod ego vellem intrà hoc breve ſpatium temporis omnibus exſplicare jam Conjugatis, ut ſi forſan ab illo aberrârunt, illuc iter dirigant, & illis qui vellent Matrimonium contrahere, nè ab illo aberrent.

II. Catechiſmus Romanus Sancti Pontificis Pii V. impreſſus ex ſpeciali Decreto Magni Concilii Tridentini; intelligant, & advertant, dicit, illi qui Matrimonia contrahunt, non aggredi ſe aliquam actionem, quæ ſoluñodo ſit humana; ſed opus Divinum pro quo eſt neceſſaria ſingularis Animæ integritas: *Neq; humanam aliquam rem ſe aggredi, ſed Divinam putare debent, in qua ſingularem mentis integritatem, & pietatem adhibendam eſſe.* Certum eſt, & de Fide, hunc eſſe Sanctum Statum ex illis, qui componunt pulcherrimam varietatem Eccleſiæ: certum eſt hoc eſſe excellens Sacramentum à JESU Chriſto inſtitutum, & meritis locupletatum ejus Sanguinis. Eſtne

inter

inter nos aliquis qui de hoc dubitet? Eſtne quiſpiam qui hoc ignoret? Nunc ergo Extot, qui matrimonium ineunt, ſi adeamus interrogando, non dico unum, ſed centenos; vel hunc, vel illam: Vir, quare Uxorem ducis? Quem finem tibi in hoc præfigis? Quam habes intentionem? Mulier, quare in tantum Maritum deſideras? Quid in hoc prætendis, quid quæris? Ecce nec hic, nec illa mihi reſpondebunt directè; ecce quòd ex quatuor partibus Conjugatorum, pars tertia, ducta ſolummodo motivô omnino cæcô, paſſione omnimodè ſtultâ, ad nuptias properet ac ſi equitaret ſupra equum infrænem ſolutis habenis. Si à quopiam quò vadat interrogetur, dicet verum: Quid ego ſcio; Quò hoc brutum me portat. Initur Matrimonium, non ſicut aliquis ſtatus, in cujus electione nihil magis conſiſtit quàm ſalus Animæ; non ùt aliquod Sacramentum, in cujus lucro gratiæ nihil magis conſiſtit, quàm æterna fortuna; non ut aliquod opus Divinum, ſed ùt actio merè humana. Initur dico ſinè conſideratione, ſinè conſultatione, ſinè prævio recurſu ad DEUM per orationem, ſinè petitione Divinæ illuminationis, ſinè attentione quòd Matrimonium res æterna ſit, ſicut aditur aliquod officium, ſicut inchoatur aliquod iter aut commercium, in quo ſolùm reſpicitur, ſolùm ponderatur, ſolùm attenditur ad pretium mercium, an poſt ſex menſes futuræ majoris valoris quòad lucrum, an verò in aliis officinis & portubus quòad pretium minuendæ ſint. Tali modo contrahuntur Matrimonia; ſolùm confertur, ſolùm convenitur de dote, ſolùm attenditur, ſolùm reſpicitur lucrum, capitale; Ac ſi Matrimonium eſſet emptio & venditio. At verò quomodo ſponſi ſalvare animas; num hac via pertingere ad felicem æternitatem; num in hoc ſtatu DEUM verè quærere poſſint, cura minima eſt, hæc & ſimilia ſocci penduntur. Dummodo ſponſa habeat pecunias; Matrimonium concluditur, etiamſi illa de cætero ſit qualiscunque velit; Dummodo lucrari pecunias ſciatur, etiamſi id fieret furando, contrahitur. Etiamſi ſponſus ſit homo peſſimus, homo diſcolus & diſſolutus; & quamvis etiam dubitetur ratione ejus actionum, an Chriſtianus ſit, iſta tamen minimè obſtant. Et cùm ità ſint inita, ſicut abſque dubio ſunt, multa Matrimonia, quid mirum: repleta eſſe maledictionibus DEI tot Conjugia, ac infamia & vituperiis tot familias, perire denique tot Animas? Si in hoc mari ſolummodo duce

lumine cæleſti eſt iter currendum; ſinè cælo, ſinè DEO, & ſinè lumine, quid aliud eſt expectandum, niſi poſtmodum clamores, gemitus, & naufragia? &c.

III. Dicam clariùs hoc ipſum, quod omnibus de ſe claret: Dantur enim aliquæ res, quibus ſola detectio, & patefactio in publico eſt maxima reprehenſio; eò quòd in lucem poſitæ afficiantur pudore. In populo vulgari motivum pro Conjugio ſi quæreremus, vix inveniremus in quolibet illorum cogitationes altiores, quàm quas jumenta habent; nimirum quæ ſuum à laſcivia initium ſumunt. In populo honoratiore & dignitate prædito, abſque multo examine, & ulteriore indagatione, notorium & omnino publicum eſt, plurima Matrimonia, quæ contrahuntur, originem habere ſolummodo ex cupiditate, & avaritia. Et quidem quantùm ad ipſos Parentes, qui de jungendis Matrimonio prolibus agunt, multi filium vel filiam ſuam non elocant: etiamſi ætate ſuperabundent, aut incontinentiæ periculis ut plurimùm expoſiti ſint; ideò ſolum nè numerare dotem teneantur; hinc non rarò etiam ſub prætextu pietatis illos inducunt, neſcio an non meliùs dixerim, violentant & cogunt ad Religionem, ut tantò celeriùs cum aliquot centenis florenis eos expediant; ſint deinceps quomodocunque velint afflictæ miſeræ illorum Animæ. Sed quid opus eſt hoc multis oſtendere, quando ipſa veritas patet? Porrò quodſi etiam illos Matrimoniò jungant, plurimi reſpiciunt & conſiderant ſua propria & perſonalia commoda & emolumenta, ad commoda verò filiorum, ad bonum Animarum illorum minimè attendunt. Si ipſos filios ſpectes; pauciſſimi ſunt, qui timentes DEUM, expectent quouſque à Parentibus ſibi de Matrimonio provideatur. Sed etiam inter illos qui expectant, non pauci ad nihil aliud reſpiciunt, quàm ut è Patria poteſtate liberentur, eò quòd Parentes ipſis nimiùm moleſti accidant. Tales igitur in hoc ſancto negotio, à quo multorum ſalus dependet, fines, intentiones ac motiva præfigi ſolent. Pro hoc nolo plures alios teſtes, quàm vos ipſos qui me auditis. Et ſi iſta ſunt motiva, cur poſtmodum querelæ de inito ſtatu fiunt? *Os meum non interrogâſtis dicit Dominus*, Iſa. 30. v. 2. poterit cuivis talium reſpondere DEUS in ſuis anguſtiis: Nunquid hoc per me feciſti? O repulſam terribilem æquè, ac veram!

Igi-

Igitur cui palpabile non eſt, quòd illi, qui ſolùm ut jumenta, luxuriâ moti, Matrimonium ineunt; illi, qui ſolummodo ob exteriorem aliquam materialem pulchritudinem, quæ intrà unicum annum finitur; illi, qui ſolùm ebrii vinô funeſti amoris, qui intrà pauciſſimos menſes tepeſcit, ab hac ipſiſſima origine ſibi inducant propriam, & tantam infelicitatem, ut admittant ipſummet diabolum in Compatrem ſui matrimonii? Non ego, ſed unus ex ſupremis Archangelis hoc pronuntiat. Sara, filia Raguelis in Civitate Rages magni nominis, & famæ viri inter Medos, ſola & unica hæres paternæ opulentiæ, *Tradita fuerat ſeptem viris* Tob. 3. v. 8. & ſeptem ſequentibus nuptiarum noctibus, *mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam, Dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos.* Quanto timore repleta fuerit tota illa vicinia? Non aderant ultrà Proci uſque ad tempus, quò veniens ex ſua patria Tobias Juvenis, comitatus ab Archangelo Raphaële, audivit rumorem qui circumvolitabat; Et tunc dixit illi Archangelus: Eja Juvenis, oportet te eam accipere conjugem. Pete ergo eam à Parentibus, qui ocyus tibi eam dabunt in uxorem cum tota ſubſtantia. Hoc tu mihi dicis? reſpondit tremens Tobias. Ecce nihil aliud homines loquuntur, nihil aliud narrant, nisi quòd ſeptem ſponſos ejus occiderit dæmonium; viſne: ut & hoc ipſum mihi contingat? Sed Angelus denuò: Fac, quod ego tibi dico, inconſulte Juvenis: & ſcias, quòd illi, qui conjugium ità ſuſcipiunt, ut DEUM à ſe, & à ſua mente excludant, ut ſuæ libidini ità vacent ſicut equus aut aliud jumentum, ſupra tales habeat poteſtatem dæmonium. Repeto ego verba Angeli ex Sacro textu libri Tobiæ cap. 6. v. 17. *Qui conjugia ità ſuſcipiunt, ut DEUM à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ità vacent ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Et ſi ob motivum turpitudinis confertur poteſtas hæc dæmonio, quàm multi illum habituri ſunt pro Compatre in ſuo Conjugio? Et cum tali Compatre, quid mirum eſt, nos videre tanta infortunia, tanta damna, tantos ploratus, tantas querelas, tot, & tantas offenſas DEI, & tot damnationes Animarum? Et tamen vix non infinita ſunt ſimilia Matrimonia. IV.

Cæterùm Adhuc alios videamus, quos ſi non adeò exularet è publico pudor, & verecundia, nè quidem referre auderem. Mul- V.

ti totam ſuam fortunam in crinibus fictitiis, eleganter pexis, & venuſtè compoſitis reponunt; ideò circumeunt ut plurimum ſpe capti ut ſolummodo poſſint aliquod dives Conjugium adipiſci, & cum eo multas pecunias; ſit illud dein qualecunque velit. Roma adhuc in gentiliſmo exiſtente, cauſavit multum riſum populo in ſimili materia ſequens eventus. Tempore Domitiani Cæſaris vivebat ibi Virgo nubilis præclari Sanguinis, ac magnæ nobilitatis quidem, ſed majoris deformitatis. Erat turpior harpyia, abominabilis, deformis, gibboſa, oculis lippis; & ut præſtantiam illius paucis ſtringam: erat ſtolidiſſima. Et ecce tibi! advenientibus annis pro Matrimonio contrahendo, non evacuabatur via à Procis, & concurſu Ganymedum; dies tranſigebatur in deambulationibus; nox in conventiculis. Multi quidem vehementer erga ipſam exarſerant, ſed præ aliis quidam magnæ Nobilitatis vir tantô illius amore captus eſt, ut quia nec cibum capere, nec ſomnum præ illius vehementia poterat, toto corpore conſumptus de vita periclitaretur. Quid hoc ſibi vult? dicebant alii ſtupentes: itane propter iſtam adeò attenuaris? Num facies tam deformis, & horribilis talem accendere flammam amoris poteſt, quæ ità te conſumat? dicam hoc vobis, reſpondit promptè Juvenalis. Non cupido eum ità accendit, ſed Pluto eum ità conſumit. Non eum ſic amor exagitat, ſed ſic illum avaritia transfigit:

Nec pharetris Veneris macer eſt, aut lampade fervet.
Inde faces ardent: veniunt à dote ſagittæ.

Decorabat illa ſtupendam ſuam deformitatem, abundantiſſima, & ditiſſima dote: illa vibrabat ſagittas, & hæ tot animos inquietabant. Quoties hoc ipſum in noſtra Civitate videmus? *Veniunt à dote ſagittæ.* Idcircò prudens Marſia, filia magni Catonis, dum interrogata fuiſſet, cur nollet nubere cum tot habeat Procos, reſpondit: *Ob hoc ipſum, quia ex tantis neſcio quis me velit, & ſcio multos eſſe, qui cupiunt meas pecunias.* Præbeamus aurem Sancto Chryſoſtomo hom. 20. in epiſt. ad Epheſ. *Non quæramus pecunias, neque externam, ſed Animæ nobilitatem.* Sperare virum, ut diteſcat à fœmina, indecens, ac ſummus pudor eſt. *Nemo exſpectet, ut diteſcat à muliere; turpes enim, & probroſæ ſunt hæ divitiæ.* Illi, qui tali modo volunt Matrimonium inire, locò vinculi quæſiti in Matrimonio, inveniunt laqueum, qui illos in infernum præcipitat: *Nam qui volunt*

ſic

sic esse divites, incidunt in tentationem, & in laqueum, & in interitum. Et hoc etiam hic nobis demonstrant effectus in infortuniis, in fœcunditate, in mœstitiis, & in aliis tristibus accidentibus similium Matrimoniorum.

VI. Quis igitur aut quæ adeò erit felix, ut in mari tam tempestuoso solum DEUM pro scopo habens, tutum reddat tali modo per rectam intentionem suum iter? illi certè, qui motivo pio ac sancto nituntur, & dicere possunt: Ineo Matrimonium, Domine, ut me collocem in statu, in quo tibi servire possim ad cavendas occasiones tui offensarum, nè mea fragilitas labatur in peccata ad tuam displicentiam; & ut in filiis, quos mihi dederis, continuentur, etiam post meam vitam, in tua Ecclesia laudes, & ex illorum gloria multiplicentur tuæ gloriæ. Istam intentionem, dicit Magnus Augustinus, debent habere Conjugati in suo Matrimonio; non respiciendo proprium bonum particulare, sed commune totius Ecclesiæ. *Hæc esse debet piorum Conjugum intentio, ut regenerationi, generatio præparetur.* lib. 4. in Julian. c. 1.

VII. Et cum ista sit intentio, qualia debent esse pro consequendo hoc statu media? an deceptiones? Deambulationes? Scandala? Lenocinia? Litteræ amatoriæ? Nuntii? Fuci, & nitores fucati? Conspirationes? Nuditates? Turpitudines? Dissolutiones? O quam vilia media! de Sigerita Filia Regis Sivaldi Daniæ, refert Crantius lib. 2. Dan. c. 5. illam tam admirabiliter fuisse modestam, ut nunquam notari potuerit aliquem virum in vultu aspexisse; & cum petita fuisset in Matrimonium ob raram suam pulchritudinem à multis Principibus, nullus unquam poterat obtinere unicum intuitum oculorum ejus. Ità ut Rex Pater ejus per Edictum publicaverit, quòd ille, qui obtineret ab illa intuitum, cum illa matrimonium iniret. Hoc ubi evulgatum erat, suas quisque impendit vires, ità, ut unus eorum etiam non dubitaverit se periculo exponere mortis. Nullus intentum assequi poterat, ut illa oculos elevaret; usquedum tandem illos conjecisset unicâ vice in illum, cum quo etiam postmodum Matrimonium inivit. Si quæritur servitium DEI, quomodo possunt esse media ejus offensæ? si desideratur vita in gratia peragenda, quomodo possunt esse media ejus offensæ? si desideratur vita in gratia peragenda, quomodo potest ad hanc esse iter scandalorum? Si præ-

tenditur honor, quomodo pro instrumento accipitur infamia? Et tandem ut omnia complectar: si DEUS solum & unicè in Matrimonio intenditur, quare per media decentia, & honesta pia & Sancta non procurabimus, ut ipsemet DEUS benignè nobis quasi ex sua manu conferat uxorem? Grandis sententia est ipsiusmet Spiritûs Sancti Prov. cap. 19. v. 14. *Domus, & divitiæ dantur à Parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Nobilitatem, divitias, has dant Parentes, sed uxorem prudentem, hanc solus tribuit DEUS. Et Nobilitatem, & divitias nónne DEUS est qui ista largitur? Certissimum hoc est. Sed est tantum beneficium, est donum tam grande conferre alicui viro uxorem prudentem, ut hoc solum æstimet DEUS donum sibi proprium, & de reliquis omnibus donis, ac si illa non donaret, nullam faciat rationem: *A Domino autem propriè uxor prudens.* Explicat hoc admirabiliter versio septuaginta: *à Domino aptatur mulier viro.* DEUS ipse adaptat, & proportionat viro mulierem sicut vestis aptatur, & proportionatur corpori; Ità ut non sufficiat solùm mulierem esse in se bonam, discretam, nobilem; cum his namque omnibus potest nihilominus non esse proportionata Marito. Quomodo ergo aptabitur illi per omnes partes vestis hæc? Cum DEUS ab utroque mensuras accipiat, & proportiones dirigat: stringit ubi convenit, dilatat ubi ornamentum requirit; *à Domino aptatur mulier viro.* Ad DEUM ergo recurrendum est per preces, per orationes pro felici matrimonii auspicio. DEUS rogandus est, ut talem concedere dignetur sortem, per bona opera, non per offensiones, non media prava & illicita. *Pars bona*, dicit secundò Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 26. v. 3. *Mulier bona.* Bona hæreditas, bona substantia, pars bona, & multò plus, est mulier bona. Et quomodo obtinebitur? *Dabitur viro pro factis bonis*, ibid. Pro bonis operibus viri, vel pariter Mulieris obtinetur fortuna talis, ut continuante in illa gaudiô vitæ, succedat tandem adeptio gloriæ.

VIII. Referam eventum, qui quantumvis dissoluto nostro sæculo incredibilis videbitur, tamen insignium virorum authoritate nititur, eúmque narrat Vincentius Bellovacensis lib. 15. cap. 19. in suo speculo historiali, ex quo illum etiam adducit speculum magnum Exemplorum, & attestantur illum plures alii. Duo præclari Conjuges, qui possidebant imponderabiles divitias, habentes unicum solum filium,

lium, desiderabant eum ità Matrimonio jungere pro more & consuetudine hujus sæculi, ut n mirum magnis divitiis adderent majores. Ità tractârunt cum filia aliorum Parentum potentissimorum, sed hoc proponentes filio, ità ille in hoc non consensit, ut post magnas molestias, coactus fuerit fugam è domo paterna arripere. Solus, & Peregrinus, nudatus omnibus, venit ad domum cujusdam pauperis Seniculi in meridie quærendæ aliqualis refocillationis causâ. Admisit hic illum humanissimè, dedit hospitium frugale; atque unica filia, quam miser ille Seniculus habebat, defectu alterius servi, omnia, quæ potuit servitia hospiti exhibuit. Quels præfatis ad suum quantocyus colum properavit, ut fila duceret, quâ operâ Patrem sustentabat. Interim advertit Juvenis, sæpius hæc verba protulisse Virginem: Benedictus sit DEUS meus. Et has aliásque similes voces alternabat in labore suo. Tunc Juvenis; Mulier, inquiebat: quâ causâ has repetis gratias, & laudes DEO? Ecquid enim habes præter humile vitæ genus, & sinistram sortem hanc tuam? Tunc illa sapientiâ plusquam muliebri multa de Divina bonitate dicere, atque immensa DEI beneficia, qualia hæc sint, ob oculos illi ponere; ac qualiter nostra illis gratitudo correspondere debeat. Super quibus adolescens vix non attonitus, magnæ ipsam capacitatis, ac radicatæ virtutis esse intellexit; hoc etiam: quòd virgo sit. Quare illico conversus ad Seniculum Patrem illum rogavit instantissimè quatenus sibi in uxorem filiam suam daret. Aperuit Patri quis esset; & Seniculus illum agnoscens; non potes, dixit illi, Matrimonio jungi cum filia pauperculi, cùm tu adeò sis potens. Institit ille repetitis precibus, quòd si hanc sibi vellet dare, cum nulla alia velle se matrimonium contrahere, etiamsi acquirat, prout jam ei obiatæ fuêre, divitias maximas. Ità fit; reposuit Seniculus; sed ego nullum aliud habeo solatium præter hanc filiam, & hac ablata, vitam quoque mihi meam auferes. Juro ergo tibi, dixit Seniculo Adolescens, me nolle illam hinc abducere, sed velle me tecum vivere in hac ipsissima paupertate, & labore. Et idcirco, deponendo eô ipsô momentô suas vestes, induit antiquum vestimentum ut sic cum illis viveret. Hoc non obstante, sapiens senecio voluit illum per aliquot probare dies, & inveniens eum veracem in suis verbis, filiam suam ei tradidit. Et sequenti die ducens eum ad aliquem locum defer-

deſertum, monſtravit eidem maximam quantitatem auri, unionum, gemmarum, & aliarum divitiarum, & dixit illi: Omnia iſta tua ſunt, quia iſta ſunt meæ filiæ, ut autem nullus eam in Matrimonium acciperet propter pecunias, hoc hucuſque nec meæ filiæ nec ulli alteri patefeci, ſed ſecretum tenui. Et ecce! ità ille cum tantis divitiis jam propriis, vidit ſe junctum Matrimoniô uxori virtuoſæ, prudenti, & pulchræ, totâ ſua vitâ plenus lætitiâ & gaudiô in Matrimonio.

IX. Tali modo Matrimoniô omnes inter ipſas etiam calamitates, & ærumnas fruerentur, ſi intentio fieret ad quærendum ex toto DEUM. Ità facerent (ſicut navis) iter etiam cum ventis contrariis ut pervenirent poſt conflictus Pelagi ad gaudia, & profectus emolumentorum, & fructuum, qui ſolummodo obtinentur in æterno portu gloriæ.

INSTRUCTIO III.

De æqualitate, quæ requiritur inter Conjuges, ut bonum ſiat Matrimonium; & quod pro illo contrahendo filii debeant accipere conſilium à ſuis Parentibus.

Die 10. Octobris, In Feſto Sancti Franciſci Borgiæ.

I. PRovidentia ſolùm DEO propria eſt, qua ſuper minimas etiam aëris aviculas ſolicitè intendit. Illud tamen præprimis admiratione digniſſimum eſt, quòd ſuper viliſſimis quoque brutis ſolicitudine quadam ſingulari adeò vigilet, ut ſpeciali quodam modô ea defendere, eorúmque curam gerere videatur. Itáne DEUS pro brutis ſingulare quid diſponere ſolet? Itáne unquam circa illa legem tulit, aut præceptum ſtatuit? Ità hoc videmus ore Divino pronuntiatum ac ſancitum Deut. 22. v. 10. *Non arabis in bove ſimul & aſino.* Igitur ibi DEUS agricolis præcipit, nè pro aratro aſſumant, atque ſub idem jugum bovem cum aſino mittant. Atque hic vos ipſos conſulo: num abjectius quid bove aut aſino dari poſſit? uterque jumentum eſt, ac proinde ſi utrumque pro vertenda terra ſub jugum ducas, aratro jungas, quid intereſt? multùm ſanè. Etenim Bos & Aſinus corporis mole impares, viribus inæquales, in incedem-

cedendi modo dissimiles, ac in omnibus denique diversi sunt. Quare si ambos sub unum jugum mittas, ad temonem æques; aut duplicem bos laborem subeat, aut succumbat asinus, aut demum ad effusionem usque sanguinis recalcitrent, atque ipsum confringant jugum, necesse est. Nimirum bos & asinus par valde dispar sunt; *Ideò non arabis in bove simul & asino*, Bovem & asinum in uno jugo non jungas. Legem piissimam! Sed quid? an pientissima hæc DEI Providentia ad sola se bruta extendit? Neutiquam: quin potiùs, ùt plures Scripturæ interpretes docent, pro brutis legem tulit, quam in Matrimonio præprimis adimpleri cupit. In Matrimonio, inquam, quod ideò *Conjugium* dictum est: quia duos, ut una caro fiant, conjungit, & sub uno *jugo* (sub quo illos gratia ligat) ad perferenda simul eadem onera tenet, eidem aratro, eidem terræ operandæ alligat, ad producendos æternitatis fructus. In Matrimonio igitur complacet sibi DEUS in æqualitate, & similitudine Conjugum, quæ illis suaves labores, atque ex istis optima frui messe faciat. Quod si verò illa desit, quid ex Matrimoniis sequitur? hoc nempe, quod in dies experimur, quodque dudum Poëta cecinit:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

Unde fiunt permulta conjugia intolerabile jugum, sub eóque molestiæ infinitæ sustinendæ sunt, quæ suam nonnisi à Conjugum inæqualitate originem trahunt. Quanta cura, quanta industria adhibetur, quousque pro rheda aliqua equi similes & æquales comparentur. Quis cum uno mulo albo, & altero nigro; cum asino & equo prodire in publicum audeat? omni cognitione, ac diligentia eò incumbimus, ut non magnitudine tantùm, sed & forma & specie, non specie tantùm, sed & robore, nec robore tantùm, sed & fastu & apparatu equi conformes & æquales colligamus. Atque utinam curam hanc, quam brutis, sedulam hanc attentionem, quam bestiis impendimus, in ineundo quoque Matrimonio adhiberemus! Quàm multi, si huic æqualitati, (nubere nimirum pari) studerent, versus DEUM in hoc statu pergerent, à quo salus animæ dependet. Neque meum hoc esse effatum existimetis, est enim Magni Ambrosii, à quo, cùm Parens quidam, qui filium suum jungere Matrimonio intendebat, consilium petiisset, hoc ab ipso in paucis multum re- II.

ſponſum tulit: *Conjugium vis inter filios noſtros componere? quero utrum pares copulandi, an impares ſint?* In hoc cardo vertitur; ſed ſcio, quòd quantumvis pares non ſint, tamen pares eſſe dicantur: *Sed, nisi fallor compares appellari ſolent.* Quidquid hoc ſit; dico ſolùm: quòd ſi ex aratro lucrum referri velit, bene respicitur ad æqualitatem boum, pro curru attenditur in equis paritas; quidni etiam ad idem attendendum erit in hac aratione, quæ totâ durat vitâ, in hoc curſu, quo in æternitate ſiſtemur? *Boves qui jungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit, & ut ætas conveniat, & forma; nec natura diſcrepet, nec decoloret diverſitas.* Inde ergo emergit id, quod evidentes experientiæ nobis demonſtrant in multis funeſtis Matrimoniis. Iſta inæqualitas Sanctum hunc ſtatum & intolerabile jugum efficit, & multas familias in vita non ſolum miſerè excruciat, ſed etiam poſtmodum per omnem ætatem in infernum præcipitat. Etenim ſi in annis, in ætate multùm differant, quid aliud, niſi in conjuge juniore tædium & faſtidium, in ſeniore ſuſpiciones, ac zelotypia, ſequi poteſt. Si in ſtemmate multum diſcrepent, quid aliud continget, niſi ex parte Nobiliori vilipenſio, contemptus, contumeliæ, ex altera confuſio, pœnitudo, & afflictio ſpiritûs? Si in educatione, in moribus multùm diſſimiles ſint, quid aliud, niſi iræ, rixæ, diſſenſiones, ſperari poteſt? ſiquidem cum diverſi ſeſe genii ex ipſo naturæ impetu mutuò averſantur, exinde etiam in Matrimonio perpetuus offenſionum fomes gliſcat neceſſe eſt. Si denique, quod peſſimum eſt, Maritus ab Uxore in vitæ norma toto cælo diſtet, quæ unio, quis nexus inter corda adeò remota dari, aut conſervari poterit? Surculus, ut bene creſcat, teſte Ariſtotele & Plinio, oportet obſervare æqualitatem in plantis, quæ inoculantur vel inſeruntur, tali modo, ut obſervetur, quæ in cortice, quæ in fructibus, quæ nucleo, vel ſemine aſſimilentur, quæque eodem tempore anni fructum proferunt. In tali planta cito inhæret ſurculus, attrahit omnem trunci ſuccum, & uterque una arbor facta, fructus proferunt gratiſſimos: *In ſymbolicis facilis eſt tranſitus*, dixit Ariſtoteles. Quòd ſi autem hoc non fiat; ſi viti inſeratur pyrus, ſi ficui pomus, poſt inoculationem arefiet una cum altera, & locò dulcis fructus, ſicca pro igne ligna proferent. O quàm plurimos multa Matrimonia ſurculos aridos velut titiones pro inferno præparant! ac proferunt ob ſuam ipſorum diſſimilitudinem, & inæqualitatem. Eve-

Evenit (quod & ego ſæpius contingere video) dicit Tertullianus; evenit in non paucis domibus, quòd ſi inſpiciantur Conjugum mores, Maritus & Uxor videantur duarum diverſarum Religionum: Hæc Catholica, ille fermè Atheus. Uxor propendet tota ad pietatem, ad devotionem: Maritus totus ad avaritiam, ad libidinem, & ad prodigalitatem. Hæc ad frequentem Sacramentorum uſum, ad aſſiſtentiam in Templis, ad fervorem Orationis; ille ad totalem DEI oblivionem, ad luſum, ad perditionem. Et quid de Chriſtianiſmo? Neſcio; an unica Confeſſio intra annum peragatur. Quænam Matrimonia erunt iſta? Audite. Quidam Carbonarius, dicit Æſopus, quamdam Lotricem convenit, ſéque illi cohabitare velle, innuit. Cui Lotrix re bene perpenſa hoc Carbonario reſponſum dedit: Videſis, an noſtris ambo opificiis, aut quam exigis, cohabitationi cedamus neceſſe eſt; vivere ſimul non poſſumus: Etenim quæ ego lavando candefacerem, tu poſtmodum, dum carbones effundis, deturpares denuò, ac defædares nigro pulvere, atque ſic ſemper in aſſum laborarem; quo ex capite fieri inter nos cohabitatio non poteſt. Atque hic pravum Maritum, cui proba Conjux eſt, ad vivum adumbratum habes. Summa certè, ùt Tertullianus maturè trutinat, miſeria eſt, ſi Maritus perverſis moribus (fuligine infernali) infectus Conjugi cohabitet, animæ puritati ac conſcientiæ candori debitæ. Quid enim faciat Mulier miſerabilis, cui dum ſalutem animæ operari vellet, à latere nigrum diaboli mancipium, depravatus Maritus, hæret, qui omnem vim ſuam in eo collocat, ut Uxorem retineat à bono, quod ipſe refugit, impediat à virtute, qua ipſe caret, cohibeat à DEI ſervitio, à quo ipſe abhorret. *Domine non poteſt Uxor fidelis pro diſciplina ſatisfacere, habens in latere diaboli ſervum, Procuratorem Domini ſui ad impediendа Fidelium ſtudia,* dicit Tertullianus lib. 2. de Uxor. Tales diaboli aſſeclæ ſunt Mariti omnes, quotquot Uxores ſuas vel ob negotia familiaria, & curas domeſticas, aliisve prætextibus fictis, ſubſannationibus amarulentis, illuſionibus impiis à virtutum exercitio retrahunt, atque ſic ſpernunt, quod æſtimare deteſtantur, quod venerari, impediunt, quod pro proprio etiam bono, & emolumento procurare ipſi deberent. *Si ſtatio facienda eſt, Maritus conducat ad balnea; ſi jejunia obſervanda ſint, Maritus convivia exerceat.* Et his ſtantibus quæ unio inter ani- III.

animos? Quæ pax in cordibus? & quæ in conſcientiis quies eſſe poteſt? *Quàm malè inæquales vitâ, & pietate maritant!*

IV. Quotiescunque Sanctum Evangelium lego, cauſat mihi horrorem ſimul & admirationem illa Vitæ noſtræ Chriſti JESU ſententia apud Sanctum Lucam cap. 17. v. 34. *In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & alter relinquetur.* In illa amara nocte (de Judicio loquitur) erunt duo in uno lecto, & ex eodem unus aſſumetur in Cælum, & alter demittetur in infernum. Terribilis caſus! Ex duobus, qui in vita, velut in nido pulli, conjuncti erant, unus erit præda accipitris infernalis, alter liber in altum evolabit? *Numquid iniquus eſt DEUS*, dicit Sanctus Ambroſius lib. in Lucam, *ut pares ſtudiis, & ſocietate vivendi, meritorum muneratione diſcernat?* Ex illis qui in iisdem laboribus & moleſtiis Matrimonii, in iisdem curis per totam vitam, ſimul vixêre, ſimul manducârunt, ſimul dormierunt, ultimato unus ad infernum, & alter ad Cælum? Ità eſt; quia unus prodegit & dilapidavit totam hanc vitam, omnes iſtas moleſtias, & labores per ſuos malos mores; alter autem ſcivit bene hæc omnia applicare pro comparandis meritis: *Non ergo merita hominum copulæ uſus exæquat.* Non obtinetur ergo gloria ex eo, quòd corpore ſimul vivant, aut quòd unus in hoc ſtatu antecellat; ſed in curſu æquali in virtutibus & piis operibus. Imprimite hoc cordibus veſtris, Conjugati; ex uno eodémque lecto, *Unus aſſumetur, & alter relinquetur*; Unus perget in Cælum, alter deſcendet in infernum. Interrogate veſtras conſcientias, quis ex duobus ille futurus ſit, quem terribilis inferni ſententia tanget. Interrogate veſtram vitam, interrogate & examinate mores veſtros.

V. Utinam nullum tangat; ſed ambo per æqualitatem virtutum, per paritatem meritorum ad cælum evolent! Atque iſta ſpes ſupereſt dum quis ſe videt errâſſe in Matrimonio. Fuerunt ſponſi inæquales in ætate? Magnus error. Fuerunt inæquales in ſtemmate? Majus infortunium. Fuerunt inæquales in educatione, & in donis naturalibus? Infortunium maximum. Attamen poſſunt vigore gratiæ, ope Divini auxilii, fieri æquales omnino in moribus, fieri æquales in meritis, dum invicem ſeſe ſupportant, invicem ſeſe lenes & placabiles exhibent. Valde inæqualem in Religione, & moribus fuiſſe Gregorium reſpectu ſuæ Uxoris Nonnæ, refert eorum proprius filius

us Magnus ille Sanctus Gregorius Nazianzenus; ſed Uxoris virtute diſcretione, precibus, & exemplis ità fuiſſe victum Maritum, ut illi fuerit Uxor: *Fidei & Pietatis Magiſtra:* ità Sanctus Gregorius Naz. Orat. 18. Magiſtra erat in Fide & Pietate, & tanto cum effectu, ut Maritus ex homine barbaro evaſerit Heros admirabilis; & Matrimonium illorum, dicit eorum Magnus filius, non fuerit vinculum ſolùm corporum, ſed cauſa maxima virtutum: *Non minùs virtutis, quàm corporum nexus erat.* Et ſuperatis multis, hi Sancti Conjuges, inter ſe erant æquales, nullus alteri ex ipſis cedebat in virtutibus victoriam: *Cùm alios vincerent, tamen ob virtutis æqualitatem, neuter alteri victoriam eripere poterat.* Pari modo quot Uxores Sanctæ emendârunt Maritos diſcolos, & perditorum morum per orationes, per preces, exhortationes, & exempla? Monica Maritum, qui bruto ſimilior, quàm homini erat, Cæciliã Valerianum; Natalia Adrianum; Sed quid dico? Clotildis Clodovæum cum tota Gallia; Indegundis Hermenegildum cum tota Hiſpania; Theodolinda Aguilulphum cum omnibus Longobardis: & aliæ millenæ Uxores virtuoſæ poſſent recenſeri, queîs in virtutibus æquales effecti ſunt Mariti. Hoc omnino erit allicere felicitatem ad propriam Domum, totam fortunam ad ſuum Matrimonium, & ad ſuum amorem nexum, quem non ſeparet æternitas. *Solius DEI cultus, eſt amoris, & benevolentiæ vinculum indiſſolubile*, dixit valde bene Magnus ille Philo lib. de Mund. Solus amor DEI, ſolum DEI ſervitium eſt vinculum indiſſolubile amoris; quia ſicut radii intra aliquam rotam, quantò magis recedunt, & elongantur à centro magis intrà ſe diſtant; & quantò magis centro propinquiores ſunt, tantò magis intrà ſe uniuntur; ità duo Animi, quantò viciniores ſunt centro (DEO) eidem permanebunt intrà ſe tantò fortius, & felicius unitæ. Tali modo certè conſtitutus fuit ille Sanctus admirabilis Conjux, cujus hodie celebramus feſtivitatem, Magnus Borgias; qui jam in Cælo coronatus, fruitur illâ beatitudine, de quo ſecurè ſperamus, quòd pariter illâ fruatur ejus Sancta Duciſſa. Ibi magnum illum dolorem, & lacrymas, quas Sancto Duci expreſſit illius mors, jam recompenſabunt æterna gaudia. Induebatur veſtibus illa magna Duciſſa Gandiæ tam modeſtis, ſinè omni mundana pompa (in qua ſolet conſtitui diſtinctio perſonarum, quando potiùs ſe exponunt

variis dicteriis) ut omnes mirarentur. Incedebat ergo expers omnino illius ornatus, qui ad pompam ſpectat; quamobrem admirans quæſivit ex illa alia Domina paris qualitatis, quare ſe adeò humiliter, & ſinè debita veſtimentorum pompa gereret? Cui illa: quia videndo DEUM mihi dediſſe pro meo Capite & Marito Virum opertum ciliciis, & quærentem in ſe, & in omnibus ſuis rebus humilitatem & abjectionem, & contemptum Mundi, non poſſum ipſamet illum in hoc imitari. Hoc dicebat, hoc faciebat Uxor Vice-Regis Cataloniæ; & ſic hi duo Sancti Conjuges repoſuerunt coronam ſuorum meritorum in æqualitate ſuarum virtutum.

VI. Iſta ergo æqualitas inter Conjuges, cùm omnis futuri ab ea Matrimonii felicitas dependeat, omni poſſibili modo attendi debet. *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Visne bene & commodè Matrimonium inire? Duobus tibi conſulo verbis: Nube pari; contrahe Matrimonium cum æquali. Attamen quòad filios, & filias, qui adhuc ſunt in domo, & in poteſtate Patris, ſtatuit ipſum jus gentium, Parentum eſſe providere illis de Matrimonio congruo. Ità pariter hoc ſtabiliunt antiqui Sacri Canones; in tantum, ut Sanctus Evariſtus Papa, Sanctus Leo in capitulis, 1. & 4. *Aliter*, & *Qualis*, XXX. q. 5. noluerint ut Uxor nominaretur, quam Parens ſponſo non tradidiſſet. Etiam in Sacris Litteris hoc onus Parentibus imponitur: *Trade filiam, & grande opus feceris; & homini ſenſato da illam*; dicit cap. 7. v. 27. Eccleſiaſticus. Et Sanctus Paulus 1. ad Cor. c. 7. v. 38. *Qui Matrimonio jungit Virginem ſuam, benefacit.* Hinc Parentibus in S. Script. ùt Deuteron. cap. 7. præſcribebatur modus, quo debebant Matrimonio jungere ſuas proles. Et hoc ideo, quia in negotio tam gravi, & in quo tantum eſt poſitum, Parentes majori prudentiâ, majori ſapientiâ, majori experientiâ attendent ad ætatem, ad qualitatem, ad educationem, ad mores, à quibus omnibus vel maximè dependet felix Matrimonii ſucceſſus. Non idcirco tamen negaverim, quòd, ut ſit verum, & validum Matrimonium, non ità neceſſarius ſit conſenſus Parentum, ac ſi ſinè illo Matrimonium nullum & irritum foret, & filii ſinè illo non remanerent Conjugati; ùt loquitur Th. Sanchez tom. 1. l. 4. de Matr. D. 23. n. 8. & Doctores cit. n. 9. ſed in hoc filios habere integram omnino libertatem, omnes ſciunt; & multò magis, ſi vel ob vile intereſſe, volunt illos Matri-

Matrimonio jungere Parentes cum improbitatibus, vel, ſi ob vilem & turpem avaritiam multos annos tranſire permittant, abſque eo quòd illis de congrua occaſione & ſtatu proſpiciant. Sed ſi hoc non contingat, & tamen contrahatur Matrimonium à filio, vel filia, exiſtentibus Parentibus in vicinia, ſinè facta illis intimatione, ſinè petito eorum conſilio, vel quod pejus eſt, cum illorum gravi disguſtu & moleſtia, committetur graviſſimum peccatum mortale, & contrahitur plerumque per tale initum eorum Matrimonium omne infortunium, & maledictio.

VII. In vita Sancti Baſilii Magni refertur apud Surium tom. 1. die 1. Januar. ex Amphilochio. Senatorem quemdam Nobiliſſimum Proterium nomine, habuiſſe unicam filiam, centrum Paterni affectûs quam intimè complectebatur, & vel ob negligentem illius educationem, vel per malas Erebi fraudes & aſtutias famulorum quidam deterioris conditionis (quæ infortunia ſæpius deflentur, & rariſſimè impeditur debitâ ſagacitate & prudentiâ ſtultum illud, *quis cogitaſſet!*) à diabolo in amorem puellæ raptus, ſcivit ope & auxiliò dæmonis, cui ſe ſubſcripſerat, mira dexteritate ſe intrudere in affectum puellæ, à qua brevi amorem reciprocum ſibi adeò lucratus eſt, ut eruperit in rumorem ſcandaloſus cuniculus, qui per occultum meatum ducebatur. Tandem illa non minùs effrænis quàm cæca, ad Senatorem ſuum Parentem accurrit, & mixtis lacrymis verbis & ſingultibus, corruens in terram, cœpit his vocibus compellare Patrem: Miſerere, miſerere mei Pater! quia dirè crucior illius ſervi amore. Miſerere viſcerum tuorum, demonſtra mihi unicæ filiæ tuæ, paternum amorem, & junge me puero, cujus amore ardeo. Quòd ſi id facere nolis, videbis me pòſt paululùm acerbâ morte exanimatam, & in die judicii Chriſto pro mea Anima rationem ſeveriſſimam reddes. Stetit Pater ad talem petitionem attonitus, & hæc audiens, cum dolore & lacrymis dixit: Heu me miſerum! quid accidit infelici filiæ meæ? quis meum theſaurum furatus eſt? quis meam filiam contaminavit? Quis dulce oculorum meorum lumen extinxit? Ego Cæleſti volebam te Sponſo conjungere, & tu laſcivos inſaniens meditaris amores: noli deducere ſenectutem meam cum dolore ad inferos, neque Parentum tuorum nobilitati ignominiæ notam inuras. Illa verò Patris monita pro nihilo ducens, inſtanter vociferabatur:

Pater

Pater mi! aut meum comple deſiderium, aut paulò poſt extinctam me videbis. Pater itaque præ nimio deficiens dolore animi, & immenſo mœrore abſorptus, amicorum quoque cedens conſiliis, hortantium ut ejus morem gereret voluntati, nè ſe ipſam perderet, juſſit fieri quod ipſa petebat, nè ſibi ipſi exitium adferret. Adduxit ergo ſervum ad filiam, tradénsque eis omnem ſubſtantiam ſuam dixit filiæ: Vade filia verè miſera; multum quandoque lugebis, cum te olim hujus facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris. Initô igitur iniquô Matrimoniô, & eô mali dæmonis facinore perpetratô, cùm non multùm interceſſiſſet temporis, animadverſum eſt à quibusdam, ſervum illum & jam maritum non ingredi in Eccleſiam, neque accedere ad immortalia & vivifica Myſteria, dictúmque eſt infelici Conjugi illius: Noſtin' virum tuum, quem tibi delegiſti, nullatenus Chriſtianum, ſed à Religione extorrem, & genii plùs quàm brutalis eſſe. Quod ut illa audiit triſtitia & mœrore perfunditur, mente emovetur, humi ſe proſternit, ſuis ſeſe unguibus lacerat, pectus tundit, ac ſæpius inter gemitus & ſingultus clamitat: Nemo qui Parentibus non obedit, ſalvus unquam fuit; Nullus unquam proſperam fortunam habuit. Quis Patri meo annunciabit ignominiam meam? Heu miſeram me, in quantam me perditionis voraginem demerſi! Cur in lucem edita, aut cur non in prima ejus uſura iterum continuò extincta ſum? Ità illa in calamitatibus, paupertate & amaritudine animæ miſerrimè hanc vitam traduxit. Faxit DEUS ut felicem in altera & beatam æternitatem ſortita ſit! Et quod ſi, ut hanc obtineant, quotquot in conjugali ſtatu conſtituti ſunt, ad ſervitium DEI, ad exercitium virtutum mutuô & pari ſtudiô conſultò incumbunt; utinam Conjuges omnes in piis & bonis operibus ità decertarent invicem, prout par columbarum, dum ex uno nido prodeunt, mutuô alarum remigio ſe ſe æmulari videmus!

VIII. O utinam in domo qualibet in iis quæ DEO placita ſunt pari ſtudio inter ſeſe contenderent Conjuges, atque æqualiter currerent ſtadium virtutum! aſcenderent certè ad ſublimem Cæli Regiam, celſiſſimúmque ibi obtinerent gradum gloriæ.

INSTRU-

INSTRUCTIO IV.

Quomodo Nuptiæ celebrandæ sint. Et quod Dos optima sit Sponsæ probitas.

SI Alexandro ab Alex. habenda fides sit, olim totum omnium Nuptiarum initium *ignis* & *aqua* fuit; queis quidem Elementis non videtur ineptius lætitiæ signum assumi potuisse: Romanis tamen prima cæremonia fuêre, à qua in ipso sponsi limine cum communi omnium Tripudio sponsalia auspicabantur. ità cit. Alexander lib. 2. Gen. c. 5. In ipso igitur limine una ex parte *ignem*, *aquam* ex altera ponere, ac per utrumque hoc Elementum manum Sponsi sensim ducere consueverant. Quo in actu hoc inprimis indigitare volebant: Sponsis omnia in futurum bona inter se communia esse debere: prout *ignis & aqua* omnibus communes sunt, atque ad communem omnium usum deserviunt; Siquidem, ùt ait Sanctus Chrysostomus Hom. 20. in Epist. Ephes. quos inter *Meum*, & *Tuum* viget, his pax & tranquillitas nulla esse possit. Dein quemadmodum *ignis* & *aqua* non vitæ solum principium, sed fæcunditatis etiam radix sunt, ità inde proliferum sponsis Thorum ominabantur: fæcunditas namque summum Matrimoniis gaudium & lætitiam adfert. Ac demùm, cùm Elementa hæc *simplicia* (ac proin non *mixta*) sint, sponsis per ea conjugalis fidei, ac Thalami purè & immaculatè servandi memoriam inculcabant, in cujus integritate omnis Matrimonii decor & splendor consisteret: *Et Thorus immaculatus* Hebr. cap. 13. v. 14. Hæc Romanis intentio, hic finis erat. Ego penes sic autumo: Præsagiebant sponsis ignis & aqua integrum, quæ in conjugali statu emergere solent, molestiarum, atque onerum agmen, per quod ipsi transire & comparare sibi etiam gloriam necesse haberent. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psal. 65. v. 12. Vel certè dum ad ingressum, in limine ignis & aqua ponebatur, dabatur sponsis optio, num in ipso statim Nuptiarum principio per bonum aut malum Matrimonii usum, omnem vel secundam, vel adversam fortunam eligere velint: *Appone tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam.* Eccles. cap. 15. v. 17. ità illi per ignem & aquam nuptias adibant. Et istæ I.

etiam nobis hodie ad uſum Chriſtianum examinandæ ſunt. Sanè non ſcio, an inter nos ab igne ardentis libidinis, an verò ab aqua caſtæ puritatis incipiant; neſcio, an ſuum ab igne feralium diſcordiarum, an verò ab aqua felicis concordiæ initium ſumant; neſcio, an illic ſubrepat ignis infernalis, an vero æternæ aqua gloriæ. Hæc omnia fieri videmus nunc inter gentem plebeiam, & vulgarem; nunc inter eos, qui altioris, imò etiam Nobiliſſimæ conditionis ſunt.

II. Mirabatur ſuô ævô non ſinè lachrymis Sanctus Chryſoſtomus petulantias profanas, celebritates laſcivas, quibus à multis Chriſtianis Nuptiarum dies celebrabatur. Multum conqueſtus, tandem hanc notatu digniſſimam ſententiam edidit: *Matrimonium non eſt theatrum, ſed Sacramentum*; Hom. 12. ad Col. Et quid per hoc dicit? nimirum quòd in exhibitione Comœdiæ ſolummodo attendatur ad pompoſos apparatus, ut adhibeantur tapetes, induantur pretioſæ veſtes, ut ſe exornet ad excitandos in aliis carnis ſtimulos aliqua abjecta mulier; affectantur geſtus, ſigna fiunt, & provocationes ad laſciviam; Quàm optimè excogitat ſuas ſcurrilitates Paraſitus? implentur hominibus otioſis pergulæ, turmatim concurrunt curioſi, proferuntur facetiæ, ac per omnia denique videndæ diſſolutiones ſunt. Apage: hoc diaboli inventum eſt. Solet in theatro fieri, quod ſervit mundo & carni, pro aliquo poſt ſe relinquendo, neſcio an oblectamento, an veneno dicam. Sed Matrimonium, dicit Magnus Chryſoſtomus, non eſt theatrum, eſt Sacramentum. Non eſt inventio diaboli, eſt Myſterium excellens JESU Chriſti; non eſt repræſentatio impudicitiæ, eſt ſignum admirabile gratiæ. Attamen quòd hoc Sacramentum, hoc ſignum gratiæ inter Chriſtianos celebretur frequenter, ac ſi infame laſciviarum theatrum eſſet, eheu rem ſanguineis deplorandam lachrymis! Solùm attenditur illo die ad profanitates, ad ornamenta pretioſa, ad irritationes, ad libertates, ad audiendas turpitudines & ſcandala. Similia contingunt. Et quod ſi inter Chriſtianos Matrimonium in ſuo principio ad modum Gentilium ineatur, quid mirum: illud (ſileo medium) in fine adeô funeſtè terminari?

III. Nónne verum eſt Dilectiſſimi, quòd hiſce temporibus ex parte ſponſæ pro die nuptiarum, nihil niſi pompa profana, aut decora & fucata ſpecies procuretur? & in hoc quot curæ prodigæ, quot co-

gitæ

gitationes perditæ, omnes quò ad corpus, omnes quò ad veſtimenta pretioſa conſumi ſolent? Et quid pro Anima? illius pulchritudinis, illius ornamenti memoria non habetur: *Quarum non ſis extrinſecus capillatura*, dicit hìc Princeps Apoſtolorum, ſimilibus ſtultis deſponſatis, 1. Pet. cap. 3. v. 3. *aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Scitisne dicit meus Pater Sanctus Petrus, ſcitisne quale ornamentum pretioſiſſimum & ditiſſimum, quæ veſtis pulcherrima ſit? Hæc non criſpatione affectata capillorum, nec in ſplendoribus auri, nec in annulis, nec in pectoralibus, nec in brocatis & ſericis veſtibus, phrygia acu elaboratis, ſed in excellentia morum, in munditie & puriſſimo ſplendore conſcientiæ conſiſtit; *Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritûs, qui eſt in conſpectu DEI locuples*, ibid. v. 4. Hæc omnino eſt pompa & veſtis ditiſſima, quia coram oculis DEI fulget. O vocem verè dignam Apoſtolo! exclamat Sanctus Hieronymus apud Fernand. in c. 29. Gen. Sect. 10. *O verè digna vox Apoſtolo, & petra Chriſti!* Sed penitus Animam negligere, obliviſci ex integro DEI, non habere rationem Sacramenti eô ipſiſſimô die, quô percipitur, conſumere omnes cogitationes & illas defigere in vanitate, tantùm aliorum oculos paſcere, ab aliis ſibi applaudi velle, & totum denique ſtudium in eo quod diabolus aufert, non verò in gratia, quam DEUS tribuit collocare, qualem hæc, & ſimilia benedictionem merebuntur? Quid ſperandum à tali principio eſt? Quænam eſt vera pulchritudo? Illáne quam ætas aufert? Quam morbi corrumpunt? Quam fucimentiuntur, & anni conſumunt? An verò, quam in Anima æterni ſplendores aſſecurant? Audite Spiritum Sanctum apud Eccleſiaſticum cap. 26. v. 19. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata.* Mulier virtuoſa, modeſta, verecunda, compoſita, eſt omnino pulchritudo ſuper omnem pulchritudinem, eſt gratia ſuper omnem gratiam. Duplex eſt pulchritudo, quam nec mors deturpare, nec tempus perdere poterit. Interrogârunt Pithiam, filiam Ariſtotelis, quo colore tinctæ genæ pulchræ conſervari poſſent? & promptè reſpondit: *Colore verecundiæ.* Hoc ergo in deſponſata, more Chriſtiano, ornamentum, iſta in illo die ejus optima pompa, & mundus muliebris eſſe debet.

IV. Etiam Pavo gemmantes expandit colores, adverſo maximè ſole, quia ſic fulgentius radiant, omnésque in acervum contrahit pennarum, quæ ſpectari gaudet oculos. Rotat ſe ipſum in gyros, & quaſi quamdam pompam agit pulchritudinis ſuæ: quando videlicet admirabilior apparet ad ſplendorem ſolis, variantibus ſe coloribus, & paulatim in alios, atque alios tranſeuntibus, aliámque ac novam formoſitatis ſpeciem recipientibus: ubi qui antea æreus viſus fuit, mox dum ſe paululum inclinat, aureus conſpicitur; & rurſum: quod ad lucem apparuit, ſi ſub umbram tranferat, viride videbitur. Pulcherrimum hoc ſpeculum in cauda Pavonis qui aſpicit, arrogans illud animal depereat, neceſſe eſt. Cum hoc ſi apiculam compares, quæ in aëre ipſos ferme oculos fugit, quæ ab uno flore ad alium, ab uno prato ad aliud induſtriè ſeſe confert, quis illam æſtimet? Attamen plus momenti habet, plus valet apiculæ, quæ vilipenditur pes unicus, quàm integra, qua ità ſe jactitat, Pavonis cauda. *Brevis in volatilibus eſt apis*, dicit Spiritus Sanctus Eccleſiaſt. cap. 11. v. 3. *& initum dulcoris habet fructus ejus.* Eſt certè apis DEI opus, tam rei dignitate præſtans, artis ſublimitate limatum, operis perfectione abſolutum, quàm humanis ſenſibus tenue, rude, & impolitum videri ſolet. Apis parva eſt, humilis, ſinè pompa, ſinè ambitione eſt; tamen mel ejus inter dulcedines primatum tenet. Solicita, laborioſa, atque in labore indefeſſa eſt, & velut ratione polleret, Rempublicam habet. Ceram DEO, & in Aris lumina, menſis hominum dulcem mellis ſaporem miniſtrat. Atque hæc omnia affirmare auſim in ſponſa pia & proba adunata eſſe. Sed in Pavone, ſi pennas excipias, quæ vento rapiuntur, quid boni invenies? nihil: *Præter pennas nihil in Pavone placebit*, canit Ovidius. Ab Authoribus animal non glorioſum tantum, & arrogans traditur, ſed & malevolum. Ipſæ pompoſæ illius pennæ, quò ampliores ſunt, eò minùs ad volandum deſerviunt, dixit Ariſtoteles. Pruriens & ad laſciviam propendens colores expandit, dixit Celius. Non eſſe animal eò invidioſius, dixit Opinianus. Carnes Pavonis omnium minimè comedi poſſe, dixit Gernerius.

V. Jam averſis ab eo, quod ſolùm mundus contemplatur, ac fixis in eo oculis, quod DEO beneplacet: Gratularer ego in die Nuptiarum Sponſo, ſi potitus ſit non Pavone elato ac ambitioſô, ſed apiculâ

culâ induſtria, indefeſſa, ac morigerâ. Ter fortunatum te! (dicerem illi) quòd in hac ſponſa optimam hæreditatem obtinueris; talis enim eſt ſine omni alia dote Uxor prudens dicit Spiritus Sanctus Eccleſ. 22. v. 4. *Filia prudens hæreditas viro ſuo.* Ab hodierna die cum hac conſorte intras in poſſeſſionem, non ſubſtantiæ ejus tantùm, ſed & omnis felicitatis: *Qui poſſidet mulierem bonam*, dicit rurſus idem Spiritus Sanctus Eccleſ. c. 30. v. 26. *inchoat poſſeſſionem.* Jam ab hora, cum iſta, quæ dimidium debet eſſe tuæ vitæ, lucraris non ſolùm mediam vitam, ſed vitam duplicem; hoc enim eſt mulieri bona fortunato & felici Marito; dicit ipſamet Veritas æterna Eccl. c. 26. v. 1. *Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum illius duplex.* Inveniſti jam cum tali ſponſa bonum, dicit tibi Salomon; & quale bonum? Omnia bona, quandoquidem in virtuoſa Muliere omnia coadunantur. *Qui invenit Mulierem bonam, invenit bonum:* Prov. c. 18. v. 22.

VI. Attamen (neque enim penitus improbo) celebrentur Nuptiæ in ſummis lætitiis, inſtituantur convivia, reſonet Muſica, atque inter feſtiva tripudia Hymenæus tranſigatur. Hoc namque Chriſtianos minimè dedecet: quin potius opipara convivia, & genialem lætitiam in feſtis connubialibus apud omnes omninò Nationes ipſa videntur naturæ lege introducta fuiſſe. Ità enim non ſolùm apud Græcos & Romanos hunc diem celeberrimum; ſed etiam apud nationes maximè barbaras ſemper ſolenniſſimum fuiſſe teſtatur Alexander ab Alex. l. 2. Gen. c. 5. In ipſa Sacra Scriptura Laban, Tobias, Eſther in die deſponſationis celebrâſſe convivia leguntur. In Evangelio etiam ſolo nomine nuptiarum, magnifica convivia intelliguntur: *Homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo*; Matth. 22. v. 2. Qua quidem de cauſa honeſta convivia, queîs homines probis ſpectatisque moribus adhibentur; imò choreæ etiam ad Religionem, & honeſtatem Chriſtianam compoſitæ, minimè reprobanda ſunt: Ea verò in quibus diſſolutiſſima libertate in dicta & facta erumpitur, unde præſentium oculi pariter & animi offenduntur; Ea in quibus ingrediens quisque, aut exiens carpitur, traducitur, irridetur; Ea denique, in quibus nihil niſi quod dictu turpe, aut quod inhoneſtum factu videtur, longè à Chriſtianis Nuptiis exulare debent.

VII. Etiam Tobias cum ſplendido convivio ſuas Nuptias celebravit. Sed quomodo? *Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant*, dicit Divina Scriptura Tob. 9. v. 12. Cum timore DEI, qui coronata inter pocula genialem lætitiam moderabatur, Perſæ quoque, ut Plutarchus refert in præcept. Conjug. dum lautis Regis & Reginæ Conviviis accumbebant, limites tamen honeſtatis, quamvis Barbari eſſent, non excedebant. Ideo, dum propemodum inebriari, atque ad laſciviam effundi cœpêre, cautum erat, ut cum ſuis Regina Domicellis in ſuum ſe Conclave ſeorſim reciperet, quo ardentis libidinis fomes extingueretur; indecorum rati, ut talibus diſſolutionibus honeſtæ fœminæ intereſſent. *Quòd ebrietatis, & libidinis ſua participes fieri uxores nolunt*, ait cit. Plutarchus. Atque de hoc plura non dico. Sed quid ſi ſponſi peccati mortalis conſcii, quin prævie confiteantur, hoc Matrimonii Sacramentum percipiunt? O errorem adeò inveteratum propemodum, ut à nemine conſcientiæ ampliùs duci ſoleat. Eſt Matrimonium Sanctum Eccleſiæ Sacramentum, illúdque in ſtatu peccati gravis ineuntes, ſacrilegium committunt. Refert Marchantius Lubicæ (antiqua Arragoniæ civitas erat) dum in ſummo jubilo Nuptiæ celebrabantur, ſubitô, neſcio unde, ignis flammam advenisſe, atque (magnum fuerit Convivarum ſcandalum) centum & octo utriuſque ſexûs perſonas conflagrâſſe. Soli ſponſi incolumes mansêre, qui cum die illo confeſſi erant ad percipiendum Matrimonii Sacramentum, ideo credebantur mortem evaſiſſe, quia in gratia DEI exiſtebant. Similes ignes ſi ad omnes Nuptias, queîs venus præſidet, immitterentur; quàm multa Matrimonia quàm citiſſimè in cineres diſſolverentur? Equidem conſecretur geniali lætitiæ Nuptiarum dies; ſed dicta, facta libidinoſa, ſaltus laſcivi, aliáque ſcandala abſint, quæ omnia communem non rarò lætitiam triſti exitu terminant.

VIII. Refero quemdam ſtupendum eventum quem elapſi ſæculi eſſe, in memoriam reducit noſter Pater Engelgrave; Luc. Evang. 1. P. Domin. Pſalm. §. 2. Et adducit authorem, qui ex ore ipſiſſimorum habet, qui tragædiæ interfuêre; & eſt Pater Mathias Pauli Prior Ordin. Sancti Auguſtini; ità ergo Religioſus ſcriptor commemorat. Pariſiis, Civitate Regia Galliæ, ab hinc annos duodecim, regali luxu nuptiæ inſtruebantur, quas perſonati hiſtriones eleganti tripudio

dio exhilarare, & adornare ſe velle ſimulabant. Admiſſi ſunt, & acceptâ licentiâ ſe accingunt; inter convivas interim mira ſuſpenſio, ſumma expectatio. Jubentur Tubicines inſtructi præmittere ferale Taratantara; tum ità lamentabile canere, ut vocant Muſici, *Lamentevole*, ut nec quidem in Orphei monumento cecinerint ſimile triſtes luſciniæ. Mox larvati Salii, præmiſsâ lugubri reverentiâ, corpus ſilenter erigunt, pedem cunctanter trahunt, brachia lateraliter affigunt, gyrantur in triſtes Choreas, ad modum mortualium quorundam ſceletorum; jam in triangulum acuminati, jam in quadrilaterum quadrati, jam in circulum decircinati, jam prolongati in lineam, jam in amæbeam bipartiti choream. Mirè ergo convivas omnes, & inter illos quàm maximè ſponſum oblectârunt, qui, cùm ludô peractô, non ſemel eos, ut larvâ poſitâ accumberent, officioſè invitâſſet, decretum ſibi eſſe dixerunt, palàm ſe toti conſeſſui nunquam manifeſtaturos; ut tamen ejus perhumanæ petitioni ſatisfacerent, ad conclave ab aliis ſecretum deduceret, illic ſoli ſponſo, perſonâ poſitâ, ſe veros vultus exhibituros. Ubi dum lautè cum ſolo Sponſo epulati eſſent, denuo ad convivas, tripudium mortuale proſecuti, gratiſſimo omnium ſpectaculo, regreſſi ſunt; ſcenicè larvatum, qui repræſentet cadaver immobile, impoſitum ſellæ efferunt, in medio chorearum ſiſtunt. Tum geſtiente totâ Convivarum corona circa elatum funus ſaliunt, & jam oculos lamentabiliter in cælum attollunt; jam flebiliter in terram dejiciunt, jam quaſi compatientes lachrymabiliter ſeſe aſpiciunt; jam quaſi gementes implicitos mutuò digitos antrorſum exporrigunt; jam quaſi ejulantes brachia lateraliter ejiciunt; jam quaſi præ dolore rigentes immobiliter ſubſiſtunt; jam quaſi indignantes faciem avertunt, jam quaſi cadentes in deliquium defluunt. Iſte cadaver ſcenicum accedit, & caput attollit; caput velut exanime recedit, placet hoſpitibus, rident. *Ille pedem attollit;* pes velut exanimis recidit, placet hoſpitibus, applaudunt. Ille utramque manum, pedem elevat, utraque cum impetu relabuntur placet hoſpitibus, cachinnantur. Benè mei hoſpites! ridete, plaudite, tripudiate! Ecce jam venit tempus, ut riſum dolor miſceat, & extremum gaudii luctus occupet. Tandem laverniones ut ſæpiùs ierant, & redierant, omnes ſe omnino ſubducunt, relicto in ſella ùt putabatur

batur ſociô larvatô, qui mortui partes egerat; hanc jam cæteris delapſis, dum Convivæ commovent, trudunt, vellunt, ut aſſurgere vellet, ad hæc omnia immoto larvam detrahunt; & ô ludum inſolentem! o ferales nuptias! ô execrabiles choteas! Ecce ſponſus verum funus exhibetur, eheu! ſinè ſanguine frigidus, ſinè vigore rigidus: compertúmque à Lavernionibus, ob Sponſam ſibi præreptam, aut impari traditam, mappâ ſtrangulatum fuiſſe, nunquam tamen auctor ſceleris cognoſci potuit. Quid ad hæc Auditores? Ecce uno die ſponſam! nuptam, viduam! Et ecce converſum nuptialem Thalamum in tumulum funeſtum, ſaltum in ſepulturam, & totum gaudium in luctum.

IX. Equidem conceſſerim id in vita corporis non ſemper contingere; in præſtantiori autem animæ vita ſi contingat, ut contingit, quàm majus infortunium erit? Denique: ſi ingreſſus Beatorum in Cœlum in Divinis Scripturis dies Nuptiarum vocatur, celebrentur noſtræ tali modo, ut cùm principaliſſimum illarum lætitiæ fundamentum gratia DEI ſit, prælibemus fauſtiſſimam illam diem, in qua nobis migrandum eſt ad celebrandas æternas nuptias in Gloria.

INSTRUCTIO V.

De primo bono Matrimonii, quod eſt Fides Conjugalis. Et de malitia Adulterii.

I. EAdem vox propter duplicem, quam habet ſignificationem, individuam modò animorum conjunctionem, modò inſtrumentum Muſicum denotat. Eadem voce mutuam Latini animorum concordiam, & ſuavem aliquem chordarum concentum explicant: Nam ſicut ex debita harum ſymphonia in inſtrumento Muſico ſuave quoddam melos reſultat; ità ex animis mutua concordia junctis, politicus quidam in aliqua Republica concentus naſcitur. Ità igitur vox Latina: *Fides* & conſtantem inter animos fidelitatem, & chordas in inſtrumentis Muſicis ſignificat; ideo indubiè: quia quemadmodum harum debita inter ſe concordia, totius harmoniæ; ità etiam inter homines fides humana & fidelitas ad

invicem bene cuſtodita, Rei Civilis & Politicæ vita ſimul & anima eſt, quæ illam conſervare debet. Porrò Si unica chorda diſſona (quam idcirco falſam vocant) omnem totius *inſtrumenti* ſymphoniam corrumpat, ac deſtruat; Et ſi unicus etiam in Politicis infidelis animus, qui ab aliis diſcordet, tantum non rarò nocumentum invehat, ut integra quandoque Respublica corruat; quid perturbationis infidelitas non adferet in dulciſſima duorum animorum harmonia, ac concordia; in conjugio? Eſt igitur fidelitas (benè ſervata fides) quemadmodum in Politicis pro omnibus commune; ità Matrimonii primum ac principaliſſimum *Bonum*. Juxta Sanctum Auguſtinum & Doctores omnes tria ſunt Matrimonii bona, quæ in eodem ſinè dubio propter malum ſui uſum in tria maxima mala degenerare poſſunt: *Fides*, *Proles*, *Sacramentum*. *Fides* inter Conjuges datur; *Proles* ob fœcunditatem; ob indiſſolubilitatem denique *Sacramentum*. *Bonum fidei* in hoc conſiſtit: nè vinculum conjugale cum perſona extranea habeatur. *Bonum prolis* in hoc: ut amanter ſuſcipiatur, & religiosè educetur. *Bonum Sacramenti* in hoc: ut conjugium non ſeparetur, & pars dimiſſa, nec causâ prolis quidem, alteri conjungatur. *ità Concil. Flor. in Decret. Unionis.* Hodie ſolum Bonum fidei conſiderabimus, quod *primum* dicitur: quia velut baſis & fundamentum eſt, quo onera Matrimonii unicè nituntur: hæc enim, ſi illa integra, & inviolata ſervetur, ùt plurimùm allevari, & faciliùs ab utroque conjuge mutuò ferri poſſunt.

Et quod ſi tota baſis in Commerciis, in emptione, venditione, aliisque Contractibus, imò in toto civili negotio fides humana eſt, quæ vel rite cuſtodita & integre ſervata mundum conſervat, & rupta & violata pariter integras Respublicas enervat & deſtruit! *Fidei numen certiſſimum ſalutis humanæ pignus*, ſicut dixit Valerius Maximus lib. 6. cap. 6. quòdque nobis ſole clariùs experientia demonſtrat; quid hæc eadem Fides in illo contractu operabitur, qui intra unam eandémque domum, in eodem thalamo tota durare vita debet? Certè obſervata fide Conjugali Matrimonium velut amæniſſimum quoddam inſtrumentum erit, quod per mutuam conjugum concordiam ſuaviſſimam harmoniam edet, in qua illi tranquilla pace lætentur; illa verò ſi frangatur, ſi omnino concidat, nonniſi mera diſſonantia, jurgia nempe, ac perpetua quædam diſſenſio emerget. Ob- II.

ſervata fides conjugalis, contractûs Matrimonialis velut anima erit, quæ illum per totum vitæ tempus animet; fractâ verò & contaminatâ, Thalamum infernum credas, quo Conjuges miſerrimè crucientur. Adjicio pro obſervata fide Matrimoniali exemplum, quod deſcribit Salianus de Amore DEI lib. 6. c. 18. Mercator quidam naufragium paſſus, cùm omnibus hauſtis, ſalvus Aſcalonem appuliſſet, à creditoribus in carcerem conjectus, & bonis omnibus ità exutus fuit, ut nec uxoris veſtibus parceretur; at mulier viro victum precariò quærebat: cui cùm ægre panem ſuppeditare poſſet, ſedebat in carcere gemens cum viro ſuo: contigit autem hominem prædivitem captivos viſitare; qui viſa mulieris pauperculæ perquàm liberali facie, eam ad flagitium invitat, ſpondens ſe omnia Mariti debita, ſi annuerit, diſſoluturum. Illa autem nôrat, quàm *Turpiter ingenium munera corpus emunt*, ùt Ovidius canit: negat itaque ex Apoſtolo ſe corporis ſui habere poteſtatem. ſed virum; qui cùm pudorem uxoris ſuæ, divitiis ac libertati antetuliſſet, retulit illa facinus viro non placere. Quæ cùm latro, qui eodem carcere detinebatur, audiſſet, conjugis continentiam admiratus, cùm propediem ad ſupplicium raptandus eſſet, ſe continere non potuit, quin locum indicaret, ubi ingentem pecuniæ vim obrutam reperiant. Mulier noctu locum adiit, loculos abſtulit, quibus omne æs alienum Mariti expunxit, & uterque hilariter vixit de reliquo. Efficit ergo iſta fides Conjugalis, ut cùm ſibi invicem mutuò ſua corpora tradiderint, nec Maritus ſit ſuus, ſed ſuæ Uxoris, nec Mulier ſit ſua, ſed tota ſui Mariti. Expreſſa verba ſunt hæc, quibus id intimat Sanctus Paulus 1. ad Corinth. cap. 7. v. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir corporis ſui poteſtatem non habet, ſed mulier.* Et inde venit Jus non minùs petendi, quàm obligatio reddendi debitum conjugale. *Uxori Vir debitum reddat; ſimiliter autem & Uxor Viro*; ibid. v. 3. Hoc eſt jus mutuæ fidelitatis, ſed quandoquidem qui totus alterius eſt, invitô ſuô Dominô in alienis diſponere non poteſt, hinc ſequitur ut non ſolùm illicitum, ſed & invalidum ſit Matrimonium, quod vivente propriô conjuge, celebratur cum alio, etiamſi multi anni elapſi ſint, quibus Maritus, vel Uxor abſentes ab invicem ſunt, etiamſi non ſciatur, nec ſciri poſſit an vivat, vel mortuus ſit. Hinc uſque ad plenam cum debita certitudi-

tudine de alterius morte notitiam ſecundum matrimonium celebrari non poteſt. Ità hoc in favorem Fidei Sacro huic contractui debitæ diſponunt & ſtatuunt antiqui Canones & cap. In præſentia 19. de Sponſal. extra; Item cap. 2. Dominus, de ſecund. nupt. Super quam etiam Sacra Conjugalis fidei Inquiſitio (quod in Italia viget) ſolicitè intendit, acerbásque pœnas ſtatuit queîs frequenter in adulteros animadvertitur.

III. Sed quoniam tamen perfidis Matrimonialis Thori violatoribus non rarò connivetur, nec ſtatutis ii pœnis caſtigantur, ideo, puto, frequentia admodùm & publica ſcandala contingunt, atque ab utroque Conjuge data fides pari modò læditur, frangitur, conculcatur. Quod equidem hic vel tangere ſolùm non auderem; ſed cùm forum ipſum, plateæ omnes hoc clamitent, quidni etiam id ipſum Cathedræ loquantur? Adulterium ſemper omnes Nationes, Gentes omnes ſummè deteſtatæ, Leges tam humanæ, quàm Divinæ execratæ ſunt. Adulterium delictum contra rationem, delictum contra Reſpublicas, delictum contra DEUM ipſum eſt. Sed quid? illud tamen depravatæ hominum conſcientiæ flocci pendunt. Et quoniam amiſſa verecundia, deperdita honeſtas, peſſundata Religio eſt, illud eheu! vix non in dies oculis uſurpamus, illud vix non in dies publicè, finè fræno paſſim perpetratur. Jam non quæro ubi DEUS, ubi Religio, ubi ſalus animæ? non quæro ubi verecundia, ubi honor: ut à quo brutales etiam Nationes ſummè ſemper abhorrebant, id inter Chriſtianos adeò frequenter, adeò libere, adeò impunè committatur? Tenedi (populus Syriæ) condemnabant abſque omni remedio adulteros ad decollationem, ùt refert Tiraquell. p. 3. Leg. Connubialium. Hebræi antiquitùs, antequam à DEO Legem acceperant, vivos ad rogum condemnabant, ùt in Geneſi legitur cap. 38. v. 24. *Producite eam ut comburatur.* Parthi eruebant illis oculos, ùt loquitur Celius, I. 41. cap. ult. *Nulla delicta adulteriò graviùs vindicabant.* Ægyptii abſcindebant illis nares. Lepittei illos per triduum nudos per totam Civitatem ducebant, inuſtâ ſimul perpetuæ, infamiæ notâ. Idem facere conſueverant antiqui Germani, ùt loquitur Tacitus de morib. Germ. *Pauciſſima in tam numeroſâ gente adulteria.* Et ut paucis omnia ſtringam, vix Natio adeò barbara & inculta invenietur, quæ in adulterium velut in delictum maximè abo-

minabile non deſævierit? Atque ut de cultiori etiam gente quid dicam: Hæbræis DEUS legem impoſuit Levit. 20. v. 10. ut adulteri lapidarentur à populo, & extra Civitatem mortui relinquerentur: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum Conjuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Apud Romanos, Lex *Quamvis* Cod. de leg. Julia de adult. Authent. Sed hodie Cod. eod. tit. plectit illos pœnâ mortis; & quamvis illam poſtmodum pro fœmina ob ſexûs fragilitatem mitiget, eamque in fuſtigationes & carceres commutet, tamen viro eam ipſam pœnam mortis reſervat. In Sacris Canonibus cap. 6. extra de Adulteris: *Intelleximus;* quandoquidem Eccleſia non ſolet uti gladio ſanguinis, fulminat in adulteros terribiliorem Excommunicationis ſententiam.

IV. Cæterum cum omnes Nationes, omnes gentes contra hanc turpitudinem, & infamiam clamitent, leges omnes ſe arment pœnâ capitis contra hoc delictum, profectò etiam à DEO tantò ſeverius caſtigabitur, quò minus noſtris illud temporibus conjuges perpetrare verecundantur. Nam quàm vehementer enorme hoc vitium nauſeet, ex variis Scripturæ locis luculentè patet? Gen. 20. v. 9. vocat illud peccatum grande; *Induxiſti ſuper me, & ſuper Regnum meum peccatum grande.* Per Os Jobi cap. 31. v. 11. dicit illud peccatum maximum: *Nefas eſt, & iniquitas maxima.* Oſeæ cap. 9. v. 9. ait eſſe peccatum profundum: *Profundè peccaverunt, ſicut in diebus Gabaa.* Siquidem hoc flagitium omnia alia ſcelera, aut ſuperat aut adæquat. Implet totam terram, quia *grande* eſt; aſcendit uſque ad cælum, quia *maximum* eſt, deſcendit uſque ad infernum, quia profundum eſt. Quapropter bene aſſerit Philo lib. de decem Præcept. Adulterium omnium maximorum malitiam peccatorum, quódque in quolibet eſt peſſimum, ſibi vendicat; & quidem ab homicidio ablationem vitæ; à furto malignam uſurpationem optimæ gemmæ, honoris; à detractione maximam infamiam; à ſacrilegio irreverentiam; & de omnibus tandem delictis turpitudinem illis propriam participat. Attamen quoties ab ipſis etiam Chriſtianis perpetratur? eheu quò devenimus? Educârunt Apoſtoli lacte adeò puro primos Chriſtianos, ut illi adulterium vatiniano odio proſecuti fuerint, adeò ut Sanctus Clemens, mei Patris Sancti Petri Diſcipulus referat, ùt dicta ab illo hæc verba: *Quid in omnibus peccatis adulteriô gravius?*

ita Sanctus Clemens Epiſt. ad Jacobum Fratr. Dom. Hinc de illis primitivis Chriſtianis confundens Tertullianus in publico gentiles in ſua Apolog. c. 46. intrepidè illis dixit, ut nihil in contrarium ſibi potuerint reſpondere: *Chriſtianus uxori ſoli ſuæ maſculus naſcitur*: ac ſi pro aliis mulieribus tantum velut ſtatua eſſet. Inde Sanctus Paulus miratus Corinthios, quòd cum inter illos unicus adulter inventus fuiſſet, ipſi tamen publica fletûs, & mæſtitiæ ſigna non demonſtrarent, ſic in illos invectus eſt: *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit?* 1. ad Corinth. cap. 5. v. 2. Adulter inter vos eſt, & vos in ſplendidis, ſuperbis veſtibus, & ad omnem hilaritatem compoſitis ambulatis? non fletis, non ploratis nec gemitis omnes? Unicus adulter erat, dicit hic Sanctus Chryſoſtomus, & plangit Paulus acſi videret perditam Civitatem; *Unus erat, & tantum gemebat Paulus, tanquam tota perdita Civitate.* Jam ſi nos ob tale delictum flere deberemus, ubi nobis aqua in omnibus lacubus, in omnibus fontibus, & fluminibus pro deflendis talibus publicis criminibus eſſet, quæ licet adeò inter gentes barbaras, & deſtitutas cognitione DEI, non permitterentur, tamen hic penitus liberè, & impune tranſire videmus? Scandalizarer ſi non audiviſſemus dici ab ipſomet Sancto Paulo; *Adulteros judicabit DEUS.* ad Hebr. 13. v. 4. Adulteros DEUS ſeveriſſimo ſuo judicio reſervat; Adulteros juſtiſſima ſimul, & terribiliſſima ſententia manet. Omnia peccata judicat; ſed de hoc ſeveriſſimum, & terribiliſſimum DEI judicium erit. Videtur ac ſi DEUS diceret nobis: vos neſcitis judicare adulteros; finite ergo, ego enim eos judicaturus ſum prout convenit: *Adulteros judicabit DEUS:* ſciam ego quam optimè illorum delictum ponderare, ſed & ſciam illud debitè punire. Refert Gramondus ſequentem caſum. Non longè à Civitate Montauban, Caſtrum quoddam inhabitabat Nobilis Francus, Reyneſius nomine, qui uxorem duxerat Panatiam venuſtiſſimam fœminam. Et ecce quidam Paulinus Vice Comes in eam exarſit, variis munuſculis eam ſibi devinxit, & quo tutior eſſet acceſſus, jam formâ hortulani, jam pictoris, jam aliâ in caſtrum ſeſe penetrabat; jamque Panatiam totam occupabat, quo amor ejus in Conjugem Reyneſium omnino refrixit: qui rem ſubodoratus, omnem modum quæſivit, ut Paulinum in flagranti delicto deprehende-

ret. Interea Ephebum unum Reyneſius pecuniâ corruperat, injuriâ à Domina pridem affectum; quare Dominum accedit in genua provolutus, veniam, & vitam precatur, flagitium omne exponit, & ab Hero vindictam flagitat. Jam planè edoctus Reyneſius, ſimulat ſe peregre negotii causâ proficiſci, uxor illi Crocodili lachrymis valedixit, quibus infames ignes tegat. Die inſequenti adeſt Paulinus cum Germano Panatiæ, ejusdem farinæ, jam ſinè ullo metu fruiturus cupitis amplexibus. Dies & veſper in epulas ac choreas, nox deteſtandæ libidini deſtinatur. Reyneſius, qui ante diſceſſum omnia peſſula oſtiis amoverat, jam certus adulterium intus eſſe, armatâ militum manu, concubiâ nocte caſtrum invadit, penetrat ad cubile, ubi Paulinus cum conjuge repertus, qui tumultu excitus, ſclopum arripit, in Reyneſium, ſed ictu irrito; Paulinus verò variis vulneribus confoſſus occubuit ante pedes Panatiæ. Frater dum per feneſtram fugam cogitat, à ſatellitibus infernè ſuppoſitis, haſtâ trajicitur. Jam nobiliſſima fera ſupererat, infamis mulier, quæ ſe ſubduxerat, & in interula, ſolo pudore tecta in latrinis latebat; protracta jam veras lachrymas dabat; ruit in amplexus Conjugis, vim ac technas Paulini exaggerat, omnem fidem per ſacra ac profana ſpondet. Inſerit ſe medium, ac pro Matre intercedit filius; hic jam Patrem exarmârat, dum ab Ephebo ad vindictam tam indigni facinoris incitatus, uxorem obtruncat. Cadavera per triduum jacuêre inhumata. Hoc eſt frui cupitis amplexibus, dum vir in domo non eſt. Sed adulteros DEUS judicabit. Alterum multò horribilius adjungo, ut tantò magis adulteræ & adulteri exhorreſcant. Vir illuſtris Pedemontanus, ſcribit P. Palinghen in Triumpho caſtitatis die 4. c. 7. ubi uxorem in quodam caſtro ſuo, cum adultero in flagranti delicto deprehendiſſet, ità exarſit, ut equorum loris infami mœcho manus, & crura conſtringi præceperit; & quoniam juxta Sacram parœmiam Prov. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ*, quantocyus clavos trabales adferi, eósque poſti polluti cubilis infigi jubet: tum ſcalis applicitis, carnificis vices conjugem ſuam ſubire, & collo Amaſii, quod paulò ante amicis brachiis conſtrinxerat, fatalem funem injicere cogit. Cui adeò triſti miniſterio cùm ſola non ſufficeret, pediſſequam pellicem complicem præſtò eſſe, ac obſecundare voluit; atque ambæ pariter ſceleratum procum in ſub-

lime

lime raptum, ſuſpendio necârunt. Quô ſuppliciô peractô, nobilis hic lectum, ſtragula, veſtes, quidquid denique adulteros attigerat, aut attinebat, flammis abſumi, reliquam verò omnem ſuppellectilem è cubiculo transferri aliò fecit, nihilo in eo relicto, niſi tantillô ſtraminis, quod canino nido ſufficeret; continuóque omnes feneſtras, cæmentario adhibito, lapide & calce unà cum oſtio occludi, infamem conjugem ſuam, cum pellice ſocia iſtic vivas apud mortuum deſtituens, panem & aquam per anguſtam rimam ſuppeditabat donec putreſcentis cadaveris intolerabili fœtore, poſt dies aliquot morte læviſſima ambæ extinctæ ſunt.

V. Sed quid: quòd non ſolùm in adulterio Fides Matrimonii, ſed etiam cohabitatio; non ſolùm violatio quò ad thalamum, ſed etiam quò ad domum perſæpè violata videatur: cùm tamen DEUS ipſe à primo uſque Matrimonio hanc ſtrictam obligationem, ut unâ viverent Conjuges, ità implantaverit, ut etiam obligationem naturalem, quam habent filii, poſtpoſuerit, nè Maritus à ſua Uxore ſe abſentet: *Propter hoc relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; Gen. 2. v. 24. Ideo voluit ut perpetuo non ſolum conjuncti amore, ſed & cohabitatione, in eadem domo viverent. Eccleſia quoque in tantum hanc unionem, hanc copulationem zelat, ut etiam Maritum excommunicatum, ſeparatum à tota Communitate, ab omni negotiatione, ab aliis omnibus Chriſtianis prohibitum, ſuæ tamen Uxori cohabitare debere præcipiat, & juſtam in hoc Puncto pœnam ideo mitiget, *nè* ille Fidei Matrimonio debitæ deſit. Adeò etiam ſtrictè ad hoc attenderunt Sacri Canones, ut non ſolùm in vita, ſed uſque adeò in morte quoque illos conjunctos voluerint: *Una quæque Mulier ſequatur virum ſuum ſive in vita, ſive in morte*. XIII. q. 2. cap. 3. Qua de cauſa etiam voluerunt illos conjunctos non quò ad cohabitationem tantùm ſub eodem tecto, ſed ordinârunt etiam, ut poſteaquam mortui fuerint, in uno eodémque ſepulchro ſepelirentur: *Quos conjungit unum Conjugium, conjungat unum ſepulchrum, quia una caro ſunt, & quos DEUS conjuxit homo non ſeparet*: loc. cit. cap. 2. Ebron. Quæ cùm ità ſint? quo jure adeò multi Uxores ſuas liberrimè dimittunt, ab iisque ad proprium arbitrium ſeparati vivunt? Qua lege ad libitum facere divortia poſſunt, queîs præſtita ad invicem in facie Eccleſiæ fides infringitur, peſſum-

peſſumdatur Sacramenti indiſſolubilitas, atque arbitrariò ſeparant ſe, quos DEUS ipſe conjunxit? Hi tales qua diſpoſitione Sacra Exomologeſi ſe expiant? qua conſcientia ad Domini menſam ſe conferunt? Profectò quemadmodum ùt bruta vivunt; ità velut hædi ab Electorum aliquando ſorte ſequeſtrandi erunt. Equidem ùt fatear (quo potiſſimum niti ſolent) commiſſum ab alterutro Conjuge adulterium ſufficiens ad divortium ratio eſt; ſed nonniſi tunc: quando pars altera ab hoc vitio adeò immunis eſt, ut & ipſa fidem conjugalem rite ſemper & immaculatè cuſtodierit, nec Thalamum unquam læſerit: itaque ſi nullam unquam thoro injuriam intulit; ſi de nulla unquam admiſſa infidelitate ſibi conſcia ſit, tunc demùm cum Th. Sanchez l. 10. de Matr. c. 5. num. 2. & aliis communiter, divortium licitum eſſe conceſſerim. Verùm quot reperire eſt, qui in eodem luto nõ hæreant; quos de majori fortè infidelitate conſcientia non arguat? Quàm multis obtrudi poſſet, quod Vita noſtra Chriſtus JESUS olim Phariſæis objecerat? quibus, cùm vehementi zelo accenſi, *deprehenſam in adulterio mulierem*, de admiſſa in Thalamum conjugalem injuria accuſarent, *inclinans ſe deorſum*, *digitô* (ùt alii volunt: propria quæ legerent, eorum peccata) *ſcribens in terra*, dixit: *Qui ſinè peccato eſt veſtrûm*, *primus in eam lapidem mittat*. Joan. 8. v. 7. Funda hæc fuit, qua in fronte vultures illi ità percuſſi ſunt, ut ſummo pudore affecti, quos ùt videbatur zelus DEI comederat, ad unum omnes derepente avolârint. *Audientes autem unus poſt unum exibant*, *incipientes à Senioribus*. ibid. 9. Itaque univerſa caterva ſenſim diſceſſit, erupit, evaſit. Quàm multis ad aurem uſque idem obganniri poſſet? quàm multi, quos conſcientia de propria infidelitate redarguit, alterius conjugis perfidiam allegant, incuſant, ab eo ſe ſeparant, dum potiùs paria aliunde delicta mutua compenſatione delerentur. *In quo judicas alterum*, repetit illis Sanctus Paulus ad Rom. 2. v. 1. *te ipſum condemnas*. Igitur Partem mæcham, atque adeò etiam de adulterio convictam, cave ſis dimittas, ſi eundem & tu fortaſſis nævum pateris, fiet enim, ut ſeparatio, quam hic facis à Thoro, futura aliquando ſit tibi ſeparatio à gloria.

VI. Quid felicius verò Matrimoniis, in quibus promiſſa ad invicem fidelitas inconcuſſa & integra conſervatur. Hæc certè erit ſolamen in anguſtiis, clypeus in adverſitate, in labore requies, protectio in mole-

moleſtiis, in periculis defenſio; & dum ſibi invicem mutuò fideli-térque ſuccurrunt Conjuges, formant ſibi contra omnes calamitates ancile firmiſſimum, de quo cogitantes, in quod intuentes omnium, quæ perferendæ ſunt, acerbitatum memoriam faciè deponunt. *Amicus fidelis protectio fortis*; Eccleſ. 6. v. 14. Ipſæ profectò columbæ, quæ veriſſimum inviolatæ fidei ſymbolum ſunt, pudore ſuffundunt conſortes rationales: *Pudicitia columbæ prima eſt, & neutri nota adulteria*, dixit Plinius l. 10. v. 34. *thori fidem non violant, communémque ſervant domum. Niſi cælebs, aut vidua, nidum non relinquit. Et imperioſos mares, ſubinde etiam iniquos ferunt.* In his innocentibus aviculis videre eſt, quomodo ſe adinvicem obſervent, quomodo hi conſortes mutuò ſeſe aſpiciant; nôrunt nihil de adulterio nulla unquam conjugalis fidei offenſio, nulla unquam ſuſpicio emergit, ſemper in uno nido conjuncti ſunt; & dum hinc inde evagantur, nunquam ſeparari ſe ſinunt. O utinam hanc fidelitatem diſcerent ab his conſortibus conſortes rationales! ut canit Propertius:

Exemplo juncta tibi ſint in amore Columbæ
Maſculus, & totum fœmina Conjugium.

Stupenda ſæpè mutua hæc Conjugum interſeſe fidelitas fuit. Multi ſe ità redamârunt, ut ab Hiſtoricis ob Excellentiam fidei ſatis depræ-dicari non poſſint. Uxor Clembroti Spartani, ſpretô Palatiô Regisque Leonidæ ſui Patris deliciis, Maritum ſuum in moleſtiſſimum exilium comitata eſt. Sulpitia domi contineri non potuit, oleum operámque Mater perdidit, quo minus illa Maritum ſuum Lentulum inter graviſſimas moleſtias ſequeretur. Theopompa, cujus Maritus in carcere detinebatur, non acquievit, quouſque per occultam viam in profundum carcerem penetraverat, ibi commutatis cum illo veſtibus captiva remanſit, quatenus ille in libertatem evadere ſuámque vitam ſalvare poſſet. Narrat Diodorus, quòd in India Uxores (quarum illorum Barbarorum more multæ ſunt) quæ fideliſſimæ, atque erga ſuum Maritum tenerrimè affectæ videri volunt, hoc defuncto in pyram ſeſe injiciant, ſicque cineres ſuos cadaveri defuncti Mariti ſocient. Quot poſſem referre ſimilia Fidelitatis prodigia nobiliter obſervata in Matrimonio?

VII. Sed omnium locò hic amœniſſimus actus, & ſingulare fidelitatis exemplum nobis ſerviat, deſcriptum à noſtro Bidermanno; quem

in ſua Luce Evangelica, part. 1. Dom. 4. poſt Paſcha, §. 3. recitat Pater Engelgrave, cujus hic genuina refero verba. Bertulphus inter Proceres Germaniæ Nobilitate, ac opibus præpollens, ut animô erat apprime pio, in Palæſtinam cogitabat, veſtigia Chriſti veneraturus; jamque neceſſariis ad iter comparatis, adſcitisque conſilii ſociis, magna remora Ansberta Uxor, lectiſſima Matrona interceſſit;

- - - - *Sed nullis ille movetur*
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit. Virg. l. 4. Æneid.

Affirmat ſe voti reum, nec temerè aliquid decreviſſe; ſi avocare pergeret uxor, non Marito ſed cœlo eam pugnaturam. Ad hæc abeuntiam ſpondet opinione breviorem fore, nec annum exceſſuram. Solvit ergo, & jam multùm terris jactatus, & alto, tandem Palæſtinâ potitus eſt. Hujus aſpectu quam voluptatem Bertulphus ceperit, ſupervacuum ſit narrare; illum neque antrum Bethlehemiticum, nec Jordanis fluenta, quamvis annua ſpectacula ſatiâſſent. Interea Ansberta quaſi virum extuliſſet, publico abſtinere, & mundô muliebri abjectô, quotidie lugebat. Sic annô propè revolutô adeſt ecce nuntius, & litteræ; reſpirat, ſed heu! legit illum à barbaris captum, ſævique Principis in poteſtatem veniſſe, aratro trahendo, aut foſſis ducendis ſervilem in modum occupari, flagrisque, ſi qua ceſſet, identidem moneri, mucidô pane, ac frigidâ vitam tolerare. Spem libertatis unicam, ſi coràm uxor lachrymis ac facundiâ potius quàm aurô, ferocem Principis animum tentaret. Hoc per quidquid jucundum utrique in vita, ſe orare; & obſecrate. Lectâ cum gemitu Epiſtolâ, amici, procerésque ſententias rogantur. Nemo omnium fuit, qui expeditionem ſuaderet in terras barbaras fœminæ. Cæterùm nè & hanc Fidem etiam abſenti deneget, ſimulat conſilium. Eô tempore Bertulphum non ergaſtuli magis ærumna, quàm uxoris in horas exſpectatæ deſiderium excruciabat. Perlatæ demum litteræ, quibus de Conjugis adventu juſſus eſt deſperare; & jam tridunm in querelis, non ſinè ſtomacho duxerat, cùm in veſtibulo Regiæ, Citharista peregrinus conſpicitur. Hic ſuaviſſimo concentu omnem viciniam, ac Aulicos excire. Fuêre qui ad Principem referrent; jubet adduci. Cùm pulſare teſtudinem paulatim incepiſſet, ſenſit illico vultum hominis ſerenari; quo factum, ut cùm numeros modóſque doctè variaret, brevi hominem totum occupârit,

rit. Jam cæca vocabat, & una juvenem comitari, dapésque concentu suô condire jubet. Epulis mensisque remotis, orpheum suum opiparè haberi vult. Dum per aliquot dies illic commoratur, vidit manè captivos ex ergastulis ad lapicidinas deduci, & inter hos Bertulphum, quem, cum decimô post die, tyrannus quidvis petendi audaciam faceret, liberum dimitti postulavit, & impetravit. Accitus ad Tyrannum Bertulphus, mortem præsagiebat, & libertate donatur. Juvenem hunc redemptorem suum complectitur, in se immeritum ac ignotum, tam benevolum mille votis extulit. Ambo pariter patriam repetunt: jamque patrio solo vicini, simulat se Citharista in proximo pago quid negotii habere; propediem adfore. Interim Bertulphus summô Civium ac nobilium plausu excipitur, conviviô exstructô rationem itineris sui exponit: at hoc maximè queritur, ab uxore se destitutum fuisse. Alius quoque eam criminari ausus est: Maritô absente vitam voluptuariam duxisse, plus sex septémve menses domo afuisse. Jámque ille diras omnes in uxorem evomere vix dum cæperat, dum nuntiatur Citharista adesse, cui ille assurgere, & mille sexcentis titulis Patronum, Parentem, Soterem appellare; obsecrat ut nomen ac genus suum tandem aperiat. Renidens facturum se spondet, si Conjugem toties infidam coràm sisteret; sed nusquam reperitur, & ecce galerô rejectô, & colore, quô sibi personam fecerat, strophiô detersô, momento ex peregrino Citharista Ansberta prodiit, quæ Citharistam egerat: ità illa, ut Maritum redimeret, non tantùm in testudinis suæ chordis suavem modulata concentum est, sed & simulato illo habitu magna cum prudentia suaviorem fidæ suæ mentis cum Bertulpho, harmoniam lusit, simúlque inauditum Conjugalis fidei specimen dedit. Qui hic Bertulphi affectus in Conjugem tam fidam!

VIII. O quàm aliam rerum faciem præclara hæc fidelitas, si mutuò integrè custodiretur, multis Matrimoniis induceret? Divortium nullum, dissensio nulla, quin potiùs amæniſſima quædam animorum symphonia hic foret in vita; & assereret profectò omnes conjuges ex misero hujus vitæ ergastulo in plenam aliquando libertatem, quò mutuas sibi dare manus, eásque perpetuo amplexari, ac æterna sibi congratulari in gloria possent?

INSTRUCTIO VI.

De ſecundo Bono Matrimonii: de Bono Sacramenti. Et de amore, & reverentia, quam adinvicem Conjuges habere tenentur.

1. QUid vel cogitari inconvenientius poſſit, quàm ponderi pondus addere, ut onus levius reddatur; illaqueare magis magisque volucrem, ut velocius avolare poſſit; conjicere alipuem in profundiorem carcerem, quò citiùs libertate donetur. Profectò media hæc ſunt, quæ ipſum finem enervant, eáque inter ſe magis repugnare non poſſe, facilè advertitur. Attamen Conjugatis pro condiendis moleſtiis, pro ferendis laboribus, pro acquirendo levamine, pro obtinenda denique omni proſperitate, quàm optimè deſerviunt. Jam *primum*, quot tot alia in ſe complectitur, Matrimonii *Bonum* diſcuſſimus; nunc ad *ſecundum*, ad *Bonum Sacramenti* devolvimur, quod aliud non eſt, quàm arctiſſimus nexus, indiſſolubile vinculum, quo inter ſe ità colligantur Conjuges, *ut conſummatô ſemel Matrimoniô* nulla poteſtas, authoritas nulla hunc diſſecare nodum queat. Hócne *Bonum* ſit? quin potius perpetuum onus, intolerabile jugum, oneroſiſſimas ſtatûs Conjugalis compedes, ipſúmque Matrimonium duriſſimum eſſe carcerem arbitramini. Ità equidem: ſi ad effrænes corporis ſenſus referatis; non verò ſi ad nobiliorem ſanæ rationis bilancem trutinetis. Etiam rotæ quæ currui adjunguntur, onus ſunt, multum ponderis habent; ſed onus ſunt, quod illum adeò allevat, ut facilius trahi poſſit: *Onus oneri additur, & minùs onerat*, dixit de illis Sanctus Bernardus epiſt. 72. num. 2. & quidni? quis enim fracta vel unicâ rotâ, currum movebit? Vela navibus, avibus pennæ prima fronte impedimento eſſe videntur, ſed impedimenta ſunt utriſque accommodatiſſima: illis ut ſulcare æquora, his ut ſecare aëra poſſint. Non ergo vocandum eſt onus quod allevat, nec carcer dici debet, quod liberat, dicit Clarævallenſis Abbas: *Nam verè leve eſt, quod portantem non gravat, ſed levat*: ibid. Sic vinculum Matrimoniale quoque vincit quidem in amore duos animos, ſed quantò magis in affectu eos colligat, eo liberiores ad ſufferendas moleſtias, & onera quæque eſſe ſinit; *Amor addidit alas*. Atque amore hoc mutuo amari-

ritudines in dulcedinem, labores ipsos in requiem convertit. *Ubi amor est, labor non est*, Conjugalis hic amor vincit difficultates, superat pericula, facilia reddit usque adeò ipsa impossibilia, *Omnia sæva & immania prorsus facilia, & propè nulla efficit amor:* videte & perpendite jam: an non iste indissolubilis nodus, modò ab amore stringatur, sit illud maximum bonum, quod affert Conjugatis hoc Sacramentum? Mutuus ergo amor, reciprocus respectus, & honor quem adinvicem sibi debent Uxor Marito, Maritus Uxori, est punctum hodiernæ Doctrinæ meæ adeò momentosum, ut cum ab eo omnis Matrimonii felicitas pendeat, meritò vobis explanare, & omni quo possim modo ob oculos ponere debeam.

Scisciramini verò: quare hoc vinculum indissolubile Matrimonii *Bonum Sacramenti* vocetur? Nónne bonum Sacramenti specialis gratia est, quæ in eo confertur illis, qui illud dignè percipiunt ad efficiendas suaves hujus statûs molestias? Ità illam esse magnum bonum extra dubium est; nihilominus tamen illud, quod hic vocamus *Bonum Sacramenti*, est ille nodus, & vinculum. Quare hoc? propter hoc, quod repræsentat indissolubilitate: propter id, quod effigiat in stabilitate, & propter id quod innuit in amore: *Sacramentum hoc magnum est, dicit* Sanctus Paulus ad Ephes. c. 5. v. 32. *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia: verumtamen, & vos singuli.* Magnum Sacramentum est istud; sed ejus primum exemplar est unio admirabilis, est vinculum æternum Christi cum sua Ecclesia. Attamen in hoc solo non sistit; *Verùm tamen, & vos singuli:* vos pariter Conjugati, in vestro Matrimonio, repræsentatis hanc unionem, hoc vinculum; quilibet est signum visibile horum invisibilium altissimorum Mysteriorum, quilibet est exemplar illius supremæ unionis, quâ Filius DEI se univit suæ Ecclesiæ. Et fuitne hoc solùm in illo ipso actu, quò celebraverunt Matrimonium? Non: dicunt cum nostro Cardinale Bellarmino magnæ Authoritatis Theologi; sed hæc repræsentatio permanens est, & per totam durans vitam. Atque perpetui hujus vinculi typum, & figuram & similitudinem habemus in excellentissimo, & supremo Sacramento Sanctissimo Eucharistiæ. De hoc jam dixi, qualiter ad distinctionem aliorum non consistat, sicut Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia in solo illo actu transeunte, pronuntiatione nimirum verborum formæ supra materiam, qua II.

Sacramentum finitur, ſed quod in illo Altari, cùm ſint ſpecies ſignum viſibile integri DEI, qui ſe ſub iisdem occultat, duret & perſeveret Sacramentum. Bellarm. de Matr. c. 6. Palaus de matr. p. 2. punct. 2. a. 2. Ità pariter (exemplar quo merito horrore, & ſacra veneratione Conjugati repleantur! Maritus, & uxor, dum vivunt, ſemper omni horâ, die noctúque (ùt ità dicam) ſunt Sacramentum vivum, ſunt ſignum, quod repræſentat, ſicut illæ ſpecies DEUM ſub ſe latentem: Eundem unitum cum ſua Eccleſia. Ità ut ſi ex me quæratis, quid nam ſint duo Conjugati? bene reſpondere poſſim: Sunt Sacramentum, quò per ſignum viſibile viri & mulieris, inviſibiliter altiſſima Myſteria Fidei, ac tenerrimus erga ſuam Eccleſiam DEI affectus repræſentantur.

III. Inde jam ſequitur qualem ac quantum amorem adinvicem fovere conjuges debeant. Ex hoc vinculo cum ſua Eccleſia, dicit Sanctus Paulus, raptus eſt Chriſtus in illam amore affectuoſiſſimo. *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam: ſeipſum tradidit pro ea* ad Epheſ. cap. 5. v. 25. Et quare oſtendit tam tener imos actus amoris? Ipſemet Apoſtolus hujus rei d trationem: *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus*, ibid. v. 30. Quia ſicut Adamus, videndo ſuam uxorem, dixit: Iſta eſt Caro de mea carne, & os de oſſibus meis; ità tota Eccleſia, ità quilibet noſtrum eſt de Carne Chriſti, & os de oſſibus ejus. Quomodo autem hoc intelligitur? quia Chriſtus Sponſus eſt Eccleſiæ, & Eccleſiæ Caput ùt ſcribit Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. v. 23. faciliter hoc ſpiritualiter intelligitur, & ſymbolicè; nimirum, quod inde ſicut ex capite ad corpus, ità à Chriſto deriventur ad ſuam Eccleſiam omnia merita, omnis vita, omnis valor, omnis gratia. Sed etiam quò ad Corpus, quòd ſimus Caro de ejus carne, quomodo hoc poteſt eſſe? In illo Sacramento Altaris, dicunt Sanctus Cyrillus, Sanctus Irenæus, Sanctus Chryſoſtomus, & alii Patres citati à noſtro Cornelio, in illo Sacramento fit, quod hic Sponſus Divinus, non contentus cum unione, & vinculo tam ſtricto, quod celebravit cum Eccleſia tota in communi, per novam unionem, novô vinculô amoris infiniti uniatur cum quolibet in particulari, ità ut poſſit dicere: Carnem Chriſti, eſſe Carnem ſuam. Ità ergo illô omnium bonorum Sacramentô nos certiores facit in Matrimonio, quale nam ſit bonum hujus Sacramenti; *Bonum*

num Sacramenti; quod non ſolùm repræſentat unionem Chriſti cum ſua Eccleſia, unionem verbi Divini cum ſua Humanitate, ſed unionem etiam hujus amoroſiſſimi DEI cum qualibet Anima particulari, cum qua ùt Sponſa unitur: *Sponſabo te mihi in juſtitia*, Oſe. cap. 2. v. 19.

IV. Et quid jam ſequitur? clamat Sanctus Paulus: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*; ad Epheſ. cap. 5. v. 25. Mariti debent amare uxores ſuas, ſicut Chriſtus ſuam amavit Eccleſiam. Non minus? O amorem tenerum, conſtantem, liberalem, puriſſimum! uxores debent amare, & obedire ſuis Maritis, ſicut Chriſto Eccleſia: *Sicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto*; *ità & Mulieres viris ſuis in omnibus*; ibid v. 24. Sicut Eccleſia Chriſto? O promptiſſimam! O ſubjectionem amore pleniſſimam! Jam ſi hoc bene perpendatur, & mente revolvatur, nihil jam dicendum ampliùs ſupereſt nec Maritis: cùm hi in Chriſto manifeſtè obligationem ſuam conſpicere poſſint; nec Uxoribus quæ in Eccleſia inſigne admodùm prototypon habent. Nihilominus tamen ad proponendum illis magis ob oculos amorem, redit Sanctus Paulus, ad aliam comparationem magis accommodatam. *Diligere debent Mariti Uxores*, inquit, velut amant proprium corpus ſuum, velut propriam carnem ſuam; *Ità & Viri debent diligere Uxores ſuas, ut corpora ſua*: v. 28. *Sicut teipſum*. Ecquis enim unquam oderit ſuum brachium, eò quòd ſibi doleat; quis unquam abominatus fuit crus ſuum, eò quòd præ tumore greſſum impediat? *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habet: ſed nutrit, & fovet eam*: ibid. v. 29. Quamvis in carne ſua dolorem quis ſentiat, tamen illam fovet, fomentat, curat. Quid deteriùs in homine pede? quid punctione ſpinæ minus eſt? ait Magnum Eccléſiæ Lumen Auguſtinus, tamen illico ac illâ quis pedem læſerit, totum corpus concutitur, & commovetur: plorant oculi, ex iis largè lachrymæ defluunt; lamentatur lingua, & indefinenter in planctus ſolvitur; applicantur brachia velut fideliſſimi infirmarii: alterum genu ſervit vulnerato pedi pro fulcimento, caput ſe inclinat, ſcapulæ incurvantur, ſiniſtra pedem tenet, dextrâ denique paulatim extrahere ſpinam ſatagit; atque adeò integrum corpus occupatur, angitur ob exiguam ſolùm læſionem pedis ad ſpinam. Et bene tamen: eſt enim pes caro ejus. Ideò etiam corpus pedem, qui illi

illi dolet (carnem ſuam) non odit, non abominatur, quin potiùs curam illius, quàm poteſt maximam gerit. Igitur ſi Maritus & Uxor eadem quoque caro ſunt, neutra pars alterius vitia, & defectus alleget, quo minùs intimè amare, & tenerrimè complecti ſe debeant; dicit Sanctus Cgryſoſtomus homil. 20. in epiſt. ad Epheſ. *Nè mihi dicas eam eſſe talem, & talem.* Non vides illum cum oculo tumido? ſed nunquid ideo ſibi illum eruit? non vides illum alium cum crure pleno ulceribus? ſed nunquid ideo ſibi illud abſcindit? Neutiquam: quin potius medicamina varia applicat: modò unguentis utitur, modò emplaſtra adhibet, queîs partem læſam defendat; ideo ſolum, quia caro ſua eſt. Ità etiam à Marito Uxor; ità ab Uxore Maritus amandus eſt: ſicque infirmitates nec corporis nec animi mutui amoris flammam nè quidem minuere, minùs extinguere poterunt. Similis amoris hìc adjungo exemplum, quod ſcribit Vives lib. 2. de Inſtitut. Chriſt. fœmin. tit. 3. Clara Cerventa, Matrona Crugenſis, nupſerat Bernardo Valdauræ, qui cùm in graviſſimum morbum incidiſſet, (erat is morbus gallicus) illa perdia, & pernox lecto ejus adhærere, ità ut ſex hebdomadis nunquam ſe exuerit, & quavis nocte, non ſupra duas horas quieverit, nè quidquam diſſuadentibus Medicis, nè propius accederet. Infima Marito prope depoſito exhibere obſequia; nec in morbo duntaxat, ſed & omni anteacto conjugii tempore; jàmque cadaver in eo vivum Maritus referebat, quòd morborum omnium hoſpitium eſſet. Incredibilia ſunt, quæ interea temporis illa præſtitit, obligando, & contrectando ejus ulcera, fœtorem ſuſtinendo: jurabat ſibi Mariti anhelitum ſuaviſſimum, quem alii intolerabilem affirmabant. Ipſa demum annulos, armillas, torques aureos, mundum muliebrem omnem, in Conjuge curando conſumpſit. Qui mortuus, Uxori tantum ſui deſiderium reliquit, ut illum ſolum ſuſpirârit. *Et quis poſſet enumerare omnes amores?* Auguſt. in cap. 16. Matth. tom. 10. p. 1519. Diſcite vos ô Conjuges ad invicem amare.

V. Attamen hoc parùm eſt. Debent ſe invicem amare, dicit Dominus per Malachiam Prophetam cap. 2. v. 15. velut dimidium animæ ſuæ, velut dimidium vitæ ſuæ: *Nónne unus fecit, & reſiduum ſpiritûs ejus eſt?* Nunquid formavit DEUS Evam de Adamo ſponſam ejus, & quem dederat prius ſpiritum Adamo ſolùm, permiſit poſtea divi-

diviſum inter duas Animas. Inde igitur ſequitur: *Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum*: ibid. quòd Maritus Uxorem ſuam amare debeat, velut ipſum, quem trahit, ſpiritum ſuum; velut ipſam qua animatur, animam ſuam; velut ipſam, qua vivit, vitam ſuam. Sed & hoc parùm adhuc eſt, dicit meus Pater Sanctus Petrus Apoſtolus, debent Mariti Uxores ſuas amare, & ſuum illis amorem impertiri, *tanquàm cohæredes gratiæ vitæ*, 1. Pet. cap. 3. v. 7. Debent illas amare non ſolùm ſicut vitam corporis ſui, ſed ſicut vitam æternam animæ ſuæ, quia Uxor eſt cohæres Mariti in gloria. Debent denique amare Mariti Uxores velut unam eandémque ſecum perſonam, tam in civilibus, quàm ſpiritualibus, tam in humanis, quàm Divinis, dicunt Leges: *Socia vitæ humanæ atque Divinæ*; L. Adverſus C. de crim. expilat. hæred. Atque ex hoc amore mutuo ſequetur pariter reciprocus honor & obſervantia, quam ad invicem habere debent. Maritus caput eſt, ſed Uxorem pedem non reputet: Maritus Dominus eſt, ſed Uxor ancilla non eſt; imperat in domo Maritus, ſed Uxor non ſervit, ſed unà gubernat. *Uxor timeat virum ſuum*, dicit Sanctus Paulus ad Epheſ. 5. v. 33. Veneretur Uxor Maritum, illi omnem reverentiam exhibeat, nec verbis, nec factis ſe opponat; ſed & Maritus, replicat Sanctus Petrus, honoret ſuam Uxorem, quia in hoc ejus honor nititur: *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem*; 1. Petr. c. 3. v. 7. Ambo ſibi debitum invicem amorem præſtent, in voluntate ſimul & in opere conformes ſint, idem ſentiant, idem operentur: quia velut duo oculi ſunt, qui ambo in idem objectum tendunt. Et ſiquidem ità ſeſe mutuò non reſpiciant, ſiniſtre omnia proceedent. Ex Livia Auguſti Imperatoris Uxore quærebat Matrona quædam: quomodo Auguſtum obtinuiſſet & Mariti in tantum voluntatem lucrata fuiſſet, ut cum illo faceret quidquid volet? Reſpondit ſapienter: Diligenter & prudenter agens ſummum ſtudium adhibui, ut omnia facerem ex animo Auguſti; nec curiosè perquiſivi quidquam eorum, quæ is faceret, ſimulans me neque audire, neque ſentire; Le Blanch. tom. 6. in Pſalm. 127. v. 3. Demonſtrent Uxores amorem in neceſſitatibus, & moleſtiis, & opere, & verbo: Non ſolùm in præſentia, ſed & in abſentia viri modeſtæ, ſinè murmure, ſinè querimonia ſint: demonſtrent inquam, amorem ſuum, atque ità ſe erga Maritos ſuos affectas oſtendant, ut eos ſu-

per omnia appetiare palàm agnoſcantur. Obſidebat Conradus Tertius Imperator Guelphum Bavariæ Ducem in Civitate Weinſperg in Suevia cùm obſidione diurna illum fregiſſet, nec ullis conditionibus à propoſita ſuſceptâque Urbis everſione deduceretur; ad extremum victus Nobilium fœminarum precibus, permiſit ut inviolatæ abirent, eâ lege, ut nihil ex Urbe, niſi quod humeris bajulare poſſent, exportarent. Tum illæ, confidentiâ majore dicam an pietate? Ducem ipſum, Maritos, liberos, parentes ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt; ex quo Imperator tantam voluptatem cepit, ut effuſis præ gaudio lachrymis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitus depoſuerit, verùm etiam Urbi pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo contraxerit; ità Bodinus in procem. O & utinam hic caſtus amor efficeret, ut unus Conſors alterum in humeris bajulans uterque liber in Cœlum intraret; ut ſic ad invicem allevianteſ ſibi onus ſui ſtatûs, mererentur ità conjuncti evolare in gloriam. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*; ad Galat. cap. 6. v.

VI. At verò, ſi amor hic mutuus penitus refrigeſcat: quàm intolerabile onus ſtatus Matrimonialis! quot & quanta inde pericula timenda! Sed & ſi exorbitet, atque Mariti amore muliebri effœminati, Uxores plenâ, & indomitâ poteſtate in omnibus imperare, gubernare, omnia ſûsque déque confundere, omnia perturbare permittant; quæ inde infamia! *Et mulieres dominatæ ſunt eis*; Iſai. 3. v. 12. Refert Ælianus lib. 22. var. hiſtor. cap. 38. ridiculum quid de quibusdam populis, qui Sacy dicebantur: nimirum ſponſa, ad primum ingreſſum in domum ſponſi ſe poſuit in limine portæ, ut cum ſponſo luctam iniret, & qui de illis vicerat, totô reſiduô vitæ tempore imperium ſortitus eſt. Ità videtur illis contingere, quorum Uxores omnia diſponunt, omnia ſubvertunt, & ipſum quaſi Maritum conculcant. Sexcenti profectò hac de cauſa in inferni abyſſum præcipitati jam ſunt, vel quòd amore uxorum penitùs expugnati, in charitate DEI intepuerint; ut his placerent, leges humanas & Divinas contempſerint: vel quòd exardeſcente amore honeſto in turpem libidinis flammam, ſinè fræno, ſinè moderamine Matrimonio abuſi ſint: ſic enim vinum quod cum temperantia ſumere licitum, & proficuum erat, quia immoderatè ſumebatur, in ebrietatem infeli-

cem

cem transit. Dum Conjugatus quidam se ipsum coram Fratre Ægidio Socio Sancti Francisci, ut in Franciscanorum Chronico legitur, laudabat, quòd castus esset, nec unquam aliquam injuriam, aut læsionem Uxori suæ fecisset: Dixit hic illi: *Et nescis tu, quòd vinô, quod quis in sua domo habet, etiamsi sit suum, illô nihilominus tamen possit inebriari?* Epiphonema sanè Laconicum! quàm vellem Conjugati illud de usu Matrimonii intelligerent. *Certum est*, dicit Sanctus Franciscus Salesius Intr. p. 3. c. 12. *Sanctam Catharinam Senensem vidisse inter damnatos multas Animas severissimè cruciatas ratione violatæ Sanctitatis Matrimonii. Quod evenit, dicebat Sancta, non ob gravitatem peccati, quia homicidia, & blasphemia sunt magis enormia, sed quia illi qui talia committunt, non faciunt æstimationem de talibus peccatis, & consequenter illa longô tempore continuant.* Hucusque Sanctus Franciscus Salesius. Ego Conjugatis consulo, ut hoc legant in Introductione ad vitam devotam, in tertia parte, capite 39. ubi documenta magni profectûs & emolumenti invenient. Non ergo arbitrentur Conjuges, sibi omnia licere circa debitum conjugale; possunt enim & illi in proprio thoro pudicitiam & castitatem Matrimonialem graviter lædere, & damnationem ex hoc incurrere, uti etiam incurrit fœmina quædam Nobilis apud Cremonam, quæ Urbs est Italiæ. Hæc ab omnibus tanquam Sancta reputabatur, utpote quæ in eleemosynis faciendis liberalis erat, in frequentandis assiduè Ecclesiis indefessa, & in omni domestica disciplina ad bonos mores formanda, accurata. Cùm tandem fato concessisset, post septimanas aliquot à die sepulturæ, filiæ suæ pro se oranti conspicuam sese stitit, specie porci excoriati & igniti cum fœtore teterrimo, dixitque: Noveris, me tuam esse maledictam Matrem, quæ sanctam videbar agere vitam; sed æternis gehennæ sum ignibus addicta. Et cur? quærit filia. Cui Mater: propter quædam, inquit enormia, detestandáque peccata, quæ cum Patre quondam tuo, Marito meo, fœdissimè perpetravi, & præ verecundia nunquam confessa sum. Aliáque subjunxit complura; super arcas, & scamna cubiculi sui saliens, ac spurcissima immunditiæ suæ vestigia toto thalamo relinquens, quæ suismet oculis inspexit, & inspexisse se, in Diœcesi Cremonensi palàm professus est in suggestu Damianus Bousfolius excellentissimus Prædicator, ut tradunt hujus historiæ

Scriptores, Seraphinus Razius in hort. exempl. tit. de Confeſſ. cap. 3. & Gabriel Inchimus, de quatuor Noviſſimis. Hoc miſerandum ſpectaculum præ oculis habeant præcipuè Conjuges, & diſcant ex alieno infortunio ſuum præcavere exitium, modumque tenere in ipſa conceſſa conjugalis debiti illecebra, séque intra rationis, ac legis matrimonialis continere limites, & venere non uti inſtar equi & muli, quibus non eſt intellectus; ſciántque caſtitatem ac pudicitiam, non eſſe in ſola Virginitate, ſed etiam in Matrimonio.

VII. Sit itaque amor purus, ſit illi ſimilis, quem Chriſtus habuit erga ſuam Eccleſiam; ſit amor ex integro, & totus caſtus, quo dum dulciter & jucundè duo Animi per totam vitam colligantur, erit Matrimonium carcer fortunatiſſimus, unde aliquando evolabunt ad æternam gloriam.

INSTRUCTIO VII.

De Concordia & Pace, quam inter ſe debent conſervare Conjuges.

1. SCribit Plutarchus in Conjug. Præcept. Lité olim graviſſimámq; contentionem Solem inter, & Boream fuiſſe, quis viatorem veſte ſpoliaret: ubi datæ & acceptæ leges. Toto ſpirat Æolus antro, ingentésque laxat ventorum turbines. Hi magno impetu, gelidóque flatu appellunt ad latera viatoris, in veſtem ſeſe inſinuant, implexósque ſinus pigro inertique frigore implent, & occulta apertáque vi eripere nituntur. Quid viator? obnititur contra: & qui paulò ante leve pallium geſtavit, jam humeros penitus involvit, ante vittam in ſarcinula recluſerat, jam caput totum in ea ſepelit, ac deſuper galerum in frontem contrahit: ante accinctus levi funiculo ambulavit, jam ſe arctiſſimè cingit. Iratus Boreas fremit, furit, ſævit: ſed quid? eò viator fortiùs veſtem ſtringit, & corpori apprimit, quò vehementius Aquilo aſpirat. Ità ille ſternere hunc quidem potuit, exuere veſtibus non potuit. Quô viſô & de palma deſperat, & vi omni cadente inglorius exſpirat, atque adeò tandem victus areâ, campóque cedens, à viatore naſo ſuſpenſus adunco eſt. ità victas *violentia* manus dedit. Tum antangoniſta novus

ſed

ſed efficacior, mitis ſed activus magis, pacificus ſed potentior Sol ipſe in arenam venire, altius cælo ſurgere, vertici imminere, & ad perpendiculum radios dimittere in caput, in oculos, in ſcapulas, totumque corpus viatoris; qui frigore jam excuſſo, æſtus illius, calorisque impatiens, propediem caput aperit, cingulum ſolvit, languet, ſudat, ſpirat, anhelat, *patulæ ſub tegmine fagi* ſe cum Tityro reponit, crebro anhelitu auram attrahit, decerptis ab arbore foliis frontem tegit, frondibus ad inſtar flabelli agitatis ſe ventilat, auramque mitigat, paulò ante rigidiſſimam, atque ibi ſeram ad veſperam Zephyrum exſpectat. At verò Sol tam calidus, quàm calidus frondoſam etiam fagum tranſit, tam validè viatorem premit, ut vix non opprimat, qui jamjam laxare veſtis fibulas, explicare implexos ſinus, tandémque nimio ſudore perfuſus omnino excutere: totus enim à Sole, radiisque ignitis colliqueſcebat. Et ecce! de triumphatis tumultuariis ac ferocibus ventorum furiis victoriam cecinêre muti & amabiles Solis radii, illíque quòd tantum effecerit amabilitas ejus, quantum præſtare non potuit potentiſſimus Boreas, votis intimis aggratulati ſunt. Ità non vi, non violentiâ opus erat ad detrahendam viatori tunicam. Sed quorſum hiſce tendo? ad quem hæc verba facio? Ad Maritos, qui ob hebetudinem genii ſui omnem Maritalis poteſtatis ac imperii ſui vim in furibundo agendi modo conſtituunt; Ad Uxores, quæ ob ingenitam voluntatis ſuæ pertinaciam in omnibus obſtrepunt, itáque excutere debitæ ſubjectionis jugum volunt, atque Maritis ſubeſſe detrectant. Ambobus hoc cum optima inſtructione morali Plutarchus innuit: ſive Maritus ſive Uxor ſit; ſi Conjugem alterum ſpoliare veſte, deflectere ab eo, quod firmiſſimè pertinaciſſiméque animô ſtatutum habet, atque extorquere & eripere illud velit, quod ſtrictiſſimè ambabus quaſi manibus tenet, non litibus, non contumeliis, non violentiâ, nec aliis agendum furiis; ſed placidis rutilisque amoris radiis utendum eſt, qui tacitè cor penetrant; adhibenda lux debitæ moderationis, quæ magis activa animum attrahit, uſurpandi calores, qui ſuaviter affectum alterius Conjugis vincunt, & triumphant, atque totum illius animum expugnant. & occupant.

Jam ſi amor corda unit, & ex hac unione amabiliſſima quædam animorum concordia reſultet, atque anima ſimul & vita hæc ſuaviſ- II.

simæ cujusdam Harmoniæ in Rebuspublicis est; quidni hæc ipsa animorum conjunctio & concordia anima & vita Matrimonii erit? In hac vel bonorum, vel malorum omnium centrum consistit: in hac omnis Conjugii vel felicitas vel infelicitas radicatur. Tria sunt, dixit Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 25. v. 1. quæ sibi meum vendicant cor: *In tribus placitum est Spiritui meo.* Et hæc tria DEO simul, & hominibus omnem complacentiam offerunt: *Quæ sunt probata coram DEO, & hominibus*; ibid. Et quænam ista? Concordia fratrum inter se; dein amor proximorum, & amicitia horum cum aliis; Ac demùm: *Vir, & Mulier bene sibi consentientes.* Maritus & Uxor, qui bene inter se consentiunt, his in mutua concordia viventibus, nulla unquam molestia reciprocum eorum affectum amaricabit; nulla dissensio pacem perturbabit; nullæ rixæ, contentio nulla individuæ vitæ tranquillitatem interrumpent: ità enim piè educabunt proles, debitè regent familiam, non murmur resonabit, non querimonia ac domus integra inter varias conjugalis statûs molestias velut terrestris Paradisus erit. Atque super tali Matrimonio (*Vir & Mulier bene sibi consentientes*) dicit DEUS, meus pariter Spiritus requiescet; in eo cor meum sibi bene complacet; in eo omnis Benedictio invenietur. Fortunatissima domus, & fortunatissimi Conjuges! dicit Sanctus Joannes Chrysostomus Hom. 54. in Epist. ad Titum; in hac concordia habent basim firmam, fundamentum securum omnium bonorum: *Præcipuum omnium bonorum fundamentum, si Uxor Viro per omnia consentiens sit.* Et si quid tamen earum rerum, quas alii adversas vocant, accidat, velut à DEO immissum summi beneficii locò habendum putabunt; omne malum, omnes molestiæ, omnia infortunia suavia reddentur, & dulcorabuntur à matrimoniali concordia. *Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere poterit.* Verùm, quot Matrimonia felicia admodum invenire est?

III. Per pauca certè: cùm diabolus lethiferum discordiarum venenum taliter propemodum introduxerit, ut status, qui mera animorum conjunctio esse deberet, in ipsum omnis diffidii ac jurgii seminarium degenerâsse videatur, atque ex eo, velut ex fundo sibi proprio, perpetuæ lites, & dissensiones pullulent. Testatur Sanctus Hieronymus se Romæ in via Tiburtina sepulchrum vidisse, in cujus lapi-

lapide hoc Epitaphium ſculptum erat: *Hoſpes miraculum: hìc Vir & Uxor non litigant.* Itáne etiam in ſepulchro non litigare, pro miraculo habetur? O DEUS Sancte! Quid erit in vita? quid in domo? Sed & peſſimum eſt, quòd ubi jam domus funeſta quædam draconum caverna, quædam habitatio tigridum facta eſt, quilibet Conjugatorum culpam in alterum conjiciat, quam ambo æqualiter participant. Duo Conjuges, ut ſcribit Plutarchus in Lacon. qui in perpetuis jurgiis vixêre, Arbitrum elegerunt, qui auditis amborum querelis juſtam ſententiam diceret. Ille duxit eos ad templum Minervæ, & juramentum à quolibet illorum exegit, ut perſiſterent in eo, quidquid ille decideret. Jurârunt, & ille illico, quin cauſam vel minimè ventilâſſet, decidit pro utroque, ut non ſolum non loquerentur ultrà verbum de præterito, ſed omnino obliti omnium, ſe mutuò ibi in ſua præſentia amplexarentur, & inde conjunctiſſimis animis domum redirent. Bona ſententia! Si conſideremus non rarò Maritos, quæ pax vigere poterit in domibus, in queîs ipſi circumeunt, velut Leo rugiens, quærens quem devoret. *Noli eſſe ſicut Leo in domo tua, evertens domeſticos tuos*, dicit tali Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 4. v. 35. Aut ſi omnia & minima quæque acutiſſimis continuò oculis adinſtar lincis perluſtrent; ſi ſingulis momentis domeſticos affligant, tædio afficiant; ſi ira plusquam brutali ſpumantes indeſinenter rugiant, ſi crudelitate beſtiali inceſſanter minentur oculis, fulminent verbis, tonent fuſtibus, nec aliud appareat, niſi tumultus, & furibundi impetus; quid aliud, niſi clamores, ejulatus, contingere poteſt? *Evertens domeſticos tuos.* Et quod pejus eſt: ſi talis Leo, homo furioſus, & inſanus, Vir in ſuis moribus ferus, & ſylveſtris, homo in ſuo modo vivendi & operandi malus Chriſtianus, uniat & conjungat ſuæ avaritiæ ſua ſcelera, & cum ſua ſtoliditate moleſta, ſuas intempeſtivas iras, & furores; quid eſſe Uxori oneroſius? quid illi accidere gravius poteſt? *Grave eſt ſaxum, & onerosa arena, ſed ira ſtulti, utroque gravior.* Prov. cap. 27. v. 3. Non eſt torcular tam premens, onus tam grave, quod taliter opprimat, ac ſimiles iræ unius ſtulti, quæ inſimul uniuntur, & coadunantur cum inſania; *Sed ira ſtulti utroque gravior.*

IV. Quòd ſi autem Uxor moveat moleſtias, rixas ſeminet, diſcordias ſuſcitet, ô DEUS! tunc ſanè deterior adhuc Matrimonii conditio eſt.

eſt. Non videtur invenire verba Spiritus Sanctus pro ponderanda talis mulieris nequitia, & improbitate, & ejus Mariti afflicti infortunio: *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa, & iracunda*; Prov. cap. 21. v. 19. Meliùs eſt vivere in remotiſſima ac deſertiſſima eremo, quàm cum muliere litigante, & rixoſa. Melior eſt ibi ſolitudo, quàm hîc individua ſocietas; ibi minùs moleſtum eſt ab omnibus eſſe deſertum, quàm hîc moleſtam, nauſeabundam habere conjugis aſſiſtentiam: meliùs tandem eſt vivere inter beſtias, quàm cum tali muliere, quæ pejus venenô inficit, & occidit verbis. Imò etiam parum eſt ſolitudo alicujus Eremi. Intrà aliquod antrum, intrà anguſtiam alicujus cavernæ multò meliùs eſſet vivere cum leone, habitare cum dracone, quàm cum muliere, quæ omni inſtanti acuit dentes ſuæ rabiei, & bilem, ac nequitiam ſuam pleno gurgite evomit: *Commorari Leoni, & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*; Eccleſ. cap. 25. v. 23. Quid crudelius inter quadrupedia Leone? Perpendit, & ponderat hoc Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 15. ex variis in Matth. locis: *Quid inter quadrupedia Leone ſævius?* Et tamen non pertingit ejus crudelitas, & ſævities ad illam mulieris litigioſæ: *Sed nihil ad hanc*: Aut inter illa quæ ſerpunt quid atrociùs Dracone? *Aut in ſerpentibus quid dracone atrociùs? Sed nec hoc quidem juxta mulierem malam, & linguoſam conferri poteſt; nam, & Leo & Draco in malo inferiores ſunt.* Illa eſt ſicut quidam ſcorpio, quem dum quiſpiam tangit, jam punctúram ſentit cum veneno: *Mulier nequam qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem*, Eccl. cap. 26. v. 10. Eſt igitur melius deſertum funeſtiſſimum, & eremus, melior caverna horribiliſſima, & antrum obſcuriſſimum, quàm aliqua domus in qua frequentia litigia unius Mulieris loquacis, dicacis, ſuperbæ, iracundæ, diſſolutæ faciunt, & cauſant id quod multa ſtillicidia in tecto, quæ nec ſinunt domum in ſuo loco, nec in loco proprio ſuppellectilem; eo quòd omnia confundant, omnia invertant, uſquedum efficiendo domum inhabitabilem, poſt expulſionem Mariti ex ea, totum corruat, totum deſtruat, totum finiatur, totum deperdatur; *Tecta jugiter perſtillantia, litigioſa Mulier*: Prov. cap. 19. v. 13.

V. Quiſcunque proin Conjugum cauſa ſit, certum eſt, ex altercationibus naſci ſæpiſſimè diſcordias, ex cujuslibet partis velle portare,

tare, & habere ſuam præcedentiam, & ut fiat ſemper ejus voluntas. Dum naſcuntur moleſtiæ, & afflictiones, foveatur & nutritur perditio, & lites. Dignum eſt admiratione, & plenum documento id, quod vidit quadam vice Mutianus, & refert Plinius lib. 8. cap. 50. Poſita erat ſupra quendam magnum, & profundum fluvium arcta trabs vicem pontis ſuppleus: aggreſſæ ſunt iter eodem tempore duæ capræ una ex hac, & altera ex illa parte; obviaverunt ſibi invicem in medio trabis, & ecce tibi hic utraque ſubſiſtere debuit. Retro ex illis nulla redire poterat; ſi contendiſſent, & rixatæ fuiſſent volentes quælibet præ altera tranſire, neceſſe erat utramque in profundum cadere. Sed ecce, quid fecerunt? Obſervate rationales, quod ipſamet dictavit natura brutis. Una ex illis ſenſim incurvavit genua, inclinavit caput, proſtravit ſe totam: hôc factô, altera ſupra illam tranſivit, & tali modo ambæ tranſiverunt liberæ. Refero hic verba genuina Plinii: ſolertiam ejus animalis (capræ) Mutianus viſam ſibi prodidit in ponte prætenui, duabus obviis è diverſo; cum circumactum anguſtiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter ſubterfluente, alteram decubuiſſe, atque ità alteram proculcatæ ſupergreſſam. O utinam hanc doctrinam ſibi applicarent Conjugati! Cum non rarò deveniatur ad arctam viam, in qua propter certamen, & pugnas uterq; periclitatur, faciat ratio, faciat Fides pro æterna vita, quod ibi pro vita materiali dictavit natura duobus brutis. O utinam ſic, modò cedente uno cum prudentia, modò acquieſcente altera cum ſapientia, finirentur cum felicitate amborum diſſenſiones. Hoc ipſum dico de apprehenſionibus, de ſuſpicionibus, quas jam vel deceptio, & error fingit, vel jam paſſio exaggerat, vel jam lolium, zizania, & novalia, ſuſurrationes & delationes, quæ valde communia ſunt inter Conjugatos, excitant, & irritant. Interrogatus Rex Alphonſus Arragoniæ qualesnam forent boni Conjuges? Reſpondit valdè prudenter: *Si Maritus aliquando ſurdus, & Uxor cæca fuerit.* Optimè dictum! Si maritus quandoque ad convitia ad opprobria à conjuge ſibi illata, ad delationes ſervorum, ad venenatos aſpidum (improborum hominum) ſibilos ſurdus foret; Pariter ſi Uxor ſubinde cæcutiret, eaque, quæ hinc inde videt, diſſimularet, in dicta & facta Mariti minùs curiosè inveſtigaret, aliorúmque dicteriis aurem

occluderet: quæ pax, quæ concordia in Matrimoniis foret? Jam olim hoc Sanctus Joannes Chryſoſtomus dixit Hom. 20. in Epiſt. ad Epheſ. *Neque Vir leviter, & inconſideratè credat adverſus Uxorem: neque Uxor leviter, & curiosè ſcrutetur ingreſſus, & exitus Mariti.*

VI. Supereſt jam dubium: an una pars, & quænam alteri cedere debeat? qua quidem in parte, ſi ſanam rationem ſequi volumus, quid multùm interrogamus? ſi ſequi non volumus, quid reſpondeam, neſcio. Hoc ſcio: Socratem Virum à tota Græcia in ſumma veneratione non minùs, quàm admiratione habitum, Xantippe ſuæ, fœminæ truculentæ ac maleſanæ non rarò ceſſiſſe. Hæc ſemel pluſquam ſatis verbis contumelioſis in ipſum debacchata, demum etiam, dum per gradus deſcenderet poculum aquæ ſuper caput ejus effudit; & ipſe nonniſi: *Haud ignorabam*, ait *poſt tonitrua pluviam ſecuturam*: ità Laërtius in ejus vita. Ità nimirum cedit ſana ratio Mulieri inſanæ. At verò, dicit Plutarchus *in præcept. Conjug.* etiam prudentes fœminæ, quando Maritus vociferatur, tunc tacent, quando ſtomachatur, ſilent, & poſtmodum quando denuo ſedatus eſt, eum tantò plùs mitigant, & in partem ſuam trahunt, ejúsque animum eo ſibi magis lucrantur. *Prudentes Matronæ Viris ex ira vociferantibus tacent, ſilentes alloquiò demitigant.* Jacobo obedivit humiliter Rachel, conſignando illi Idola, de quibus tam acerbè dolebat. Sed & peſſimè fuiſſet Nabal habitus, niſi ſtultitiam ejus tranſcendiſſet prudentia Abigailis Uxoris ejus: 1. Reg. c. 25. v. 34. Etenim corda duriora ſaxo emollies, ſi placitè illis obvies, ſi protervè reſiſtas, magis indurabis. Machinæ bellicæ fragorem ac furorem objecto ſacco laneo eliſeris; nam ſi ſilicem ſilici, ferrum ferro colliſeris, quid exſpectas præter ignem? miraculi loco eſt, quòd ſævi maris fluctus ac rabies, molliſſimâ arenâ frangatur & quieſcat: edixit enim Dominus Job. 35. *Hìc confringes tumentes fluctus tuos.* Ubi verò fluctus concitati æquoris in ſaxa, & præruptas cautes inciderint, illiſi & repercuſſi, vehementiùs deſpumant, & in omnes partes quaſi iram diffundunt. Adamantem in pulvino confringes: fulmina robora ſternunt, & oſſa comminuunt; lana ac lino eliduntur. Sic Mariti animus quantumvis barbarus & efferus lenitate ſedabitur. Ro-

ber-

bertus Santarellus Dux Neapolitanus (ità Poteri polit.) l. 1. c. 8. dum terram ſanctam luſtraret, & è ſepulchro Domini in montem Sinam pergeret, latrones Aſſyrios offendit. Quid ageret? Socios ſarcinulas, & peram explicare juſſit, ac prandium exponi: illíſque ipſe obviàm, pro ea, quâ erat ſingulari humanitate, perbenignè ac officiosè invitavit, ut feſſi ſe reficerent; quâ animi moderatione ac benigna humanitate, etiam barbari victi, cum gratiarum actione, læti receſſerunt. Fregit David viros, ſitientes ſanguinem hoſtis ſui Saulis, molli ſermone eos compellans, nè manum ſuam mitterent in Chriſtum Domini: & *confregit David viros ſuos ſermonibus*, inquit ſacer textus. Ipſum quoque ferro duriorem Saulis animum flexit ac fregit; ut qui ſuum priùs ſanguinem ſitiverat, ejus manſuetudine victus, lachrymas dederit: 1. Reg. 24. *levavit Saul vocem ſuam & flevit.* Quod ut inſolens prodigium admirans Chryſoſt. hom. de David & Saule *Non perinde*, inquit, *miror Moyſem quod è ſaxo prarupto fontes eliciat aquarum, ut admiror Davidem, quòd ex oculis lapideis, fontes eduxit lachrymarum.* Quin etiam quem paulò antè, cane pejus & angue oderat, nunc dulciſſimo honoris titulo compellat, eundémque filium nuncupat. *Nunquid vox hæc tua fili mi David?* Doctrinam noſtram confirmat coronatus Sapiens, Prov. 25. *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiem.* Quantumvis ferus ſit ac ferreus maritus, ſi Uxor manſuetè, benignè obtemperanter agat & reſpondeat, flectet. Et contra quantumvis effervescentem uxorem, leni ſermone & agendi modo Maritus franget. Muſica ſopit iram ùt ſapientes putant viri, quòd Pythagoreorum comprimis fuit documentum, qui fidibus iracundos mitigabant. Sic, & Indorum Reges, ajunt, certos adhibere tibicines, dum cubitum concedunt, ut animus eo cantu, & dulcedine ſoni delinitus, faciliùs quaſi priùs fracto ac ſopito omni rancore, indormiſceret. Sed quis fidelium cantus aut inanimata vocum harmonia tam potens, quàm mollis & dilecta placidæ conjugis oratio ad viri iracundiam mitigandam, ad facilem miſſis rixis viro ſomnum conciliandum? Sic de qua paulò ante dixi, Abigail fœmina ſanè prudentiſſima, quantum incendium leni ac ſuavi verborum flumine reſtinxit? Ibat David Nabalis domum everſurus cædibus, in via occurrit Abigail, 1. Reg. 25.

eaque orationis ſuadâ tamque molli ſermone Regis impetum ſedavit, ut homini ſtrenuo, & generoſo, & potenti, arma è manibus ceciderint, ſibique ac iracundiæ temperârit. Sic ſi uxor maritum aut iracundiâ inflammatum, aut infortunio, aliove incommodo perturbatum, concubia nocte reducem, aut poſt crapulam, & temulentiam heſternam, jam jejunum biſſinis verbis, ſalutaribus monitis aggrediatur, profectò franget furorem, ſedabit turbas, à poculis revocabit.

VII. Quodſi verò in ipſum invehi, inſolentiùs cum eo altercari, & contendere conſueverit, jurgiorum finis haud fiet. Igitur tunc, ut alibi dixi, ore aquam haurire, eamque in illo retinere conſultiſſimum erit. Echo ſylvarum tamdiu clamori reſpondet, quamdiu clamatur: vis illam tacere? Tu tace prius. Nec mireris ſi te litigante, ad unicam vocem, ſeptenæ, reſultent?

Sex etiam ac ſeptem vidi loca reddere voces,
Unam cum faceres: ità colles collibus ipſi
Verba repulſantes, iterabant verba referre.

VIII. Eadem pene ratio in conjugiis. Vis ut ſileat *hæc Echo*? A tuo id diſcat ſilentio, miteſce, & ſcopulis cede. Contentioſa quædam mulier, cui maritus iracundo ingenio, cùm merulas à ſe coemptas daret aſſandas, dicens: aſſa nobis hoſce turdos; replicavit, merulas appelias turdos? Reſpondit ille turdos eſſe, negavit rurſum illa, & merulas eſſe contendit, tum Maritus eam pugnis contudit. Anno vertente cum rediret dies ille, memor verborum mulier, en ait: hic eſt dies univerſarius, quo me ob maledictas merulas malè excepiſti: tum vir, & adhuc negare audes fuiſſe turdos? nec quieſcentem rurſus pulſavit. Ità hæc Echo toties repercuſſa rediit, quoties vox provocavit. Vidiſti quandoq; in attrio aut cubili, ventorum turbine per patulas feneſtras irruente, omnia perturbari ac commiſceri. Quid remedii; Alteram feneſtram occlude, & ceſſare venti violentiam deprehendes. Hoc obſervavit Chryſoſtomus: in epiſt. 1. Teſſal. 5. *Convitiatus eſt, quiſquam vituperavit; Tu claude os tuum: ſi enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando è regione duæ*

januæ

Januæ (seu fenestræ) *appositæ sunt, & flatus vehemens irruerit, si alteram clauseris, nihil valeat efficere flatus? Ità & hic duæ sunt januæ, os tuum & os illius, qui te vituperat: si tuum occluseris, omnem istum flatum extingues.* Idipsum inter conjuges frequenter usuvenit. Quos monet Apostolus ad Ephes. cap. 4. v. 2. *ut cum patientia invicem in charitate supportent.* Denique utut Conjugum indoles diversæ sint, & dissimiles, eas mutuus componat amor necesse est. Dantur fructus, dicit Sanctus Franciscus Salesius, qui ob asperum succum suum manducari non possunt, nisi condiantur: dantur alii, ut cerasa, aliáque fraga, qui ob teneritudinem suam non durant, nisi eadem de ipsis cura habeatur. Ità pariter, si in uno Conjugum naturalis genii asperitas, in altero subtilis & querula indoles occasio sit amaritudinis & dissensionis, amore condiantur necesse est, sic fiet ut pax & concordia inconcussæ permaneant.

Sed quid dicam, si diabolus cuspidem virulentæ zelotypiæ, su- IX.
spicionum &c. vibret? Tunc sanè Matrimonium miseriarum barathrum est, ex quo, velut nigræ umbræ ex inferno afflictiones, calamitates, acerbitates, aliáque sexcenta mala prorepunt. *Dura sicut infernus æmulatio;* Cant. cap. 8. v. 6. Uxor garrula, imprudens, impudens, gravis crux est; uxor rixosa, otiosa, capitosa, ebriosa, sterilis, morbida, gravis crux est; sed omnium gravissima, uxor zelotypa. Sapientissimo mortalium credite: Eccl. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa,* quæ omnes viri gressus, oculos, verba, nutus observat, omnia suspecta habet, ubi illi detrahit; unde subdit: Eccl. cit. *in muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans;* ipsa verò sibi, & velut anima damnata, summa crux & tormentum est, quia *dura ut infernus æmulatio,* quam Orator aureus his verbis describit: Chrysost. de virg. c. 52. *Morbus iste non tristitiam solùm, sed iram intolerabilem ingenerare solet; cùm verò eo furore corripitur, nihilo melius afficitur, quàm qui à dæmonibus agitatur. Quæ cùm animadvertisset Salomon: dira, inquit sicut infernus æmulatio.* Nec minor crux, & carnificina est, *Maritus zelotypiæ Spiritu concitatus.* Profectò nunquam lues exitiosa magis, quàm zelotypia ex ipsis inferis prodiit, aut in Matrimoniis grassari

potuit. Hâc diabolus omnia, quæ poteſt retia tendit, omnésque vires exerit, ut aſtutiis ſuis illaqueare, & capere animas queat.

X. Adjurans quondam Sanctus Vincentius Ferrerius Valentiæ obſeſſam à dæmone Virginem, vi exorciſmorum maledictum ſpiritum eò adegit, ut in publico ediceret, quare in innocentem hanc animam intraverit; qui audientibus omnibus, dixit. Non ſum ſolus & unicus, ſed ſunt noſtrûm multi, & venimus ſolummodo ad ſeminandas diſcordias inter Patrem & Matrem hujus filiolæ; hoc procuravimus cum omni diligentia; ſed quia Mater ejus valde devota erga Sanctiſſimam MARIAM Virginem, ſub Patrocinium ejusdem confugit, propoſitum noſtrum exequi non potuimus. Diſceſſuri grandem ſtrepitum & tumultum excitavimus, unde omnes domeſtici ſe ſignô Crucis ſignârunt, hac ſolùm exceptâ, quam idcirco obſedimus. Ità ergo ſe ad invicem conjungunt, & congregant dæmones, ad cauſandas ſolum inter Conjugatos diſcordias; per quas illis jacturam in bonis quà corporis, quà animæ inexplicabilem cauſant. *Viro & Uxore*, dicit Chryſoſtomus homil. 4. in Epiſt. ad Timoth. *perperam diſſentientibus, nihil ſalubre eſſe poterit, totáque ſimul nutabit familia.* Diſcordantibus Conjugatis, nihil boni in domo remanet, nihil quod proſit Animæ, tota familia deperditur, & domus integra in ruinam vergit.

XI. Igitur denuo repeto Apoſtoli verba: *Cum patientia ſupportantes invicem in charitate*; ad Epheſ. c. 4. v. 2. Unus alterum in patientia ſufferat; *ſolicitè ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis*, ibid. v. 3. Soliciti conſervare unionem, & pacem, quæ æternandæ ſunt in gloria.

INSTRU-

INSTRUCTIO VIII.

Quomodo debeant distribui Officia inter Maritum & Uxorem pro bono Regimine domûs, & pro Pace Matrimonii?

IPsum hodie cælum Ecclesiastes erit; quod præsentem nobis instructionem sat luculentè non explanabit tantùm, sed duobus suis *Luminaribus Magnis* doctrinam penès saluberrimam suggeret, quâ ab innumeris nos erroribus avocet simul, & ad sui imitationem manifestè invitet. Cælum, inquam suis hodie *Luminaribus*, quorum diei unum, alterum nocti præest, prædicabit nobis. Etenim Solem & Lunam ideò DEum providè admodùm in cælo conjunxisse autumo, ut dum universæ huic Mundi (permagnæ domûs) Machinæ præsideant, nobis typum proponeret, quem non tam imitari, quàm æmulari, cuique in Matrimonio, ac regenda suâ familiâ assimilari Conjuges debeant. Uterque hic Planeta quàm congruè sua inter se munia partitur? quàm bellè suo quisque munere fungitur? Equidem ambo in hoc spectabili mundo, & ad speciem pulcherrimi, & ad rerum gignendarum commoditatem fœcundissimi, & ad incredibilem omnium varietatem in humanos usus invehendam efficacissimi; paucis: ambo *Luminaria magna sunt*. Gen. cap. 1. v. 16. Luna tamen semper *luminare minus* audit, illoque inferiùs est. Et quamquam sublunaribus his utérque in suos usus suos æqualiter præstet, vitalémque vim, ac salutarem corporibus, atque animantibus pari virtute communicet, unius tamen superioritas, & alterius subjectio; cursus illius infatigabilis, & assidua hujus solicitudo facilè cognoscitur. Sol Lunam, Luna Solem mutuò semper contemplatur & respicit; inde fit, quòd & ipsi non solùm lucidi sint, sed sua quoque luce universam terram amæniſſimè irradient & compleant, nisi quod subin hac interpositâ obscurentur, & nigra caligine orbem involvant, quò omnium nostrûm, & oculos ad sui considerationem, & animos ad investigandum mirabilem hunc naturæ cursum, & ordinem, rapiunt. Sol & Luna igitur typus ac rectissima benè ordinati Conjugii norma sunt, ad quam in dividendis oneribus suis respicere Conjuges debent, suáque inter se munia ità partiri, ut *Luminare*

Majus

Majus (Maritum intelligo) iis ſe nequaquam ingerat, quæ ad *Luminare Minus* (ad Uxorem) pertinent; atque *Hoc* ſibi Lumen majus ac poteſtatem non arroget, quàm à Sole, cujus radiis ſplendet, concipiat. Uterque hic Planeta, inquam rite ordinati Conjugii typus eſt: ità etiam Joſeph olim fratres ſuos velut ſtellas, Parentes verò ſuos velut duo cæli *Luminaria magna, quaſi Solem & Lunam* in ſomnis vidit. *Vidi per ſomnium quaſi Solem & Lunam, & ſtellas undecim.* Gen. 37. v. 9.

II. Vidimus jam in mutua fidelitate quæ ſecuritas cordis; in amore reciproco quæ dulcedines & voluptates Animæ; in concordia, & pace, quæ bona cordis, & animi ſint. Verùm ad conſervandam hanc fidelitatem, hunc amorem, hanc concordiam, & pacem, quid nobis deeſt? Bonum regimen domûs, bene diſtributa onera, & officia obligationum inter Maritum & Uxorem, & conſervatis iſtis ſequetur in concentu harmonia, in luminibus pulchritudo, in influxibus abundantia, in calore vita, in ſplendore honor, & in duabus Animabus Cælum. Eſt ergò Maritus ſol. O quantus ſplendor eſt in ejus dominio! Nihilominus ob hoc ipſum quàm graves labores in ejus adminiſtratione, quàm attenta vigilantia in ejus cura, & quàm debent adeſſe liberales influxus in ejus providentia! illum tangit, (quis hoc non videt?) curſus aſſiduus, feſtinatio, volatus, ut quærat quod poſſit diſtribuere, ut lucretur quo poſſit conſervare, & ut acquirat quo poſſit ſuſtentare. Sol à curſu detentus ad quid valeret? Ad perturbandum, & confundendum mundum. Et Maritus otioſus, deſes, delitioſus, negligens, incurius, ad quid ſervit, niſi pro vituperio, & dedecore infami, & turpi? Jam ſibi rident nationes omnes, quæ intellectu & ſapientiâ præditæ ſunt, audiendo quomodo Seti antiquitus, Uxoribus, reciſis capillis, abbreviatis tunicis, in duriſſimis agrorum deſudantibus laboribus, illi criſpatis crinibus, fucô illinitâ & depicta pelle, inter delicatos odores optimè inter pulvinaria accommodati hæſerint. Jam explodunt, & irriſui habent illi qui ratione pollent, Barbaros in Braſilia, quòd Uxor immediatè in lucem partu editô, ſurrexerit ad ſerviendum, & ad laborandum neceſſaria in domo, dum interim ſtolidus Maritus in lecto col-

collocatus percipiebat dona, munera, ſervitia, obſequia, curans ſe tractari ac ſi recenter prolem enixus fuiſſet. Apage, de hoc vel ſolùm loqui incutit pudorem, luxuriem, & ſuperfluitatem pro talibus Maritis, qui ſolummodo volunt eſſe ſoles in proſperitate, & commoditatibus, obliviſcentes in otioſitate hilari, & jucunda omnis laboris.

III. Sicut ergo Sol ſuſtentat magnæ Mundi domûs totam familiam, ità ut ejus calorem nec quidem minima lacerta ſubterfugiat; ſicut ſol veſtiendo campos, & ſuſtentando in illis viventia, exornat ſtellas, & illuminat ſua luce totam lunam; ità inde apparet quæ ſit Mariti in domo manifeſta, & clara obligatio. Idcirco ipſemet ſol, præter curam, & laborem, proſequitur directè ſuum curſum, nunquam alicubi divertendo nec quidem vel unico momento à ſua attentione; nec ipſimet ſoli, totum ſufficeret ſuum capitale, ſi alicubi diverteret: & ſemel, ut finxit antiquitas, inamorato in quandam Nympham moverunt contra illum querelam Poëtæ, quæ hucuſque etiam perdurat, ut canit Ovid. 4. Metam.

- - - - - Quid Virgine figis in una
Quos mundo debes oculos?

Sed quid de Maritis dicam, qui omnem facultatum ſuarum curam penitus ſeponunt, animum ad alia diſtrahunt, diu noctúque commeſſantur, atque adeò rei familiaris molem omnem, onus intolerabile Uxoribus imponunt? Profectò, inquit Doctiſſimus Cauſinus noſter, amentia eſt, quâ major dari non poſſit, imò non amentia ſolùm, ſed & truculenta fævities, & neſcio an Maritos inſanire, an fæviſſima quaque tigride crudeliores eſſe dicam, qui dum Uxores ſuas onuſtas prolibus gemere ſub gravi curarum domeſticarum onere, laboribus innumeris frangi, imò exhauriri, eóque egeſtatis deveniſſe, ut cinerem pro pane comedant, eò afflictionis, ut cum fletu potum miſceant, fame & ſiti confici, ac velut plantam ſinè ſucco arefieri, atque adeo in extrema neceſſitate conſtitutas vident; tamen heluantur, crapulæ & gulæ indulgent, prodigè & luxuriosè vivunt, ac fortunas ſuas ſi quas habent, penitùs abliguriunt, quas in alen-

dam & ſuſtentandam familiam diſpenſare debebant. DEUS juſte! quoties hoc u uvenit? O monſtrum! O homo nullorum hominum! O Marite, quisquis ut genio litare, ſatisfacere gulæ tuæ poſſis, ſepoſita adeò rei familiaris curâ, Præcepta DEI conculcas! ipſa, quam prodigâ non minus, quàm crudeli manu tua luſu dilapidas, potando abſumis, in pellices & amaſias expendis, ſubſtantiâ, ſanguis afflictæ Uxoris tuæ, vita egenarum prolium tuarum eſt, quas velut dimidium cordis tui diligere debes. Audi quid de te Sanctus Paulus ſentiat: pejorem Barbaro te eſſe dicit: *Siquis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; 1. ad Timoth. cap. 5. v. 9. Qui domûs ſuæ curam non habet, qui ſuis de ſuſtentatione non providet; quid prodeſt, quòd Chriſtianum ſe verbis jactitet, factis autem neget; ac in opere Turcis & Tartaris deterior eſt?

IV. Igitur ſi Maritus, quem honorifico Solis nomine ſuprà denotavi, ruri & in iis quæ foris ſunt, induſtriè deſudet, in accumulandis poſſeſſionibus ſuis multum laboris exhauriat, itáque familiæ ſuæ commoda atque utilitates ſedulò curet; neceſſe eſt, ut & domi Uxor Lunæ munus obeat, & quod à Sole (Marito) lumen (cenſus & reditus) ſortitur, bene collocet, atque influentias ejus, omnes nempe quos Maritus facit, quæſtus conſiliô & ratione adminiſtret. Domeſtica hæc ſunt, intra domum ad Uxorem (ad Lunam) pertinent. Hæc quid faciendum, quid omittendum ſit, diſponere, ad ejus nutum negotia domeſtica dirigi, & inſtitui debent. Quandoquidem etiam, ſeu in Medicina, ſeu in Agricultura, ſeu in Nautica arte vix ſit paſſus, qui non dirigatur juxta lunam: ſi dandæ ſunt purgationes, ſorbitiones, potus, medicinæ, obſervatur luna; ſi ſeminandum eſt, putandæ vites, ligna cædenda, priùs inſpicitur luna. Si ſunt conſignanda inconſtantiæ maritum vela, luna attenditur. Nónne ſol eſt Pater viventium, influentiarum Dominus, à quo pendent, tanquam à ſua origine, tempora? Ità eſt; ſed luna eſt Domina domûs, illa quam habemus ſemper magis immediatam; & eſt, per cujus manum debet tranſire totum regimen; illa hoc diſponit; illa hoc mutat, illa hoc alternat; & hac de cauſa ab illa tota dependet familia. Ad hunc omnino DEUS finem poſuit Adamo

ad

ad latus Evam. *Adjutorium ſimile ſibi,* Gen. 2. v. 18. non ſolùm pro ſocietate, ut illi dispelleret ſolitudinem; ſed pro adjutorio, quod imminuendo illi defatigationes, & labores, faceret eidem ſuaves moleſtias. Hoc eſt onus, occupatio, & negotium Mulieris, ad quod applicare debet omnes ſuas curas, & totam ſuam attentionem, dicit Sanctus Paulus ad Tit. cap. 2. v. 5. *Mulieres domûs curam habentes;* Mulieres cuſtodes domûs ſunt taliter, ut cum non habeant nec plus ſplendoris, nec plus luminis, quàm quantum percipiunt à ſuo Sole; poſtmodum versùs domum, & familiam impendant omnem ſuam ſolicitudinem: *Qui poſſidet Mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem,* dicit Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſticum cap. 36. v. 26. Principium, baſis, fundamentum, acquirendi ſufficientia media pro ſuſtentatione, & levamine ſuæ domûs, & ſuæ familiæ, eſt bona mulier. Mulier, quæ non debet eſſe occluſa, & otioſa in domo, quæ non debet exire cum marito ad ejus negotia. quæ non debet circumcurſitare per fora, plateas & vias, quæ nihil negotiatur de emptionibus: illa eſt principium, unde ille inchoat capitale? *Inchoat poſſeſſionem:* Ità eſt, proſequitur ipſemet Spiritus Sanctus; *Adjutorium ſecundùm illum eſt, & columna & requies.* Quia iſta mulier eſt adjutorium optimum, quod ille habere poteſt, & ad menſuram potiùs quantum ille indiget; eſt columna, quæ illum ſuſtentat, eſt requies, quæ alleviat.

Verùm in quonam conſiſtit hoc eſſe iſtius Mulieris tam bonum, ut ab illa dependeat pro Marito, & pro tota domo omnis felicitas? Primò in regimine virtuoſo, diſcreto, prudenti totius ſuæ familiæ, in diſtributione occupationum, & temporum; ità ut, cum nullus inveniatur otioſus, propulſa in exilium ſint vitia, detur locus actionibus virtutum, & quæ reſpiciant ſervitium DEI. Si in hoc reponit Materfamilias ſuam attentionem, hoc eſt dare totum eſſe ſuæ domui, dicit ſapientiſſimus hominum Salomon Prov. cap. 15. v. 1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam.* Sapiens? Ità eſt; in regimine, in diſpoſitione: hoc eſt eſſe ſapientem, ſcire bonum regimen ducere ſuæ Domus. *Fœminarum tota Philoſophia, eſt œconomia;* dixit Demoſthenes apud Salazar in Prov. Et ſi hoc ſcit; quantumvis non V.

ſciat latinè, nec verſata ſit in hiſtoriis, nec in ſcientiis, ſufficit. Hac de cauſa illa diſcreta, & prudens Lacedæmonia, quam captivam interrogârunt, quid nôſſet facere? Reſpondit quantocyus; *Scio bene regere domum.* Hoc omnino hoc eſt eſſe ſapientem. Quod ſi autem hoc deſit, quid inde ſequitur? Jam hoc ipſum dixit Spiritus Sanctus loco cit. *inſipiens exſtructam quoque manibus deſtruit.* Mulier aliqua ſtulta, inſipiens, & vana, quæ nullius rei curam gerit, quæ nihil gubernat, etiam domum maximam, deperdente ſe familiâ; totam in terram dejiciet, & deſtruet.

VI. Ad regimen poſtmodùm adeò prudens, ſequitur pro ſecundò etiam diligens applicatio, occupatio, negotiatio manuum ejus. Certum eſt, quòd alicui mulieri non poſſint imponi labores, & defatigationes cujusdam bajuli, & gravia portantis onera viri; ſed tamen in exercitiis muliebribus, etiamſi tenuia, & exigua videantur, proſcribendo damna otii, poteſt magnos facere profectus & lucra. *Mulier diligens corona eſt viro ſuo*, dicit idem Salomon Prov. cap. 12. v. 4. diligens mulier, applicata, laborioſa, eſt corona viro ſuo, eſt illa quæ adauget totum ſplendorem, eſt illa quæ facit, ſicut illa celebrata Mulier fortis, pro ornamento modò ſuo, & modò ſui Sponſi, ut hic poſſit apparere ſplendidus & illuſtris in oculis mundi; *Nobilis in portis vir ejus*; Prov. 31. v. 23. Sed ſi locò applicationis ad utilia, & proficua, prodigit & impendit tempus in vanitates, in futilia; ſi omnem diligentiam reponit ſolummodo in conſumptione integri matutini temporis pro ſui exornatione, ſi nihil aliud novit quàm fucos, colores, & tænias, ligulas; quid inde ſequetur Marito? *Putredo in oſſibus ejus, quæ confuſione res dignas gerit*; Prov. 12. v. 4. Putredo per totam vitam cum muliere, die, & uſque adeò etiam nocte floribus ſe ornante, ſemper floreſcente; conſumptio viſcerum per hoc, quod totum evaporat in pigmenta & purpuriſſas: teredo, quæ rodendo internè navem; quando minimè cogitatur tunc illa rumpitur, concidit & deficit; *Sicut in ligno vermis, ſic virum diſperdit mulier malefica*: ità legerunt Septuaginta.

Sequi-

Sequitur ex hoc tertiò; quòd cum regimine prudenti, cum diligentia ſuarum manuum, debeat conjungere Uxor curam, non dico ſuperfluam parcitatem & tenacitatem; cuſtodiam, non dico miſeriam, ut nec quidem groſſus malè expendatur de illo, quod conſtat laboribus, & ſudoribus ſuo Marito. Debet eſſe conſervatorium, vel fortalitium, locus murò cinctus, qui Maritum defendat; murus firmus qui hunc cuſtodiat, Nihil deſit indigentibus, ſed etiam nihil permittat ſuâ vigilantia quod dilapidetur & diſſipetur: *Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio, & ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens:* Eccleſ. cap. 36. v. 27. Ego pro certo aſſecuro, quòd ſi congruenter, quod Maritus acquirit, eſſet poſtmodùm in Muliere zelans cogitatio hoc ipſum cuſtodiendi, minores & pauciores querelæ darentur, & minores amiſſiones. Sed ſi illa prima eſt ad ſtultas incidentias, ad expenſas vanas, ad conſuetudines, ad vanitates, ad mundum muliebrem, & ad diſſipationes; quomodo non ruinabuntur ſubſtantiæ, quomodo non gement Mariti, quomodo non furabuntur in conſervationem ſuarum pomparum, quomodo non facient rapinas & fraudes ut ſubſtantia expendatur in viſitationes, & nocturna conventicula diſtractionis? Et quomodo, etiamſi attulerit Marito diabolus per duodenas, ut Mulieres ſtultæ, & inſanæ expendant per millia? Optimè ad rem depingebant Veteres tales Maritos, & hujus ſortis Uxores, pingentes Oenum conficientem grandi labore funem ex ſtupa, quem maxima cum moleſtia contorquebat; & à tergo proprium Oeni aſinum, qui ſicut ille tranſeundo relinquebat poſt ſe funem contortum, hic ſequebatur eundem devorando. Et ſi res ſic ſe habet, & ità abſque dubio ſuccedit, quid important, ad quid ſunt Mariti labores, moleſtiæ, & forſitan furta, latrocinia, forſitan fraudes & deceptiones, ſi unicò veſpere abſumuntur totius anni labores? Si pro unico pari inaurium expenduntur plurimi proventus, & ſi in aliquam ſtultam incidentiam & voluptatem unius Mulieris profunditur totum capitale? Licèt nihil omnino detur quod ſufficiat, ait Sanctus Baſilius, ad exſatiandam unius Mulieris vanitatem: *Nullus Muliebri concupiſcentiæ theſaurus ſufficiens eſt, nec ſi è fluminibus fluat.* Etiamſi totus foret fluvius pecuniarum, non pertingeret eò ut ſufficeret. Et ſi hoc ſic accidit, conqueratur de ſua ſtultitia, lamententur contra ſuas va-

VII.

nitates, non autem doleant, & querulentur de Matrimonio, & audiant hoc fatale experimentum.

VIII. In libro intitulato: *Scala Cæli* refert Religioſus Joannes Junior Dominicanus, & hoc ipſum etiam narrat Magnum ſpeculum exemplorum *verb. Veſtimentum, Exem.* 8. certum Religioſum Sacerdotem celebrâſſe continuò Miſſæ ſacrificium, & peregiſſe maximas pœnitentias pro Anima, ſuæ Matris defunctæ, uſquedum quodam die, quô cum majori fervore, & lachrymis pro illa orabat, eandem ex improviſo conſpexiſſet ante ſe mediante hac horribili viſione. Vidit illam advenire ſedentem ſupra ſæviſſimum Draconem, qui ſulphureas evomebat flammas; & ex utroque latere duos horribiles dæmones, qui duabus catenis igneis, quæ illius circumdabant, & ſtringebant totum corpus, eam trahebant captivam; ex capite ejusdem pendebant quàm plurimæ lacertulæ; duo ſcorpiones in oculis erant, in auribus duo ſorices, & hi & illi non ceſſabant eam rodere, & mordere. Corruit extra ſe in terram Religioſus; ſed illa infelix, nè timeas, dixit illi, ego enim ſum tua maledicta Mater. Sed quomodo eſt hoc? repoſuit filius? nónne es tu confeſſa, & percepiſti Sacramenta? ità, reſpondit; ſed quia ornamenta pompoſa, & profana non merentur niſi iram DEI, quibus ab ipſa uſque juventute mea me tradidi cum fucis, purpuriſſis, & mundo muliebri, quæ omnia comitabantur meæ peſſimæ cogitationes; & quamvis hæc ſolita fuerim confiteri, confeſſio fuit ſinè dolore, nec cum propoſito emendationis; & ſic migravi, nec unquam habui vires ut potuiſſem revalidare illas confeſſiones, hac de cauſa ſum abſque remedio damnata. Et quænam figuræ ſunt iſtæ tam horribiles? quæſivit ex illa filius. Et illa: Draco iſte me portat, & ducit ob ſordidas & fædas cogitationes, quas ſemper habui; iſtæ lacertulæ ſunt modo ornamentum meorum capillorum; hi duo ſcorpiones faciunt me ſolvere turpitudines, & fæditates oculorum, & inhoneſtos intuitus, ſorices iſti rodendo repetunt mihi laſcivas meas converſationes: & tandem hi duo dæmones, qui ad latera me comitantur, unus ex illis eſt propter expenſas ſuperfluas, quas tuum Patrem, & meum Maritum feci expendere cum non paucis læſionibus, & offenſis DEI in meum vanum ornatum,

tum, ſuppellectilem, & mundum muliebrem: & alter adeſt propter multas Mulieres, quas ego provocaveram, & perdideram per introductiones uſuum novorum, & morum, ſicut & per copiam malorum exemplorum. His dictis, & cum ejulatu horribili, diſparuit.

O utinam reſonaret hic ululatus, & hæ voces in auribus earum, quæ efficientes Matrimonium propter ſuas vanitates, & inſanias, intolerabile, injiciunt cum illo Animæ catenas, ex quibus nunquam evadant, nec illas unquam diſſolvant? O utinam ſerviret hoc experimentum ad hoc, ut adipiſcendo uxores quietem, avulſionem & averſionem à vanitate, à fucis purpuriſſis, quæ illis ſolum ſerviunt pro inquietudine, aliis pro laqueis; acquirerent etiam Mariti in Matrimonio alleviatum onus expenſarum vanarum & inutilium, vitæ hujus felicitatem, & in pace, & in concordia boni regiminis domûs ſuæ, lucrum æternæ pacis gloriæ. IX.

INSTRUCTIO IX.

De Tertio Bono Matrimonii: de Bono Prolis.

DAtur *Bonum* aliquod, quod affligit dum non habetur, & affligit pariter, dum habetur. Datur *Bonum* aliquod, quod dum non habetur, grave in ſe deſiderium accendit, & dum habetur, ocyus in varias animum curas diducit. Datur *Bonum* aliquod, quod videtur melius quando quis ſinè illo eſt, & jam quando quis illô fruitur, per hoc ipſum, quod cruciet, creſcit illius æſtimatio. Sed mitto ænigma ac dico: hoc eſt tertium Matrimonii *Bonum: Bonum prolis.* Bonum, quod compoſitum ex duabus contrarietatibus, nunquam ſcimus quando ſint *bona* pro Conjugatis proles; quandoquidem, dum deſunt, mœſtitiam cauſant, & quando habentur, affligunt: dum non adſunt, deeſt in Matrimonio cauſa quaſi unice lætitiæ, & his præſentibus, abundat in domo copia & plenitudo curarum. In quo ergo conſiſtit iſtud bonum? Difficilis quæſtio, quam quondam propoſuit ſuis Academicis I.

micis Euripides. Quid adfert, interrogavit Conjugatis majorem guſtum & voluptatem, ſterilitas, an fœcunditas? Habere proles, vel his carere? & in veritate, inter rationes & argumenta, modò pro una, modò pro altera parte, remanſit dubium ſinè reſolutione. *Dubius equidem ſum, neque judicare poſſum, utrùm melius ſit progignere liberos, aut ſterili vitâ frui?* Si non adſint, quies eſt, attamen mœſta ſolitudo; ſi adſint, cauſant lætitiam, ſed etiam profundas cogitationes anguſtiæ, & anxietatis. Si non adſint, coarctatæ ad minorem ſphæram curæ dant locum vitæ; ſed non permittunt hanc vitam cordi continua deſideria. Si adſint, divertunt detentum amorem illis blandiendo; ſed ſuis præfractis & perverſis moribus etiam adimplent, & afficiunt cor timoribus. Qui proles non habet, vivit liber à continuis moleſtiis; ſed ſinè aromate, quod condiat Matrimonii onera. Qui illas habent, vix vivunt, quia nec quidem ſomnum permittunt, nec requiem, ſed dum illas ſolummodo vident, reſpirant refocillatæ eorum anxietates & moleſtiæ. Proles denique deſiderant & optant illi, qui easdem non habent; & illi qui easdem habent, dicunt: ut DEUS concedat proles illi, qui easdem deſiderat. O quàm bene dixit Tertullianus: *Amara eſt liberorum voluptas.* O guſtum amarum! ô amaritudinem pergratam & jucundam, quæ in amore dulciſſimo involvit pœnas, anxietates & moleſtias amariſſimas! Loquatur id experientia. Videamus Rachelem, quæ mori deſiderat, niſi liberos habeat: *Da mihi liberos, alioquin moriar*; Gen. 30. v. 1. & hæc ipſiſſima adeptis eisdem, vitam per Benjaminum amiſit, qua de cauſa eundem vocavit filium doloris: *Filium doloris mei:* Gen. cap. 35. v. 18. Videamus, quòd pro Rebecca ſterili clamet Iſaac ejus Maritus ad DEUM, ut illi donet liberos: *Deprecatúsque eſt Iſaac Dominum pro Uxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis*; Gen. cap. 25. v. 21. Et hæc ipſiſſima, dum in utero habet duos filiôs, præ doloribus quos illi cauſant, exclamat pœnitens: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Gen. cap. 25. v. 22. Quare fuit neceſſe concipere, ut in tantum crucier? Videamus, quemadmodum Abrahamo, etiam offerente DEO totam immenſitatem divitiarum, hæc omnia appareant ſicut nihil, cùm careat filio: *Quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis*; Gen. cap.

cap. 15. v. 2. & hic ipſiſſimus, habitô jam filiô, etiam ſolummodo ex angore transfigi ſibi cor ſuum expertus: *Ibi erat Patris paſſio tota, ubi filius immolabatur*, dicit Zeno Veronenſis. In quo ergo hæremus? Eſtne hoc *Bonum prolis?* Et quòd ſi bonum eſt Matrimonii, quare ergo non omnia Matrimonia illud habent. Duæ ſunt quæſtiones, ad quas reſtringitur hodie noſtra Inſtructio; & priuſquam reſpondeam ad primam, ſatisfaciam ſecundæ; nam ſi non invenitur tam facilè in quo conſiſtat hoc *Bonum*; ut tale ſit, ſolus DEUS debet illud impertiri.

II. Quatuor claves naturæ, dicebant Veteres Hebræi, DEUM reſervâſſe in ſuis propriis manibus, nec ulli eas confidere voluiſſe. Prima eſt clavis Cæli quò ad pluvias; DEUS cælum facit pluere, quando vult, & continet peſſulos cæli acſi adamantini eſſent, dum pluviam denegare vult: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam*; Pſalm. 146. v. 8. Secunda eſt clavis ad promptuaria & granaria, unde nobis diſtribuit frumenta pro ſuſtentatione, etiamſi multorum manus ſacrilegæ hanc illi è manibus extorquere velint: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Pſal. 144. v. 16. Tertia clavis eſt mortis & ſepulchrorum, quia ſolùm DEI potentia poterit vincere eorum fortiſſimas feras: *Aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris*; Ezech. cap. 37. v. 12. Et quarta quænam eſt? Hæc eſt clavis vitæ, quâ ſolus DEUS, animando in utero Matris prolem, illi confert eſſe, & inde illam in lucem extrahit: *In te confirmatus ſum ex utero Matris meæ, tu es Protector meus*; Pſal. 70. v. 6. Jam ergo hinc ſequitur quando ſit majus bonum ſterilitas, & quando non habere filios ſit fortuna maxima in Matrimonio. Ego non nego apud illos, qui proles non habent, eſſe licitiſſima deſideria, juſtiſſimos clamores, gratiſſimas DEO orationes, quas fundunt pro illis conſequendis. Dicat hoc in lege veteri Anna vel maximè prodigioſa Mater, imò ipſum maximum prodigium legis gratiæ. Sed hoc fit ideo ut DEUS agnoſcatur ſolus proles donare. Quid cum medicinis, potiunculis, humanis induſtriis? Fide caret, qui non videt, & bene conſiderat tam grandes ſtultitias. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; Pſal. 126. v. 1. Et quid ſi DEUS illas negat? ô judi-

judicia altiſſima! quis vos non adoret? Quoties pro bono Parentum illas tali modo denegat? forſitan amor ſuperfluus & nimius in filios impleret animas Parentum peccatis, ſicque filios & Parentes detraheret uſque in infernum. Dicant hoc tot Parentes, quot ibi ſunt, abſque aliis catenis, quàm quas illis præparârunt filii. Quoties pro bono ipſorummet filiorum, ſicut cum Juda factum eſt, multò melius eſſet non naſci? Quot non naſcuntur, quia prævidet ejus Majeſtas mortem corporalem Matris in partu, vel in prole æternam mortem in abortu? Et omnes denique, quia illas quas ità vult quò ad corpus ſteriles, ſcit ſpiritualiter poſſe eſſe pro æternitate fœcundas, dum pariunt in ſuis bonis operibus proles, quæ multò melius ipſas immortales reddant. Dicat hoc ille tam celebris Joannes, Patritius Romanus, & ejus Conjux, qui pares in virtute, ſicut & ſterilitate, & ſic quidem privati prolibus, ſed pleni divitiis, eligentes ſibi pro Hærede Sanctiſſimam MARIAM Virginem, ex toto illi hæreditatem conſecrârunt; acceptavit Magna Domina interveniente miraculô prodigioſô nivis, quæ in medio dierum caniculariorum decidit noctu in totum illum ſitum, ubi ædificata eſt Eccleſia Sanctæ MARIÆ Majoris Romæ, quam totus veneratur mundus. Et jam quæro: eſsétne ità celebre hodie, florerétne tam gloriosè horum duorum Conjugum nomen, ſi habuiſſent triginta proles, quorum cauſâ forſitan, conſumptâ totâ ſuâ ſubſtantiâ in luſu, & vanitatibus, ſibi & prolibus adauxiſſent infernum?

III. Conſervetur igitur cum orationibus, eleemoſynis, & bonis operibus ſpes; quòd ſi expediens fuerit, ut Conjugibus DEUS largiatur proles, erit tunc eò feliciùs illorum Matrimonium. Caſus admirabilis Romæ in Templo Sancti Salvatoris de Lauro extat inſculptus grandi lapidi, quem refert Marchantius in horto Paſtorum Candel. Myſt. Tract. 8. Lect. 10. Propoſ. 1. ad fin. cujus hic genuina refero verba: Anno 1474. Joannes Mates, & Catharina Calagnita, Barcinonenſes, cùm annos octo egiſſent ſinè prole, pro ea obtinenda voto domi concepto, & in Sancti Severi Eccleſia renovato, Sacrum ſolemne celebrandum curârunt in honorem duodecim Apoſtolorum, accenſis duodecim cereis, cum nomine unius Apoſtoli ad ſingulos cereos. Audierunt Apoſtoli vota precantium: nam ſpatio trede-

credecim annorum ſequentium, duodecim proles habuêre, octo maſculos, & quatuor fœminas; quorum ſingulis unius Apoſtoli nomen indiderunt. Et licèt diu ſupervixerint, nullam tamen ultrà prolem ſuſceperunt. Filii deinde poſt Parentum mortem ſinguli circa feſtum ſui Apoſtoli, cujus nomen gerebant, obierunt. Horum ultimus Petrus Mates, J. U. D. Cubicularius Apoſtolicus, hæc Romæ in marmore incidi curavit, in Templo S. Salvatoris. Quod marmor translatum eſt in Clauſtrum, dum Eccleſia conflagravit. Hucuſque Marchantius.

IV. Inde jam ſequitur clara cognitio, quandonam *Bonum* ſit Matrimoniis habere proles. Non conſideratur hoc bonum quò ad ſenſum guſtûs & voluptatis, nec quò ad infirmitatem humanarum conventiarum, nec quò ad caducas temporales ſucceſſiones; ſed vocatur bonum, quando bonum eſt pro Republica, quando bonum eſt pro decore & ſplendoribus Eccleſiæ, quando bonum eſt pro felici augmento filiorum DEI, & quando accreſcente cum illis numero fidelium, implebunt pariter numerum Beatorum. Dum ergo res ſic ſe habet, O quæ felicitas Conjugatorum! O quæ fortuna familiarum! *Gloria Patris eſt Filius ſapiens, & Filius ſapiens lætificat Patrem*; Proverb. cap. 15. v. 30. Filius, qui laboribus ſuorum Parentum ſuſtentatus, diligentiis bonæ educationis inſtructus, eo uſque pervenit ut in Eccleſia DEI evadat grande lumen ſapientiæ; ubi eſt cor talis Parentis, qui ità evectum conſpicit filium, ubi inquam eſt cor, quod tantam capere poſſit lætitiam, tantum jubilum? De Diagora Rhodio, refert Gellius lib. 3. cap. 15. his verbis: Diagoras tres filios adoleſcentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiaſten, tertium luctatorem, eósque omnes vidit vincere, coronarique eodem Olympiæ die: & cùm eum ibi tres adoleſcentes complexi, coronis ſuis in caput Patris poſitis, ſuaviarentur, cúmque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret, ibi in ſtadio inſpectante populo in oculis atque in manibus filiorum præ lætitia Animam efflavit, corde tantam non capiente lætitiam. Filius, dum probâ inſtitutione bonisque virtutum exemplis enutritus totius demum alicujus Reipublicæ decus, Chriſtianitatis honor, Eccleſiæ gloria efficitur, quanta Parentes ſuos lætitiâ non perfundet? *Exultat gaudio Pater juſti; qui ſapien-*

ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat Pater tuus, & Mater tua, & exultet quæ genuit te. Prov. cap. 23. v. 24. & 25. Filius denique, qui ob probatos mores, auguſtam indolem, peritiámque militarem, aut excellentem doctrinam ſuam ad ſumma dignitatum culmina evehitur, aut quod frequentius eſt, ob inſignes virtutes ſuas ſummos honorum apices conſequitur; æternam Parentibus pariter gloriam pariet, dum ob bonam horum educationem talia, ac tanta præmia aſſecutus eſt. *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur.* Eccl. cap. 30. v. 2. Et ſi tales mirari ſatis, ore deprædicare, atque extollere encomiis univerſus Orbis non poteſt; grande utique *Bonum* Matrimonii in prolibus erit. Nihil moleſtiæ, nihil onera & ſolicitudines Parentum putandæ ſunt, ſi per illas ſublimia adeò dignitatum faſtigia Proles conſcendant. Dum Sanctus Franciſcus Xaverius Adoleſcens Pariſiis litteris vacabat, pertæſus ejus Parens in aliqua epiſtola Sanctæ cuidam Moniali in Gandia de multis expenſis conqueſtus eſt, quas in Franciſcum expendere debebat; quem ecſtatica in Sybilla, nè ullis unquam ſumptibus parceret ſeriò hortata eſt, cum addito: Franciſcum in magnum, & eximium Eccleſiæ Virum evaſurum. Et certè quantis jam fulgoribus in univerſo Orbe radiat, quantum honorem in Parentes, quantum decorem in familiam ſuam, quantam gloriam in totam Eccleſiam derivat? Ità nempe omnes liberorum actiones ac præclara geſta tribuuntur parentibus: quod eleganti ſimilitudine expreſſit Hirocles apud Stobæum. Quemadmodum, inquit, Phidiæ, aut aliorum artificum Statuæ, ſi ipſæ rurſus aliquid agerent, id quoque opus non dubitaremus tribuere artifici; eodem modo actiones etiam noſtræ, Parentum noſtrorum opera eſſe diceremus, per quos nati ſumus. Sic pariter Lib. 1. Regum: cap. 13. v. 4. dicitur: Saul percuſſiſſe Stationem Philiſtinorum, cùm ea victoria Jonathæ filio v. 3. præcedenti tribuatur: *Percuſſit Jonathas Stationem Philiſtinorum.* Reſpondet Carthuſianus: *Quod Jonathas egerat, Rex terræ Saul judicabatur feciſſe: Sicut victoria Militum adſcribitur Principi.* Similiter Abulenſis: *Quia Jonathas erat conſtitutus ſub Rege, & fecit hoc authoritate illius, dicebatur ipſe feciſſe.* Alii volunt Saulem eam ſibi gloriam attribuiſſe, quæ per filium parta fuerat:

quia

quia gloria filii redundat in Patrem. Ità igitur proles Parentum honor & gloria sunt.

Igitur tales filii, *Bonum* Matrimonii sunt, sin minus, maximum Matrimonii malum sunt. Domus pessimis & inutilibus prolibus plena, quid emolumenti habet, quòd multæ proles adsint, si illarum numerus nonnisi ad majorem, & familiæ infamiam, & ipsorum Parentum perditionem deservit? *Ne jucunderis cum filiis impiis, si multiplicentur*, dicit ipsemet Spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum c. 16. v. 1. *neque oblecteris super ipsos, si non est timor DEI in illis.* Multas proles habere, iisque velut securis seræ posteritatis præsidiis inniti nihil proderit, nisi DEUM timeant: ità enim familia quidem, sed penes etiam familiæ Parentúmque dedecus & opprobrium traduce mala educatione in multas retro generationes propagabitur. *Non credas vitæ illorum*; ibid. v. 2. & *nè respexeris in labores eorum.* Filius unicus, qui DEUM timet, mandata ejus observat, mores suos ad Christianam honestatem componit, actionibus suis honestos fines præfigit, mille aliis otiosis, dissolutis, lusui deditis, & impiis præstat; *Melior est enim unus timens DEUM, quàm mille filii impii.* ibid. v. 3. Denique satius est nullos omninò filios, quàm in malis infamem, & probrosam sobolem, & posteritatem relinquere: *Et utile est mori sinè filiis, quàm relinquere filios impios:* v. 4. O Parentes! contremiscite, terrore concutimini hisce fulminibus per ipsa DEI labia vibratis. *Stirps, prosapia*, in nostra lingua Italica, idem sonat, ac *Domum ædificare*; quo quidem denotatur bonæ alicujus domûs exstructionem non tam in materiali lapidum dispositione & congerie, nec in aliis pretiosis ornamentis, quàm in bona filiorum institutione in timore DEI, & in virtutibus consistere. V.

Porrò solet DEUS multis Conjugiis & in præmium meritorum, & in peccatorum pœnam posteram sobolem denegare. Ità refertur in Speculo Exempl. *V. Filius.* Simul ac Parentes quidam bovem viduæ furati sunt, eorum filius à rabido cane invasus, pariter insaniit. Hunc Abbati Ammoni coràm sistebant, ut is impositis illi manibus mederetur; qui se peccatorem confessus, aliud non respondit, quàm: sanitatem filii sui in propriis ipsorum manibus, VI.

cúmque quamprimùm quem clàm abſtulêre, Viduæ Bovem reſtituerint, ſuâ demùm ratione potiturum eſſe. Stetêre ſuprà hoc attoniti, unde Sancto Abbati tanta notitia? ac domum reverſi illico ac bovem reddiderant, filius quoque priſtinæ ſuæ rationi reſtitutus eſt. Quàm multis ob ſimilia fortaſſis delicta DEUS aut ſobolem non concedit, aut conceſſam denuo eripit? Simile quid de Sancto Joanne Chryſoſtomo in ejus Vita Surius refert 21. Januarii. Hunc alii duo Conjuges profuſis lachrymis precabantur, quatenus ſibi, cùm quartum jamjam abortum Uxor paſſa ſit, hujus tandem, quem uterò ferebat, fœtus, felicem à DEO partum impetraret. Quibus ille: Hæc peccatorum veſtrorum pœna eſt; ab his ſi ceſſetis, promitto fore, ut DEUS vobis filium largiatur. Ceſsârunt, & Sancti adimpleta promiſſio eſt.

VII. Claret igitur *Bonum* Matrimonii non eſſe *Proles*, quæ ex concupiſcentia carnis, & voluntate viri, aut ad traducendas in ævum Parentum divitias ac ſtirpem natæ, ſed quæ optimis documentis inſtructæ, bonisque virtutum exemplis firmatæ ſunt. Hæ tales *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ*; Pſalm. 127. v. 3. velut ſurculi olivarum erunt, ex quibus & hic in terris, & ibiin cælis perennatura Parentibus corona plectetur. *Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum*, ibid. v. 4. Ità DEUS benedictionibus ſuis bonos Conjuges cumulabit; iſti etiam totâ vitâ in bonis filiis omnia bona poſſidebunt; *Et videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.* ibid. Ac tandem relicta multa propagine; *& videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael*; æternùm fruentur perfectiſſimis bonis gloriæ.

INSTRU-

INSTRUCTIO X.

De Bona Prolium Educatione, quæ Bona Matrimonii coronant.

DUx ille inſuperabilis Alexander Macedo unicô urgebatur deſideriô, urebatur incendiô, agitabatur ſtimuliô, quò totum quà latè patet Mundum ſuæ ſubjicere ditioni poſſet. Subjecit etiam, ſed ad quem ſubjugandum omnem & mentis & Militis ſui aciem direxerat, illi poſtmodum regendo inſufficiens fuit: ſicque deprehendit, ſe capere non poſſe, cujus antea ambitioſo admodùm amore tenebatur; atque adeò converſum illi in mœſtitiam cordis eſt, quod avariſſimis votis nunquam ſatis deſiderare potuit. Hoc, ùt Auguſtus Cæſar inaudiit, inſanam hanc dominandi ſitim miratus, neſciebat Alexander, inquit, Principis gloriam non in eo conſiſtere, quòd multa acquirat, ſed quòd pauca bene moderari ſciat. Quandoquidem nihil prodeſt multa acquirere ad hoc ſolummodo ut perdantur, & ut lucrum, locò incrementi, ſerviat pro anxietate, & pro ruina, poſtquam ſervivit pro moleſtia & intricatione. Etiam Parentes in prole *Mundum parvum* (quia hominem) nanciſcuntur, ſed multò pretioſiorem, digniorémque illô, quo Alexander potitus eſt. Ideò etiam Parentum honor, & gloria, eorúmque Matrimonii perfectio minimè in acquiſitione *Prolis* conſiſtit. Hanc ſiquidem ſi bene regere, & gubernare (inſtruere & educare) non ſciant aut negligant, & hic in ſummas calamitates, & ob ſtrictiſſimam, quam deſuper rationem reddent, in profundum inferni conjicientur. Quilibet filius, quem DEUS Parentibus concedit, dicit Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 9. in 1. ad Timoth. depoſitum pretioſiſſimum, ditiſſimum, inæſtimabile eſt, quod ſua Majeſtas illis conſignat; & ad hoc conſervandum & cuſtodiendum condignam, & debitam curam, & diligentiam adhibere tenentur. Quod ſi de hoc depoſito reddenda eſt eis ratio, quando id DEUS ab illis exegerit: quid reſpondebunt de Anima, quæ plus valet omnibus mundi theſauris, ſi per illorum negligentiam deperdatur? *Magnum*

I.

gnum habemus, pretiosúmque depositum, scilicet filium; ingentè illum servemus curâ. Et in veritate eò collimat tota fabrica, tota Sacramenti Matrimonii sacra machina; eóque potissimum Parentum omnes curæ per totam vitam tendere debent, nimirum: non solum ad propagationem familiæ & stirpis suæ, non solum ad multiplicationem prolium (nam absque tali sacro fœdere, videmus multiplicari per campos bestias, videmus continuari in montibus generationes brutorum) sed principaliter ad bonam filiorum educationem. Ideo inseparabiliter adeò Parentes conjuncti sunt, ut sic attendant, curam habeant, & ad bonam educationem pro securitate salutis prolium, pro communi emolumento Rerumpublicarum, & pro pulcherrimo Ecclesiæ splendore summè invigilent. Et si hic finis cum filiis non obtinetur, sanè omnes totius vitæ labores, & anxietates omnes pessimè applicantur. Hoc ergo in prolibus attendendum est, dicit Sanctus Augustinus lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7. *In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur.* Itaque ab ipso momento, in quo à DEO percipitur hoc depositum, jam incipiunt Parentum curæ, & solicitudines. In utero Matris tota attentio amorosa: *Amanter suscipiatur.* Ab eo ipso momento quo prodit ex utero fœtus, educatio, & nutritio non minùs solicita, quàm benigna esse debet; *Benignè nutriatur.* Et ubi ex infantilibus ignorantiis ad rationem pervenerit, ante omnia (secludendo omnes leges politicas) excellentissima dogmata, & præcepta Christianismi docendus est. *Religiosè educetur.* Multa hæc est materia pro hodierna doctrina nostra, quæ exquireret (secundùm quam videmus in Parentibus negligentiam, & ad horum exemplum in prolibus pessimos sæpe mores) continuas voces Prædicatorum, & admonitiones. Attamen ad cohibendum hunc ipsum fontem, & hanc scaturiginem, unde eveniunt toti Reipublicæ tot damna, toti Christianitati tot scandala, multis familiis tot ruinæ, & millenis Animabus æterna damnatio; in vanum clamant Prædicatores, in vanum exhortantur Confessarii, in vanum laborant Parochi, in vanum zelant Prælati; atque multi Parentes in propria domo educant in quolibet filio libero, & malè educato, inimicum DEI, destructorem, & everſorem Religionis, scandalum præterea pro publico, & titionem

nem pro inferno. Faceremt Parentes in ſua domo, quod deberent, educarent quilibet ſuos filios, & filias, juxta Legem DEI; & qualis (conſiderate hoc) qualis eſſet noſtra Reſpublica? qualia exempla, quales mores, qualis modus vivendi, quales virtutes? Sed quonam diſtrahor?

Momentum quo fætus in utero animatur, eſt momentum, unde incipiunt currere lineæ æternitatis. Atque utinam Chriſtiana hoc Mater conſideraret! Ab eo igitur imminentibus novellæ creaturæ maximis & inſtantaneis periculis, debent adhibere Matres diligentiſſimam & inſtantaneam curam. A puncto, in quo agnoſcit depoſitum, quod DEUS collocavit in ejus utero, habet negotium minimè contemnendum, aut parvi ducendum, ſicut ſolet fieri in nugis, & in rebus minutis. Non rarò conſiſtit in unica actione, quæ levis eſſe videtur, in unica levi negligentia, perpetuus animæ (fætûs) interritus. Et quòd ipſiſſima Mater filiolo ſuorum viſcerum tantæ ruinæ cauſa ſit, hoc ſanè incutit horrorem, & terrorem vel tantùm hoc cogitanti. Quid diceretis de tali, quæ poſteaquam enixa eſt in lucem pulcherrimum infantulum, quia permitteret eum aquâ Baptiſmi lavari, arripiendo cultellum in partes eundem dilaniaret, & devoraret? Quæ beſtia eſt hæc diceretis, tam aliena à ratione & intellectu? Ecce hoc ipſum faciunt omnes, quotquot geſtantes in utero fœtum, vel potionibus, & medicinis, aut aliis negligentiis inconſideratis abortum procurant; *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci*; dicebat bene Tertullianus in Apol. c. 3. Oportet ergo advertere, graviſſimè peccare Matrem, quæ ſe gravidam agnoſcens, qualemcunque actionem, etiamſi leviſſima videatur, aſſumit, de qua ipſi conſtat vel ab experientia, vel ex alia notitia, quòd exinde abortus ſequi poſſit, ùt v. g. ex comeſtione, deambulatione, induitione, alióve motu, & actione. O quàm pendet ab unico inſtanti tota æternitas, & ſalus animæ! Hoc eſt quò ad curam corporalem. Et quò ad DEUM? O quales debent eſſe preces prægnantium, & clamores ad DEUM ut fœtum incolumem ſervet. *In te confirmatus ſum ex utero*; dicebat David Pſalm. 70. v. 6. Quales ad Sanctiſſimam Virginem, & Angelum ſuum Cuſtodem orationes fundere, quàm ſedulò recurrere debent ad Sacerdotes, ut per be-

II.

nedictiones, & verba Sancti Evangelii creaturæ protectionem, & ſibi felicem partum impetrent. In vita Sancti Stephani Martyris refertur apud Marchantium 8. Lect. prop. 2. quòd, dum gravida eſſet ejus Mater ad introitum ad Eccleſiam Sancti Germani Patriarchæ Jeroſolymitani, impedita à populi multitudine, conſcenderit quoddam ſcamnum, & inde clamaverit: *Benedic Domine, quod in utero meo eſt:* & converſus Sanctus Prælatus illam intuens, vidénsque oculis mentis admirabilem Martyrem, qui ibi Eccleſiæ præparabatur, impertiendo benedictionem dixit: Benedicat DEUS hunc infantem per interceſſionem ſui primi Martyris Stephani. Et dicente illo hæc verba, vidit Mater prodeuntes ex ore Sancti Prælati igneas flammas. Parvulus natus eſt, cui in Baptiſmo nomen Sancti Stephani impoſuerunt, factúsque eſt poſtmodum prodigioſus Martyr Eccleſiæ. Et quid ſciunt Matres gravidæ, quid futura ſit proles, quam in utero gerunt? Quis ſcit an non geſtent theſaurum inexplicabilem Sanctitatis, ſicut geſtabant multæ fortunatiſſimæ Matres?

III. Fœtu edito, non ſolùm non ceſſant, ſed duplicantur curæ; *Benignè nutriatur.* Et quidem omnium primò ad hoc intentæ ſint, ut quantocyus percipiat Baptiſmum; non ſolùm, nè ex negligentia Matris, aut Nutricis, ponendo illam in uno eodémque lecto, ſuffocetur in ſomno; quæ negligentia eſt tam enormis, ùt jam aliàs dixi Part. 2. Inſtruct. 38. n. 9. qualiter contra illam fulminaverint graviſſimas pœnas Sacri Canones. Non ſolùm attendatur ad bonos mores nutricis, quandoquidem non rarò cum lacte ejusdem mores imbibuntur. Alexàndri Magni ebrietatis vitium, quo hucuſque in Hiſtoriis notatur, dicunt, proveniſſe à vino, quod inordinatè illius Nutrix ſumebat. Et de Sancta Catharina Sueca, Virgine puriſſima refertur, quòd nunquam à muliere laſciva lac ſugere voluerit. Sed etiam tangit principaliſſimè Matrem, ducere ad templum, & offerre in eo ex tota Anima ſua DEO prolem ſuam. O quàm multos ſimilis Sanctarum Parentum devotio acquiſivit filios ſanctiſſimos; & bene poſſem ego referre admirabiles eventus de ſimilibus DEO oblationibus prolium ex corde devoto factis. Dum ergo jam balbutire incipiunt, Matres bonæ & piæ adlaborent, ut ſint primæ voces JESUS & MARIA, ut ſint prima earum crepundia dicere & proferre

re horum laudes. Si nos hic gaudemus, & tantùm celebramus ſimiles audientes voces, quomodo applaudent Angeli audientes talia ab Anima tota in gratia conſtituta? O quantum in his annis poteſt inſtillare Mater, de pietate & de profectu in ſimili tenera planta? *Mulier*, dicit Sanctus Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. v. 15. (quàm ponderoſa verba) *Mulier ſalvabitur per filiorum generationem*; nimirum propter illorum bonam & ſanctam educationem. Si ſolicitudines, moleſtias, dolores, quos illi proles cauſat, ad DEUM cum ſua prole dirigit, ſi vigilias, quibus die noctúque prolem cuſtodit, penitus cum prole ad DEUM refert, ô quàm ſublimem in gloria aliquando gradum obtinebit! Sed quare de Uxore dicit hoc ſolummodo Sanctus Paulus, & non de Marito? Nunquid etiam Pater eandem obligationem habet? Ità eſt; ſed Mater, dicit Sanctus Franciſcus Saleſius, eſt ſuâ devotione magis fructuoſa & proficua familiæ; Mater, dum Maritus in ſuis curis verſatur extra domum, ſemper in domo cum prole in brachiis, vel in ſuo conſpectu, modò reprehendit actionem aliquam, modò corripit ob malum verbum, modò illam flectere genua, componere manus ad orationem inſtruit. Et his ſimilibúsque pietatis actionibus, quantùm conſequitur? Magnum Sanctum Ludovicum, gemmam Galliæ, quantum ad ſuam Sanctitatem juvit pietas, quâ illum educavit admirabilis Mater ejus, Magna Regina Hiſpana natione, Blanca? Sanctum Edmundum natione Anglum quid ad Sanctitatem à teneris uſque promovit, nisi Mater Sancta, quæ ab illa ætate docebat eundem portare cilicium, facere diſciplinas, & crebro jejunare? Quis lucratus eſt Sanctum Andream Corſinum, nisi Mater ejus Chriſtianiſſima, quæ petulantes ejus mores reprehendere ſcivit? Et ut omittam alios mille nos, prodeant Wenceslaus & Boleslaus, Principes Bohemiæ, fratres Germani, quis produxit Wenceslaum Sanctum, quem adoramus in Altaribus, & Boleslaum maledictum, & damnatum? Quia Wenceslaum inſtruxit, & educavit ſua Avia Ludmilla, Matrona Sancta, & pia; & Boleslaum educavit & informavit ſua Mater Drahomira, infamis, ſuperba, & vana Mulier. De Sancto Elzeario Comite Ariani, Principe ſæculari, & Conjugato, refertur in ejusdem vita apud Surium die 27. Septembris, quòd ubi editus in lucem à Matre fuiſſet, illa eundem illâ ipſiſſimâ horâ cum ferventi devotione, &

gratiarum actione obtulerit DEO, ità dicens: Domine DEUS, ad cujus imperium exiſtunt creaturæ omnes, gratias tibi ago pro hoc filio, tua benignitate mihi donato, téque humiliter rogo, ut eum tibi ſervum accipias, & tuæ benedictionis ei gratiam largiaris. Quòd ſi tu illum nôſti fore divinæ voluntati tuæ rebellem, ubi Sacro Baptiſmate erit candidatus, illum ſinè mora tollas è medio. Satiùs enim eſt, eum innocentem, & nullis propriis auctum meritis tecum vivere, & mundo emori, quàm in hac mortali vita tuam offendere Majeſtatem. Ut autem DEUS oſtenderet ſe hoc Sacrificium accepiſſe in odorem ſuavitatis, tantam pietatem infantis illius animo in ipſis incunabulis inſtillavit, ut cùm necdum triennii ætatem compleviſſet, erga Chriſti pauperes mirabili commiſeratione afficeretur. Nam cum bajularum brachiis portaretur, in Caſtri Auſoiſii porta ſæpe pauperes humaniſſimè intuens, nullô pactô progredi volebat; imò verò etiam ſinè intermiſſione acerbè plorabat, niſi illis præſtita eſſet eleemoſyna. Atque eâ causâ nutrices ejus vel ob afferendum panem redibant in caſtrum, vel ſecum ferebant, ut illi infanti ſatisfacerent. Cúmque pauperes accepiſſent eleemoſynam, lætus, & alacer tranſibat. Poſteaquam ætatis autem quintum exceſſit annum, quidquid ex ludis puerilibus, vel aliunde acquirere potuit, in pauperes erogabat; infantésque, & pueros, cum quibus interdum captabat ſua ſolatia, præcipuè verò inopes, ad prandium ſuum jubebat invitari: illiſque & aliis pauperibus advenientibus ipſemet ſuâ propriâ manu eleemoſynam diſtribuebat. Ità monſtravit indicia ſuæ magnæ futuræ Sanctitatis, quam poſtmodùm adeptus eſt. Quod ſi è contrario, jam in ſimili ætate infantes ſigna impietatis oſtendere incipiant; ſi jam ad ſuperbiam, faſtum, & alia peſſima quæque inclinent; quouſq; demùm in ætate provectiore pervenient? O miſeras Matres quæ talia permittunt! Etenim humani generis ſicuti cæterorum omnium præcipua in cunabulis cuſtodia eſt. In arboribus rami naſcentes obſequuntur agricolæ, cujus ductu vel in altum enituntur, vel in terram proni deflectunt; ità parvulorum animi Parentum fingi poſſunt certa, & in ſecuturam ætatem manſura imagine. Hìc itaque Parentes ſtatim contra Prolium ſuarum voluntates ire, ſpiritus frangere, ſublationem animi premere, nihil in-

eptæ lætitiæ concedere, ac denique ab illicitis penitus avocare, atque ad optima quæque inflectere debent. Dicite mihi, dicite: Quàm insignis Doctor est in Ecclesia Sanctus Augustinus? quantum debet Mundus ejus ingenio? Quantum debent nunc omnes doctrinæ ejus? sed hæc omnia tamen confitetur ipsemet, deberi curæ Parentis suæ. Duxerunt me ad scholas, dicit (grandis modestia) ad addiscendas bonas litteras: *Inde ad scholam datus sum, ut discerem litteras*; & ego, quia infans adhuc, nesciebam quid in illis emolumenti lateret: *In quibus quid utilitatis esset, ignorabam miser.* Pessimè sum habitus, lentus eram, verberibus acriter excipiebar: *Et tamen si segnis in discendo essem, vapulabam.* Et en! *Laudabatur enim hoc à majoribus.* His verberibus subridebant Parentes mei; hucusque Augustinus lib. 1. Confess. cap. 9. num. 1. O Parentes felicissimos, quibus Ecclesia, quibus Mundus Augustinum debet. Quid si illum domi ludis infantilibus oblectari, jocis puerilibus indulgere permisissent, quia adhuc infantulus, quia adhuc parvum Parentum idolum erat, nunquid cum innumeris aliis penitus perverti potuisset, ac homo nullius frugis fieri.

IV. At verò ubi ad usum rationis perveniunt, tunc sanè maximè Parentibus curæ esse debent; hic ratio reddenda maximè terribilis? Atque utinam hæc adeò non negligeretur. Vellem ego, dicebat Crates, conscendere locum tam eminentem, unde me totus Mundus audiret sequentia proferentem verba: Quo ruitis mortales, vos, qui omnes vestras curas reponitis in acquirendis & accumulandis possessionibus; ac de filiis vestris, quibus has relinquere debetis, tam exiguam, vel planè nullam curam geritis? Hoc in dies videtur. Quales labores, quæ diligentiæ, quæ vigiliæ non adhibentur, vel pro acquirenda, vel pro cumulanda, vel pro conservanda substantia? In hoc non tantum dies, sed & noctes, non noctes tantùm, sed & anni consumuntur. Et de vestris filiis, qui imago DEI, & creaturæ rationales sunt, quis curam gerit, quis illos corrigit, quis instruit, quis eosdem erudit? O stultitiam nunquam satis exaggerandam! Quis, quærit Sanctus Joannes Chrysostomus, dum domus, habitatio ejus jam proxima ruinæ esset, putrefierent,

corruerent parietes; fortunas ſuas in exſtruendum penes illam hortum, aquis ſalientibus, aliisque & mentis, & oculorum deliciis exornatum impenderet? diceres utique: O homo inſenſate! in hunc expendis ſubſtantiam tuam, & domui tuæ, quæ jamjam corruit, non proſpicis. Hac collapsâ, iſta ad quid deſervient? Dici hoc multò meliùs Patri poteſt, qui ſolùm intentus ut filio officium, præſtantem dignitatem relinquat; ſed animam ejus & felicitatem æternam nullatenus reſpicit. Rem non exaggero: ſed quod res eſt dico. Et ut omnia paucis complectar: tenentur Parentes ſub peccato mortali avocare filium ab omni malo, & illum ſecundùm DEI Legem in omni bono inſtruere, atque ad hoc omnem curam imò opes etiam ſuas, queîs bonum animæ infinitè præponderat, dependere debent. Et ſiquidem in hoc negligentes exiſtant, ut ſæpius eſſe ſolent, profectò inexcuſabiles, & gehennæ ſuppliciis obnoxii ſunt; quò demùm mille alios, qui eò ob ſimilem in educandis prolibus negligentiam jam præceſſerunt, ſequentur, atque illuc unà ſecum ipſos filios rapient, ubi & Parentes filiis, & filii Parentibus perpetuò maledicent, séque mutuò diris omnibus devovebunt. Jam non refero experientias antiquas, cùm novas quotidie videre poſſimus? Jam non refero hiſtorias, cùm quotidie & oculis & auribus tragœdias hauriamus. Ità enim videmus in dies: modò hunc delicatæ alicujus genitricis mollicellum filium ab una ad aliam menſam luſoriam, ab uno ad aliud lupanar ſe conferre, quò uſque flagitioſam vitam ſuam miſerrimo exitu terminet. Illum, qui totus eſt in dilapidandis pecuniis, abliguriendo patrimonio; ſubitò è medio tolli. Alium nobiliſſima ſtirpe oriundum, ob effrænes, & licentioſos mores ſuos, & familiæ ſuæ, & toti alicui Reipublicæ probo eſſe. Hæc in dies oculis uſurpamus. Attamen dicunt Parentes (quos meliùs bruta dixerim) perverſos Prolium ſuarum mores ſe penitus ignorare, de diſſoluta earum vita nihil unquam inaudire. Sed ipſa hæc ignorantia tantò graviùs turpiſſimam illorum negligentiam arguit; ipſa hæc ignorantia, quòd nec ipſi miſerabilem propriæ ſuæ animæ ſtatum advertant, luculentè demonſtrat.

O Pa-

O Parentes peſſimos! de vobis conqueritur Pater æternus, quòd quam vobis fœcunditatem cum honorifico Patris nomine communicat, in majorem animarum ruinam abutamini. De vobis conqueritur DEI Filius: quòd, quos ad procurandam, quos ipſe redemit, filiorum veſtrorum ſalutem, in cooperatores conduxit, eosdem vos ipſi perdere, atque in perniciem rapere conemini. De vobis conqueritur Spiritus Sanctus: quòd, quos velut inſtrumenta aſſumpſit, queîs in illis per piam educationem, ac ſalubria monita Divino ſuo inſtinctui facilem ſibi viam panderet, per negligentiam veſtram omnem omnino ſanctis ſuis inſpirationibus aditum occludatis. De vobis conqueritur MARIA Virgo Sanctiſſima: quòd, quos in ſuorum numerum adſcribere volebat, filios veſtros vos dæmoni mancipetis. De vobis conqueruntur Sancti Angeli: quòd per deſidiam veſtram impediatis, quò minùs illi ſui ſocii eſſe poſſint. De vobis conqueritur Eccleſia: quòd, quò ab illis velut novis ſtellis illuſtrari debebat, iidem pravis moribus infecti ſplendorem ſuum penitus inquinent. De vobis conqueruntur Communitates ac Respublicæ: quòd in iisdem viros nanciſcantur, qui ſummum perſæpè ſibi dedecus inferant. Ipſi demum filii veſtri de vobis conqueruntur: quòd defectu piæ ac probæ educationis in ſummum non rarò opprobrium incidant, atque ignominiâ & infamiâ tali ac tantâ repleantur, qua in omnem ſecuturam ætatem nunquam eximentur. Neque exiſtimetis opprobrium hoc ſolùm temporaneum eſſe, quin potiùs eodem in omnem retrò æternitatem notati, perpetua ſimul ſupplicia ſuſtinebunt. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant ſemper.* Dan. 12. v. 2. Hac igitur confuſione circumdati malæ educationis filii indeſinenter in malevolos Parentes ſuos frement, furent, tabeſcent; maledicent utero, in quo concepti, uberibus, queîs lactati, diei, in qua nati, horæ, qua in lucem editi ſunt. *De Parente impio querentur filii.* Utinam! O utinam vociferabuntur: pro Patre Pardum, pro Matre Leænam aut Tigridem habuiſſem! nunquam didiciſſem blaſphemare DEUM: nunquam didiciſſem imprecari proximo; nunquam didiciſſem --- V.

Quæ cùm ità ſint, Parentes! cùm DEUS, cùm Eccleſia, cùm Respublicæ, cùm Proles ipſæ juſtas admodum contra vos querelas move- VI.

moveant: dignis proîn ſtudiis de Chriſtiana earundem educatione ſoliciti eſtote. Etenim quod hortus ſinè olitore, ovis abſque cuſtode, navis absque gubernatore, hoc filii ſinè proba inſtitutione ſunt. In ſcyllas invehent innocentiam, errabunt in ſemita juſtitiæ, & in brevi vitiorum lolia germinabunt. Nempe ùt luxuriat ſinè cultore vitis, ità filii, ubi à Parentibus negliguntur, pereunt. At verò ſalva prope res, dum ab incunabulis ſtatim bona illis cuſtodia adhibetur. Hìc ſemina maximè, & veluti fundamenta virtutum antiquo, prælatóque affectu inſinuanda ſunt, ut deinde ignorent, naturâ, an præceptis acceperint. Igitur à prima ſtatim infantia illis ſedulò inſtillate; quid Conditori DEO, quid Matri Virgini, quid Cælitibus reliquis debeant: docete illos minoribus manſvetudinem, æqualibus humanitatem, majoribus reverentiam exhibere, cum omni denique ſtatu ſumma cum verecundia, ac cautela agere; & ut verbô dicam: in probam ac piam filiorum veſtrorum educationem, ſumma diligentia, ſumma induſtriâ, imò viribus omnibus incumbite: ſic fiet, ut hìc in terris, futuri vobis gaudium, & exultatio, ac perpetuam ibi coronam gloriæ parituri ſint.

Laus DEO.

INDEX

INDEX PARTIS TERTIÆ.

Litera p. denotat Paginam. Litera n. numerum in Inſtructionibus.

A.

Abrenuntiatio pompæ diaboli in Baptiſmo à quovis Chriſtiano facta. p. 90. n. 5. & ſequent.

Adamas magni pretii cuſtodiebatur ſupra cor à ſervo cujusdam Cardinalis Galli p. 63. n. 4. circa finem.

Adelhaidis magna peccatrix quid reſponderit dæmoni, dum ad Confeſſionem ibat. p. 258. n. 10. p. 327. n. 10.

Admiratio vocatur ab Ariſtotele filia ignorantiæ; & cur? p. 43. n. 1. Item Admiratio eſt filia ignorantiæ, & Mater ſapientiæ. p. 414. n. 1.

Adulatio incentivum ad peccandum. p. 204. n. 6.

Adulterium quàm grande peccatum? p. 512. Inſtruct. V. per totum.

Ægyptii adorabant aquam in ſuis delubris, tanquam principium omnium rerum. p. 35. n. 1.

Alexander objurgat militem attonitum ob magnitudinem doni. p. 20. n. 2. Idem donat ſummam grandem Perillo: iſte hoc ſtupet; ad hoc Alexander reſpondet. p. 371. n. 3.

Aliena peccata, quæ nobis imputantur, quomodo ſint examinanda? p. 199. Inſtruct VIII. per totum. Quænam illa ſint? p. ead. n. 3. Alia præcedunt judicium, alia ſubſequuntur. p. 200. n. 4. Novem modis poteſt quis eſſe cauſa alienorum peccatorum. p. 202. n. 5. & ſequent.

Amor appretiativus quis ſit? p. 214. n. 9. Perfectus in momento poteſt ſalvare. p. 215. n. 10.

Amor DEI ſummus quis ſit? p. 401. n. 4.

S. Anacletus Papa ordinat, ut Panis pro Euchariſtia conficiatur per manus Sacerdotum. p. 376 n. 2.

B. Angelæ Fulinienſi Chriſtus ſe offert ad ejusdem ſervitia p. 4. n. 3.

Angeli Cuſtodes, & eorum cura. p. 61. n. 2. Agunt Patrinos in Baptiſmo Mulieris cujusdam Idololatræ, & Eleemoſynariæ. p. 68. n. 8. Angelus Cuſtos reducit, & ſalvat à pœnis inferni certum quendam Landelinum. p. 66. n. 6. ad finem.

Anima cum macula eſt horribilis DEO, & Paradiſo. p. 99. n. 6. Qualis remaneat poſt peccatum? p. 207. n. 1. Anima quantùm æſtimata fuerit ab

Ingone Vandalorum Principe? p.224. n. 10. Aſſimilata Margaritæ. p.51. n. 1. Animæ ſcrupuloſæ conſolantur circa confeſſiones. p. 177. n. 7.
S. Annon Archi-Epiſcopus Colonienſis non potuit intrare in Paradiſum propter maculam ſymbolicam quam habebat in veſte. p. 98. n. 5.
Apologus de Carbonario, & Lotrice p. 97. n. 4.
Aqua, & laudes ejusdem à principio mundi. p. 35. n. 1. Adorata fuit ab Ægyptiis. p. 36. n. eod. Eſt ſpeculum naturale mundi univerſi. p. 70. n. 1.
Arbor myrrhæ duplicé dat fructũ, nativu, & alterũ vi expreſſum. p. 331. n. 4.
Archimedes ſuâ machinâ cryſtallinâ, combuſſit naves hoſtiũ. p. 198. n. 1. Idé per machinam ingentem navem Geronis immiſit in mare, quæ nullo modo illuc poterat protrudi. p. 385. n. 4.
Arpaſte Ancilla Senecæ cæca erat, & hoc non capiebat. p. 175. n. 5.
Ars chymica, ars chymerica. p. 351. n. 1.
Atanagius Abbas audivit repelli ab Angelis otioſos à porta cæli. p. 75. n. 7.
Attritio, & Contritio in quo diſtinguantur. p. 222. n. 6. Non eſt bona illa attritio, quæ ſolummodo pœnam timet, ſinè timore culpæ. p. ead. n. 7. Ejus motiva ſunt tria, & qualia? p. 224. n. 9.
Ave Maria: quàm odioſum diabolo? p. 327. n. 10.

B.

Balſamũ verũ quomodo diſtinguebatur ab adulterino à Romanis? p. 163. n. 3.
Baptiſmus: De ejusdem dignitate, unitate, & neceſſitate. p. 27. Inſtruct. I. per totum. Quid ſit Baptiſmus? p. 29. n. 3. 4. Quare eſt primum Sacramentum? p. 31. n. 4. Ejus neceſſitas ibidem. Quid in illo viderit B. Maria Ogniacenſis, & Sanctus Remigius? p. 14. n. 4. Quales ſint tres Baptiſmi? p. 32. n. 5. Sanctus Philemon baptizatus fuit miraculosè ex nube. ibid. S. Paulus dicit unum Baptiſma. p. 33. n. 6. Quomodo ergo tres Baptiſmi? p. ead. n. 7. 8. Quare non poteſt iterari? p. ead. n. 7. Eſt ſymbolizatus in aquis. p. 35. Inſtruct. II. ubi agitur de aqua, quæ eſt materia Baptiſmi, per totum. Qualis aqua eſt materia, & quare? p. 36. n. 2. Lavat, & purificat Animam. p. 38. n. 3. Alius liquor non valet. ibid. Modus, & quantitas aquæ pro Baptiſmo. p. 40. n. 5. Baptiſterium miraculoſum in Portugallia. p. 41. n. 7. Quæ pars corporis eſt abluenda? p. 40. n. 6.
De Forma, & Miniſtro Baptiſmi. p. 43. Inſtruct. III. per totum. Qualia verba ſint eſſentialiter neceſſaria? p. 46. n. 4. Valent in quocunque Idiomate prolata. ibid. Errores in hoc commiſſi. ibid. Quis ſit Miniſter Baptiſmi? p. 49. n. 6.

49.n.6. Infantulus Antverpiæ moritur, quem Parens Calviniſta ritu hæretico voluit curare baptizari, & quid acciderit cũ Matre Cathol. p.50.n.7.
Effectus Baptiſmi, p. 51. Inſtruct. IV. per totum. Confert nobis Spiritûs Sancti gratiam; filiationem DEI, Virtutes Theologicas, ſeptem dona Sancti Spiritûs; Charitatem imprimit; tollit peccatum. p. 55. n. 4. Teridates Rex Armeniæ ex porco per Baptiſmum eſt mutatus in hominem, p. ead. n. 5. Cur nobis relinquantur paſſiones inordinatæ? p. 57. n. 6. Cur miſeriæ vitæ hujus? p. 58. n. 7. Aperit nobis Cælum, p. 59. n. 8. Angelus viſus eſt notare aureis characteribus nomina baptizatorum. ibid. Idololatra mirabiliter baptizatus, immediatè exſpirat, & ſalvatur. p. ead. n. 9.
De Patrinis in Baptiſmo, & eorum obligatione, p. 60. Inſtruct. V. per totum. Cæremonia hæc eſt antiquiſſima Eccleſiæ, p. 62. n. 3. Finis Eccleſiæ cur hoc concedat? ibid. Sunt Patres, p. 63. n. 4. Sunt Depoſitarii ſalvationis, ibid. Baptiſmus in Primitiva Eccleſia non conferebatur niſi adultis, & bene inſtructis in Doctrina Chriſtiana. p. 64. n. 5. Patrini ſunt Fidejuſſores apud DEUM pro ſuis filiis Spiritualibus, ibid. Peccant mortaliter, ſi non inſtruant filios negligentum Parentum, p. 65. n. 6. Non poſſunt eſſe Patrini, qui non ſunt baptizati, nec Hæretici, nec Ignorantes, nec fatui, nec qui non habent uſum rationis. ibid. S. Ausbertus Epiſcopus Cameracenſis Idea bonorum Patrinorum, p. 66. n. 6. ad fin. In rigore quinam ſint Patrini? p. 67. n. 7. Quidnam ſit cognatio ſpiritualis, & cum quo illam contrahant? ibid. Parentes non poſſunt eſſe Patrini extra caſum neceſſitatis: & in hoc non contrahunt cognationem ſpiritualem, p. 68. n. 8.
De Cæremoniis Baptiſmi, & qualiter Chriſtiano cuivis indicent proprias obligationes, p. 70. Inſtruct. VI. per totum. Quare iſtæ Cæremoniæ adhibentur? p. 71. n. 2. Baptiſmus eſt pactum cum DEO, ibid. Quale pactum? p. 72. n. 3. Explicantur Cæremoniæ, p. ead. n. 5. Debemus habere Fidem vivam, p. 73. n. 6. Quid ſignificent illæ tres inſufflationes? p. 74. n. 8. Quid ſignum Sanctæ Crucis in fronte, & pectore? p. 75.
De Sale quid ſignificat, p. 78. Inſtruct. VII. Saliva ad aures, & ad nares infantuli, & Cruces quæ illâ fiunt, quid ſignificant? p. 83. n. 6.
De Renunciatione quæ fit in Baptiſmo diabolo, & pompis ejus, p. 85. Inſtruct. VIII. per totum. Oleum Catechumenorũ quid in Baptiſmo ſignificet? p. 92. n. 7. Quid unctio Chriſmatis in capite? p. 96. n. 3. Quid veſtis candida? p. 97. n. 4. Quid candela accenſa? p. 100. n. 7.
Beneficia DEI, & negligentia humana, p. 431. n. 1. iſta ſæpius non curantur. p. 18. n. 1.

S. Bernardinus Senensis juvat certum ex consuetudine peccandi, p. 245. n. 5.
Bombyx vermis describitur, p. 311. n. 1.
Bona Matrimonii sunt tria, p. 513. n. 1. & qualia illa sint? ibidem.

C.

Canus inflator tibiæ, & ejusdem complacentia in sua propria arte. p. 439. n. 1
Catharina Senensis, quomodo & quando desponsata fuerit cum Christo? p. 92. n. 7. Instituitur à Christo, quòd se non debeat multum detinere in examinandis tentationibus carnalibus, p. 185. n. 6 ad finem. Impetrat contritionem suo Confessario, p. 229. n. 7.
Cæli: eorum unio, & harmonia, p. 398. n. 1.
Cæremoniæ, quæ in Baptismo adhibentur quid significent; & quales nobis indicent obligationes? p. 70. Instruct. VI. per totum.
Character Sacramentalis qualis sit? p. 16. n. 8. Illum agnovit S. Philippus Nerius in Juvene vestes sæculares portante, qui solum erat annorum sedecim. p. 17. n. 9.
Charitas quàm frigida sit inter Christianos, p. 127. n. 5.
Christianus non est homo mundi hujus, sed cæli, p. 70. n. 1. Quomodo antiqui Christiani jurabant, & quid in Baptismo? p. 71. n. 2. ad finem. Quantùm obligati sint ad legem Christi? p. 75. n. 8. Unitur Christianus Christo in Baptismo, ut vivat Christo, p. 96. n. 3. Christiani primitivi in vestibus albis incedebant à Sabbatho Sancto, in quo percipiebant Baptismum usque ad Sabbathum sequens, hac de causa dictum Sabbatum *in Albis*, p. 99. n. 6. ad fin. Christiani debent dare bonum exemplum omnibus, & juvare Proximum, p. 114. n. 1. Æmulantur ad invicem in virtutibus, p. 118. n. 5. Mali contra bonos murmurant, ibid. Impediunt loqui dæmones, p. 121. n. 8. Qualia nam sint illorum insignia? p. 123. n. 1. Debent Crucem portare in fronte, & cur? p. 126. n. 4. Interdum Christiani sunt maximi persecutores Christianorum, & ipsiusmet Christi, p. 127. n. 5. 6. Damnantur plures ob malas confessiones, quàm ob alia peccata, p. 166. n. 6. Vide exemplum, p. 168. n. 7.
Christus confert gratiam in Sacramentis, p. 14. n. 5. Ille & ejus gratia & misericordia dant grandem fiduciam peccatoribus, p. 301. n. 1. & sequent.
Cicuta habet effectum, si supra illam vinum bibatur, unà tamen cum vino sumpta, occidit, p. 166. n. 6.

Clara Eugenia Archiducissa Austriæ ità ad vivum fuit à Rubens effigiata, ut salutata fuerit ab Archiduce Alberto suo Marito, p. 392. n. 4.
Clementia filia Caroli II. Regis Siciliæ, admisit visitationem in nudo femore, nè coronam Galliæ perderet, p. 317. n. 7.
Clitumnus fluvius in Macedonia facit omnia animalia alba, quæ ex illo bibunt, p. 38. n. 3.
Clodovæus Rex Galliæ quid audiat in suo Baptismo à Sancto Remigio? p. 85. n. 1. Accipit è cælo ampulam cum Sacro Chrismate, p. 115. n. 2. ad finem.
Columba devoratas margaritas puriores reddit, p. 51. n. 1. circa medium.
Communio vult dicere idem, ac communis unio. Vult illa habere charitatem, p. 363. n. 6.
Communio spiritualis cum suis profectibus & emolumentis, p. 447. Instr. XII. per totum.
Comparatio inter Contritionem & Attritionem, p. 225. Instruct. XI. per totum. In quibus conveniant, vide num. 3. 5. 6. In quo disconveniant, p. 229. n. 7. Est omnium devotionum optima devotio sæpius elicere contritionem, p. 232. n. 8.
Concordia inter Conjugatos qualis debeat esse? p. 532. Instruct. VII. per tot.
Condonatio inimicis visa in Julio Cæsare, p. 158. n. 8. Qui hanc denegat, castigatur à DEO, p. 365. n. 7.
Confessarius convincit demonstratione certum procrastinantem confessionem, p. 147. n. 8. Confessarius est etiam homo, p. 303. n. 2. Tota ejus Potestas ad juvandum, p. 308. n. 6. Damnatur Confessarius unà cum Pœnitente, p. 248. n. 7. Confessarii non dent eleemosynas in confessionali, p. 263. n. 5. Debent illos Pœnitentes revereri, p. 254. n. 5. Confessarius quomodo fuerit punitus, qui ex confessione revelavit peccatum? p. 306. n. 5.
Confessionis seu Sacramenti Pœnitentiæ necessitas, & felicitas, p. 140. Instruct. II. per totum. Confessio est frequentanda, etiam quando sæpiùs in peccata contingit lapsus, p. 146. n. 7. 8. De effectibus Confessionis, quos operatur in anima, p. 151. Instruct. III. per totum. Quid est hoc liberare animam à culpa? p. 152. n. 2. & sequent. ---
De partibus Confessionis, & de damnis malarum confessionum, p. 161. Instruct. IV. per totum. Confessio comparatur Cytharæ, p. 164. n. 4. circa medium. Contritio, & Confessio sunt partes essentiales, ibidem. Satisfactio est pars integralis, p. 165. n. 5.
De summa necessitate doloris in Confessione, p. 207. Instruct. IX. per totum.

Confeſſio etiam tantùm venialium ſinè dolore facta eſt ſacrilega, p. 209. n. 3. circa finem. Sinè confeſſione poteſt dari caſus, quòd Pœnitens ſalvetur, ſed non ſinè dolore, p. 210. n. 4. Sinè propoſito nō eſt valida, p. 246. n. 6. --- Qualiter ſit adeundum tribunal confeſſionis? & confeſſio debet correſpondere interno cordi, p. 251. Inſtruct. XIV. Examen, Dolor, & Propoſitum debent confeſſionem præcedere: & quare? p. 252. n. 2. Eſt adeunda cum confidentia, p. 253. n. 3. Fiat ſemper ac ſi eſſet ultima, p. 254. n. 4. Modeſtia, humilitas, morum compoſitio debent adeſſe in confeſſione, etiam in externo, p. ead. n. 5. Veniendum eſt ad confeſſionem more reorum, ibid. Signum Sanctæ Crucis cum devotione formandum eſt ante confeſſionem, p. 255. n. 6. Quomodo debeat dici *Confiteor*? ibid. Evitentur ibi otioſæ ſuperfluitates, p. ead. n. 7. Quales nam illæ ſoleant eſſe? p. ead. n. ibid. & ſequent.

De aliis ſuperfluitatibus, quæ pariter in confeſſione vitandæ ſunt, p. 259. Inſtruct. XV. per totum. Non debent ibi narrari virtutes, p. 260. n. 2. Non eſt conditionatè confitendum, p. 262. n. 4. Non ſunt narrandæ miſeriæ, & moleſtiæ, p. 263. n. 5. Non exigantur increpationes à Confeſſariis, p. 264. n. 6. Timor adjungatur fiduciæ in miſericordia DEI, ibid. ---

Bona Confeſſio non debet habere excuſationes, p. 268. Inſtruct. XVI. per totum. Confeſſiones aliquorum nihil aliud ſunt, quàm confuſiones, aliorum defenſiones, aliorum offenſiones, p. ead. n. 2. --- Non adhibeantur formulæ obſcuræ, maximè in peccatis injuſtitiæ, p. 272. n. 6. Excuſatio falſa invalidat confeſſionem, p. 273. n. 7. ---

De integritate Confeſſionis ut bona ſit, p. 275. Inſtruct. XVII. per totum. Peccata ſunt confitenda prout ſunt in conſcientia, p. 277. n. 3. cum numero, ſpecie, & circumſtantiis, p. 281. n. 4. Nihil eſt tacendum, p. ead. n. 5. Quænam ſit integritas materialis, & quæ formalis? p. ead. n. 6. ---

De circumſtantiis peccatorum, quæ ſunt in confeſſione manifeſtandæ, p. 283. Inſtruct. XVIII. per totum. Quales, & quot ſunt illæ, quæ mutant ſpeciem? p. 286. n. 3. & ſequent. ---

Rationes convincentes irrationabilitatis eos, qui verecundiam habent in confitendis peccatis, p. 293. Inſtruct. XIX. per totum. Contra verecundiam exponuntur ſex rationes, p. 295. n. 4. & ſequ. Sigillum Sacramentale quàm ſtrictum ſit? p. 306. n. 5. Aliæ plures rationes contra eos, qui ex verecundia tacent aliquod peccatum mortale in confeſſione, p. 301. Inſtruct. XX. per totum. Et p. 311. Inſtruct. XXI. per totum. Confeſſio libe-

liberat ex captivitate dæmonis, & ſervitute peccati, p. 316. n. 6. Confert regnum, & coronam, p. 317. n. 7. --

Confeſſio generalis quando obliget, & quomodo ſit inſtituenda? p. 320. Inſtruct. XXII. per totum. Aſſimilatur libro computationum, p. 321. n. 3. Non eſt de Præcepto; imò aliquibus damnoſa, p. 322. n. 4. & aliquibus neceſſaria, ibid. Cui ergo eſt neceſſaria? p. 323. n. 5. -- Facienda eſt pro proprio intereſſe, & pro majori ſecuritate, p. 326. n. 9. Liberat certam Monialem à vexationibus diabolicis, p. 327. n. 10.

Sacramentum Confirmationis eſt perfectio Baptiſmi, p. 103. nſtruct. I. Nomina ejusdem apud Sanctos Patres, ibid. Non eſt perfectus Chriſtianus, qui non eſt confirmatus, ibid. Quomodo ſit perfectio Baptiſmi, p. 105. n. 3. Quomodo confert arma & fortitudinẽ? p. 106. n. 4. Facit hoc, quod fecit Sanctus Spiritus in Pentecoſte cum Apoſtolis, p. 107. n. 6. Eſt Sacramentũ vivorum; auget gratiã, p. 108. n. 7. Miniſter eſt Epiſcopus ſolus, p. 109. n. 8. Per Baptiſmum ædificatur domus DEO; per Confirmationẽ conſecratur, ibid. Non eſt Sacramentum neceſſarium; ſed illud non percipere periculoſum eſt, p. ead. n. 9. Hac de cauſa Novatus factus eſt hæreſiarcha, ibid. Pœnitentia horribilis, quam fecit S. Maurilius Epiſcopus Andegavenſis, ob dilationem Confirmationis cuidam puero factam, p. 110. n. 10.

De Sacro Chriſmate, materia Sacramenti Confirmationis, p. 114. Inſtr. II. & quid illud ſignificet? per totum. Oleum in Confirmatione quomodo à Sanctis Patribus fuerit appellatum, p. 115. n. 2.

De Forma & Cæremoniis Confirmationis; & character Confirmationis eſt ſcutum & inſigne Chriſtiani, p. 123. Inſtruct. III. per totum. Unus Patrinus quam cognationem contrahat? p. 125. n. 3. Forma Sacramenti Confirmationis, ibid. Quidnam exprimant verba illius? ibid. Quid Crux in fronte? p. 126. n. 4. Quid alapa? p. ead. n. eod. ad finem. Diaboli non timent Chriſtianum non confirmatum, p. 107. n. 5. ad finem.

Conſcientia erronea, p. 277. n. 7. Ejus ſyntereſis. p. 282. n. 7. Mala eſt cubile ſerpentum, p. 171. n. 2. ad finem.

Conſtantinus Magnus reſpicit balneum ex ſanguine trium millium infantium, & ſanatur à lepra per Baptiſmum. p. 38. n. 2. ad finem.

Contritio quantumcunque explicata cuidam Nobili, hanc non intelligit in articulo mortis, quid ſit, p. 219. n. 4. Illa eſt perfectiſſima, quæ reſpicit peccatum ſolummodo ùt offenſam DEI, p. 223. n. 8. Eſt dolor ſummus, & purus, ibid. Habet unicum motivum, p. 224. n. 9. Comparatio

Contritionis cum Attritione, ut tantò meliùs cognoscantur emolumenta Contritionis, p. 225. Instruct. XI. per totum. In quo conveniant? p. 227. n. 3. 5. 6. Distinguuntur in motivis, & in effectibus, p. 229. n. 7. Contritio est Bulla Indulgentiarum plenariarum à Sancta Catharina Senensi suo Confessario impetrata, p. 230. n. eod. Sanctificat ante Confessionem, ibid. Est devotio omnium devotionum maxima, p. 232. n. 8.
Conversio peccatoris est opus DEI maximum, p. 227. n. 3. Debet à DEO peti, ibid.
Convivia sumptuosa, Cleopatræ, Justiniani, Caligulæ, Balthasaris, Assueri, Alexandri, & Wenceslai Regis Bohemiæ, p. 378. n. 3.
Corpus accommodatum, Anima vilipensa. p. 99. n. 6.
Cor humanum vicinissimum est homini, & maximè distans ab homine, & quomodo hoc? p. 180. n. 1.
Crux est nobis ab ipso Baptismo allevata, p. 92. n. 7. Est insigne Christiani, p. 123. n. 1. Imponitur nobis in fronte, & in pectore in Baptismo; quid hoc vult significare? p. 75. n. 8. Est honor Animæ, ibid. Cruces apparuerunt in vestibus cujusdã populi Germaniæ, & quidnã illæ significaverint? p. 77. n. 9.

D.

Defectus minimus destruit omne bonum, p. 275. n. 1.
Delere peccata ex Anima quid sit? p. 151. Instruct. III. per totum.
Democrates æstimabat solem esse globum ferreum ignitum, tentavit hac de causa illum sistere per grandes tabulas ex magnete efformatas supra tectum templi Arsinoës, p. 402. n. 5.
Demosthenis stratagema, ut Auditores attentos redderet, ut bene de casu judicarent, p. 82. n. 5.
DEUS vindicat injurias suorum servorum, p. 129. n. 8. Ejus infinita bonitas in condonando, p. 147. n. 8. 9. Ubique præsens, p. 182. n. 3. Promittit & observat, quòd velit exaudire gemitus peccatoris, p. 228. n. 4. Nunquam se magis potentem demonstrat, quàm condonando peccata, p. 225. n. 6. Omnia videt, p. 274. n. 8. & p. 295. n. 5. Ubi magis admirabilis, in parvo, vel in magno? p. 396. n. 9. Per solum velle DEUM possumus obtinere, p. 447. n. 1. Est optimus amicus; & quare? p. 454. n. 1.
Diabolus confitetur sua peccata, quomodo, & quare? p. 21. n. 4. Impedit per aures intrare verbum DEI, p. 83. n. 6. Renuntiatur ei in Baptismo, & omnibus ejus pompis; hoc explicatur, p. 88. n. 3. Parùm timet Christianum

num non confirmatum, p. 107. n. 5. ad finem. Tendit retia in Confessionalibus, p. 167. n. 6. Visus est restituere verecundiam peccatoribus in confessionali, p. 277. n. 2. ad finem. Facit cum homine sicut lupus cum oviculâ; comprimit in confessione Pœnitenti guttur, nè loquatur, p. 294. n. 2. Quærit nos vincere nostris armis, p. eadem, & n. eodem. Patefacit omnia peccata non confessa populo, p. 298. n. 8. Simili modo faciet in die judicii, ibid. Contremiscit ad *Ave Maria*, p. 328. n. 10.

Diogenes quomodo reprehenderit unum de suis scholaribus, qui conspectum ejus fugiebat, p. 271. n. 5.

Dispositio necessaria pro dignè percipienda Communione, p. 18. Instruct. III. per totum.

Doctrina Christiana, & ejus dé notitia, est fons omnis benedictionis, p. 1. n. 1.

Dolor appretiativus quid sit? p. 214. n, 9. Qualia debeant esse ejus motiva? p. 217. Instruct. X. per totum. Dolor etiamsi sit verus, & cum lachrymis, non sufficit, si est ob finem humanum, & naturalem, p. 219. n. 5. Imò est maximè suspectus, p. 220. n. eod. Debet esse ex motivo supernaturali, p. 221. n. eod. circa finem. Quænam sint ista motiva, p. 222. n. 6. --- Motiva ergo Attritionis sunt tria. Contritionis ad unicum reducitur, p. 224. n. 9. Doloris veri summa necessitas, p. 207. Instruct. IX. per totum. Verus dolor est ex integro dolor animi; dolor spiritualis, p. 214. n. 8.

Domitianus Imperator timens occidi à suis inimicis, totum suum conclave obduxit speculis, p. 193. n. 5.

Donatistæ hæretici projiciunt ex fenestra inter saxa ampullam cum Oleo Sacro Sacramenti Confirmationis, hæc est manibus Angelorum excepta, nec etiam fuit confracta, p. 115. n. 2.

S. Dunstanus differt ire in cælum, ut suis sermonem posset facere die Ascensionis Domini, p. 9. n. 9.

E.

Educatio bonarũ proliũ quàm necessaria Parentibus, p. 559. Instr. X. per tot.

Eduinus persecutus ab Edelfrido vidit hominem ignotum noctu, & ab illo est liberatus cum pacto, ut fieret Christianus, p. 154. n. 5.

Effectus amabiles, & admirabiles, quos operatur in Anima Pœnitentia, p. 151. Instruct. III. per totum.

Eleemosyna salvavit certam Idololatram, p. 68. n. 8. Ob pompas denegatur pauperibus, p. 91. n. 6. Eleemosyna præmiatur in homine ma-

læ vitæ, p. 109. n. 9. Hanc ſibi profuiſſe expertus eſt Petrus Telonarius, p. 346. n. 3.

Epitaphium ſepulchro inſcriptum viâ Tiburtinâ, & à Sancto Hieronymo viſum, p. 534. n. 3.

Euchariſtiæ Inſtitutio, & de Nominibus hujus Diviniſſimi Sacramenti, p. 358. Inſtruct. I. per totum. Ejusdem Inſtitutionis Author, tempus, & modus, p. 360. n. 2. Nomina habet ſinè numero: ex his ſolummodo explicantur tria magis uſitata; nimirum, quòd ſit, *Hoſtia, vel Sacrificium*; *Viaticum*, *& Euchariſtia*, *ſeu Communio*, p. 362. n. 5. ----

De diſtinctione, & emolumentis Euchariſtiæ ſupra omnia alia Sacramenta, & Myſteria, p. 367. Inſtruct. II. per totum. In aliis Sacramentis DEUS dat nobis rivos, in hoc autem ipſum fontem, p. 368. n. 2. Ipſemet Chriſtus in hoc Sacramento dat gratiam, & ideo liberaliùs, p. 369. n. 3. Augmentat vitam ſpiritualem, & fortificat: hac de cauſa ante Martyrium ſumebatur à Martyribus, p. 372. n. 5. Comparatur cum gemma Opalo, p. ead. Eſt compendium omnium maximorum Myſteriorum, p. 373. n. 6. Hoc ipſum videtur uſque in hodiernum diem in Hoſtia conſecrata, & conſervata in Santaren, p. ead. n. 7. Materia Euchariſtiæ eſt Panis; & quare? p. 375. Inſtr. III. per totum. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Conſecrationis, de horum admirabili virtute, & efficacia, p. 382. Inſtruct. IV. per totum. Quantum in his verbis laudetur DEUS, fuit revelatum à B. Virgine Sanctæ Brigittæ, p. 383. n. 1. Verborum virtus, & efficacia, p. 384. n. 2. Prodigia quæ operantur, p. ead. n 3. In tot Sacerdotibus, qui in Perſona Chriſti illa proferunt, p. 386. n. 5. Etiam ſi ſint indigni, p. 387. n. 6. Virtus tam prodigioſa manifeſtatur in ipſiſſimis verbis, p. 388. n 7.

De tribus principaliſſimis Miraculis, quæ DEUS operatur in Euchariſtia, p. 390. Inſtr. V. per totum. Tranſubſtantiatio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem JESU Chriſti, p. 391. n. 3. Reſpondetur dubiis, p. 392. n. 4. Accidentia ſinè ſubjecto, p. 393. n. 5. Quare illa in Euchariſtia remaneant? p. 394. n. 6. Quàm felices illi oculi, qui poſſunt videre Euchariſtiam, ibid. Viſa fuit à Moniali cæca, p. 395. n. 7. Totus Chriſtus in quolibet puncto Hoſtiæ, p. ead. n. 8.

De excellentiſſima unione, quæ ibi invenitur per concomitantiam, p. 398. Inſtruct. VI. per totum. Quomodo nobis communicetur Divinitas? p. 401. n. 4. -- Et omnes tres Perſonæ Divinæ, p. 402. n. 6. Viſio, quam habuit P. Franciſcus Garzia, Soc. JESU, ibid. Quare etiam vinum conſecretur?

tur? p. 403. n. 7. Adoratio, quæ Euchariſtiæ debetur, p. ead. n. 8. Donna Marina de Eſcobar vidit die Feſto corporis Chriſti, quid fecerint in Paradiſo Angeli, p. 405. n. 10.

De admirabilibus effectibus Euchariſtiæ, p. 406. Inſtruct. VII. per totum. Eſt fons omnis boni, p. ead. n. 1. Eſt cibus, qui *ſuſtentat, auget, reparat, & delectat*, p. 407. n. 2. -- Eſt omnium favorum maximus, p. 409. n. 5. Mundat animam à peccatis venialibus, p. 410. n. 7. Etiam à mortali, & in quali caſu? ibid. Viſio Sanctæ Gertrudis de hoc, dum communicaret, p. 411. Præſervat à defectibus, & peccatis, p. ead. n, 8. Præcipuè à laſcivia, p. 412. Delitiæ hujus Sacramenti, p. 413. n. 9.

Unde proveniat, quòd multæ Animæ non conſequantur hos admirabiles effectus? p. 414. Inſtruct. VIII. per totum. Reſponſum ſupra hoc datum à Chriſto Domino Sanctæ Catharinæ Senenſi, p. 417. n. 5. Tres rationes, quare non acquiratur fructus ex Communionibus, p. 418. n. 6. Singulariter, quia intermittitur gratiarum actio pro tanto favore, p. 420. n. 8. Promittatur in qualibet Communione emendatio alicujus particularis defectus ad imitationem B. Mariæ de Victoria, p. 421. n. 9.

De diſpoſitione neceſſaria pro dignè percipienda Communione, p. 422. Inſtruct. IX. per totum. Quare multis eſt vita iſte cibus, & multis mors? p. 423. Qualis debeat eſſe iſta diſpoſitio? p. 425. n. 4. --- Exempla Sanctorum. ibid. Adhibenda eſt Fides, p. 427. n. 7. Sacrilega Communio ſignum peſſimum, ibid.

De obligatione Chriſtianorum circa ſumendam Communionem, p. 431. Inſtruct. X. per totum. Excuſationes eorundem convictæ, p. 432. n. 2. Sententiæ de hac materia Conciliorum, p. 433. n. 3. Uſus primorum Fidelium, p. ead. n. 4. Quando illam debeant ſumere parvuli? & de obligatione quò ad hoc Parentum, p. 435. n. 7. Prodigia quæ contigerunt cum parvulis deſiderantibus ſumere Sacram Communionem, p. 436. n. 8.

De Complacentia, quam Chriſto exhibet, qui ſæpius communicat, p. 439. Inſtruct. XI. per totum. Porrexit ipſemet Chriſtus multis Perſonis ſuum Sacratiſſimum Corpus. Quandoque etiam per manus Angelorum, p. 440. n. 2. Excuſationes ſæcularium confutatæ, dicentium, quòd non poſſint tam ſæpè communicare, p. 441. n. 3. ---- Omnes Chriſtiani tenentur frequentare Sacram Communionem, p. 445. n. 7. Non debet nos ab hoc retrahere noſtra indignitas, p. 446. n. 8. Quàm frequenter debeat ſumi? p. 447. n. 9.

De Communione Spirituali, hujus emolumentis, & facilitate, p. 447. Instruct. XII. per totum. Tres modi Communionis Spiritualis à Concilio Tridentino distincti, p. 449. n. 2. Et quid sit ista Communio? ibid. Quæ dispositio requiratur? p. 451. n. 5. Potest quandoque adaugere gratiam majorem, quàm Communio Sacramentalis, ibid. Probatur Exemplo, p. 452. n. 6. Non est obstaculum pro percipienda Communione tepiditas, p. 24. n. 6. Nec cogitationes importunæ, p. 25. n. 7. Nec peccata venialia, ibid. Ex Eucharistia alloquitur Christus Donnam Annam Ponsdeleon, p. ead. n. 8. Quomodo Eucharistiam viderit certus S. Episcopus eandem distribuendo, p. 100. n. 9.

S. Eusebius, postmodum Episcopus Vercellensis, fuit tentus in fonte Baptismali à duabus cælestibus manibus, p. 61. n. 2.

Examen Conscientiæ. De ejus necessitate, & quantâ diligentiâ sit faciendum, p. 170. Instruct. V. per totum. Sinè, vel cum examine malo confessiones factæ sunt reiterandæ, p. 173. n. 4. Modus examen faciendi, p. 176. n. 6. Item p. 180. Instruct. VI. per totum. Examen reducitur ad tria potissimùm puncta, p. 185. n. 6. Quomodo dignoscitur peccatum mortale à veniali, p. 186. n. 7. 8. Numerus est examinandus, p. 187. n. 9. Item circumstantiæ mutantes speciem, p. 188. n. 10.

Examen de peccatis omissionis, p. 189. Instruct. VII. per totum. Necessarium est confiteri peccata commissionis, & omissionis, p. 190. n. 2. --- Quid sit peccatum omissionis? p. 193. n. 6. Quomodo peccetur peccato omissionis? p. ead. n. 7. 8. 9.

Examen de peccatis alienis, p. 198. Instruct. VIII. per totum. Quænam sint illa peccata aliena, p. 199. n. 3. --- Variis modis potest quis esse causa illorum, p. 202. n. 5. --- Examen debet esse unitum dolori, p. 209. n. 3. Debet esse attentum, & solicitum examen, sicut rotæ horologii, p. 251. n. 1.

Exemplum bonum, quantum juvet, & prosit? p. 118. n. 5. ---

EXEMPLA.

Udalricus Sanctus Agricola infirmus accipit à DEO certa fraga medio hyemis, p. 4. n. 3. Sicut & Patri Canisio involat in cameram certa avicula peregrina, ad quam ille comedendam appetitum habuerat, p. 5.

De quodam Judice miraculosè in lingua baptizato, p. 34. n. 9.

De Episcopo non baptizato, p. 39. n. 4.

De Deuterio Archi-Episcopo Constantinopolitano Arriano, cui evanuit aqua ex concha, eò quòd formam mutaverit in Baptismo, p. 48. n. 5.

De Sancto Anachoreta, qui gratias egit in morte ſuo diſcipulo, qui eidem valde moleſtus fuerat, p. 57. n. 6.
De certo Idololatra in Mexico miraculosè baptizato, qui poſt Baptiſmum immediate exſpiravit, & eſt ſalvatus, p. 59. n. 9.
De Sancto Ausberto Epiſcopo Cameracenſi, qui ad bonam vitam reduxit Landelinum, p. 66. n. 6.
De Muliere Idololatra ſalvata ratione eleemoſynæ, p. 68. n. 8.
De defuncto à Chriſto punito in exequiis, eò quòd noluerit vivens audire verbum DEI, p. 84. n. 7.
De Fœmina, cui ob vanitatem à duobus Angelis in articulo mortis ablatum fuit Sanctiſſimum Viaticum, p. 94. n. 9.
De Peccatore liberato à damnatione à Sanctiſſima Virgine, in recompenſationem oblatæ ſibi facis, p. 102. n. 8.
De Sancto Maurilio Epiſcopo Andegavenſi ſeveram pœnitentiam agente ob defectum involuntarium, p. 110. n. 10.
De duobus Juvenibus laſcivis converſis ex auditione ictuum diſciplinæ, quâ noctu faciebat Ludovicus Granatenſis Ord. Prædicat. p. 120. n. 6.
De Bonifacio Epiſcopo, qui liberat cæcum illuſum à diabolo per Confirmationem, p. 122. n. 9.
De Legato Ducis Geldriæ, qui manſit cum collo incurvato, eò quòd irriſerit S. Ludovicum Regem Galliæ, qui etiam ſic collum portabat, p. 129. n. 8.
De Doctore Bononienſi converſo per pauca verba in certa Concione habita Bononiæ, p. 133. n. 4.
De Abbatiſſa damnata ob celatum peccatum in Confeſſione, quæ aliàs ſanctè vixit, p. 138. n. 9.
De Milite, in cujus capite per interceſſionem B. V. fuit retenta vita per duos annos, p. 142. n. 4.
De negligente confeſſionem, à Confeſſario convicto, p. 147. n. 8.
De Juvene converſo in morte à Sanctiſſimis tribus Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, p. 149. n. 10.
De peccatore, qui in charta ſua ſcripſit peccata, quæ poſteaquam Confeſſarius perlegiſſet, & chartam Pœnitenti reſtituiſſet, vidit illa omnia deleta, p. 152. n. 2. Hoc ipſum contigit cuidam Aſſaſſino, p. 153. n. 3.
De generoſa condonatione Julii Cæſaris Rufo Senatori facta, p. 158. n. 8.
De duabus fœminis vitæ laſcivæ, quæ viſæ ſunt à Sancto Epiſcopo poſt peractam confeſſionem, in albiſſimis veſtibus accedere ad Sacram Communionem, p. 160. n. 9.

De filio, qui pro Anima Parentis ſinè fructu per 32. annos DEUM orabat, eò quòd per hos annos in peccato mortali vixerit, p. 166. n. 7.
De Sancta Agnete de monte Politiano, quæ impetrat cuidam Benefactori ſui Monaſterii bonam confeſſionem, aliàs damnatus fuiſſet, p. 179. n. 9.
De Virgine ſimplice, quæ confitetur omnia peccata prout erant in libello conſcripta, p. 184. n. 5.
De Novitio Dominicano, qui omiſerat certas circumſtantias confiteri, p. 189. n. 11.
De quodam Prælato in morte ob peccata omiſſionis anguſtiato, quæ multi nihil curant, p. 192. n. 4.
De Monacho Ciſtercienſi, qui ex oblivione diſtulit perſolvere naulum nautæ, p. 197. n. 9.
De Nobili occiſo fumô facis, p. 203. n. 5.
De Muliere damnata ob peccata Ancillarum, p. ead. n. eod.
De Parocho à diabolis aſportato, eò quòd ſe oneraverit peccatis magni peccatoris, p. 206. n. 9.
De Muliere peccatrice mortua ſubitaneè in gratia per virtutem contritionis, p. 215. n. 10.
De ſervo inſipiente quò ad Confeſſionem, p. 218. n. 3.
De Nobili in articulo mortis conſtituto, qui non poteſt capere, quid ſit Contritio, p. 219. n. 4.
De peccatore ſceleratiſſimo Senonis in Gallia, qui mortuus eſt ad pedes Confeſſarii ex contritione, p. 229. n. 10.
De Studioſo Alcalæ, & de Carolo infante Hiſpaniæ, qui in articulo mortis non potuerunt elicere actus Contritionis, p. 232. n. 8.
De certo Scriba procraſtinante pœnitentiam, qui poſtmodum moritur impœnitens, p. 233. n. 9.
De dæmone, qui publicabat omnia peccata malè confeſſa, non autem bene confeſſa, p. 237. n. 4.
De Chromatio infirmo, qui non reconvaluit per benedictionẽ S. Sebaſtiani, eò quòd unum ex ſuis Idolis non confregerit, p. 238. n. 5. circa medium.
De Canonico Pariſienſi damnato, poſt percepta omnia Sacramenta in morte, ob debilitatem propoſiti, p. 441. n. 9.
De Milite blaſphemo, qui per lepidum ſtratagema in hoc emendatur, p. 245. n. 4.
De Confeſſario damnato unà cum Pœnitente, eò quòd illum abſolverit ſinè habito Propoſito, p. 248. n. 7.

De

De Sancto Raymundo de Pennafort, qui miraculosè fugit ex Majorica, eò quòd Jacobus Rex Hiſpaniæ ſecum habuerit ſuam Concubinam, p. 249. n. eod. poſt med.
De Religioſo Confeſſario damnato, quòd malè abſolvere ſolitus fuerit certum Uſurarium, p. 250. n. 9.
De Sancto Religioſo Dominicano, ſemper ad mortem in ſua vita præparato, p. 254. n. 4.
De alio Religioſo Dominicano, qui in morte interrogat diabolum, quid in Eccleſia maximum inferat inferno damnum? ad quod diabòlus reſpondit, p. 258. n. 11.
De Muliere, quæ ſe virtuoſam jactabat in confeſſionali, & poſtmodum à Confeſſario convicta eſt ut vitioſa, p. 261. n. 3.
De Davide Latrone facto Sancto Monacho, & miraculosè punito, ob diffidentiam de miſericordia DEI, p. 266. n. 7.
De Peccatore à Chriſto confuſo in habitu peregrini, cum oculo in vertice capitis, p. 274. n. 8.
De Nobili, qui in vanum adhibet omnes diligentias, ut poſſit obliviſci unius turpiſſimi peccati, nè illud teneretur confiteri, p. 282. n. 7.
De Epiſcopo vitæ peſſimæ, qui viſus eſt in ſpiritu ab alio Epiſcopo degradari, & morte ſubitanea ex hac vita eſt ſublatus, p. 287. n. 4.
De Anachoreta, qui in omni actione oculos in cælum elevabat, dictum ejus deſuper, p. 290. n. 8. ad finem.
De Matrona Nobili, quæ de atrociſſimo delicto fuit à diabolo accuſata, qui ſe Doctorem in Senatu finxerat, & quamvis rea fuerit, liberata tamen per confeſſionem Sacramentalem eſt, & per Patrocinium B. V. p. 299. n. 9.
De Sancto Ignatio, qui convertit Confeſſarium per ſuam propriam confeſſionem apud illum depoſitam, p. 304. n. 3.
De Pœnitentibus, quibus patefacit S. Philippus Nerius eorum peccata in confeſſione tacita, p. 305. n. 4.
De maximo Peccatore, & DEI inimico, converſo à Confeſſario per motiva infinitæ DEI miſericordiæ, p. 309. n. 8.
De Muliere per tres annos dolores partûs patiente, nec tamen potente eniti, p. 315. n. 5.
De Duce de Oſſouna Vice-Rege Neapoli, qui jocosè liberat ex triremibus certum reum, p. 316. n. 6.
De Latrone facto Monacho, qui ſua peccata publicè coram tota Congregatione confeſſus eſt, p. 318. n. 9.

De

De peccatore, qui reſipiſcit ex Pœnitentia à S. Liduina illi ſuaſa, p. 333. n. 7.
De Antiocho Monacho, qui videt libros rationũ ſuorũ peccatorũ, & ſtudet per pœnitentiam ſua debita cum DEO contracta expungere, p. 335. n. 10.
De Muliere, quæ ob peccatum cum Sacerdote commiſſum, ſe injecit in furnum accenſum, & viſa eſt anima ejus evolare in Cælum inſtar columbæ, p. 341. n. 6.
De Juvene, qui ſibi pedem abſcidit, quô Matrem propriam percuſſerat, p. ead. n. 6. ad finem.
De Juvene in aſperrimis pœnitentiis vivente, & de ejusdem ſapientiſſimo reſponſo, p. ead. n. 7.
De Monacho contra ſuum Abbatem conquerente ob ſeveritatem pœnitentiæ ſibi injunctæ, p. 342. n. 7.
De Petro Telonario, & viſione ejusdem propter eleemoſynam unici panis, p. 346. n. 3. circa medium.
De Religioſo Dominicano, qui in morte benedicit moleſtias & afflictiones, p. 350. n. 7.
De Patre Bertholdo Franciſcano, circa Indulgentias ab eodem, cuidam Mulieri conceſſas, p. 354. n. 7.
De certo Viro, qui in elevatione Hoſtiæ, illam non videbat, niſi ſolas manus Sacerdotis, eò quòd odium erga Proximum in corde foverit, p. 365. n. 7.
De duabus Fœminis, una divite, altera paupere; prima poſt Communionem perceptam exſpirat, & guttur illi rumpitur, inde prodivit ſumpta particula, eò quòd noluerit alteri reconciliari, p. 366. n. 8.
De Hoſtia conſecrata, quæ in Santaren exhibet Chriſtum in diverſis formis, p. 373. n. 7.
De Sacerdote, cui tribus vicibus avolat Hoſtia ex Altari, ante conſecrationem, eò quòd in maſſa immixtus fuerit vermiculus, p. 377. n. 2. ad finem.
De tertiaria S. Auguſtini Ordinis communicata à duabus manibus cæleſtibus die Jovis Sacro, p. 382. n. 7.
De quibusdam pueris, qui fingebant celebrare Miſſam in Apamea, & poſtmodum viderunt cadentem flammam de cælo, quæ conſumpſit panem, & lapidem, p. 387. n. 5.
De Sacerdote conſolato in dubio, an eſſet bene ordinatus, in cujus manibus poſt conſecrationẽ certa puellula vidit pulcherrimũ Infantulũ, p. 388. n. 8
De dæmone, qui ejectus immediatè fuit ab Energumena virtute Euchariſtiæ, p. 393. n. 4. ad finem.

De

De Dynaſta punito à DEO, eò quòd voluerit communicari majori Hoſtia, p. 397. n. 10.
De Adoleſcente Cive curato à ſtimulis carnis per frequentem ſumptionem Euchariſtiæ, p. 411. n. 8.
De Virgine, & filia Spirituali S. Hilarii, quæ ſponſalia init cum Chriſto Sacramentato ante Altare, ſumit Communionem, & moritur, p. 413. n. 9.
De Religioſo, qui in quavis communione ſentiebat magnam dulcedinem; at poſtmodum expertus eſt maximam amaritudinem, eò quòd durioribus verbis reſponderit ſuo Confratri; nec etiam illam priorem dulcedinem recepit, licèt egerit pœnitentiam, p. 420. n. 7. poſt medium.
De Beata Maria de Victoria, Fundatrice Monialium Cæleſtinarum, quæ proponens ſibi in qualibet Communione emendationem alicujus defectus particularis, ad ſummam perfectionem pervenit, p. 421. n. 9.
De indignè communicante à diabolo punito, p. 429. n. 8.
De muliere honeſta per veneficium in equam converſa, & à S. Macario curata, p. 435. n. 6.
De Milite, qui poſt tres dies, quibus in patibulo pendebat, à DEO gratiam habuit, quòd potuerit confiteri, & Communionem ſumere, eò quòd devotus fuerit erga Sanctiſſimam Trinitatem, Vulnera Chriſti, & Sanctiſſimum Sacramentum, p. 438. n. 10.
De Abbatiſſa à Chriſto punita, eò quòd negaverit S. Ludgardi frequentiam Communionis, p. 445. n. 7. circa medium.
De Animabus devotis, quæ deſiderabant Communionem ſumere, & de Miraculis cum illis factis, p. 451. n. 4. p. 452. n. 6. p. 453. n. 7.
De Studioſo, qui poſt mortem ſuo Socio comparuit, eique retulit ſe eſſe ſalvatum ob frequentiam Communionis, p. 447. n. 9.
De Mendico condemnato ad pœnas Purgatorii ad 20. annos, eò quòd non perceperit tempore debito Sacramentũ Extremæ Unction. p. 458. n. 5. ---
De Religioſo Dominicano, & viſione ejusdem, eò quòd pariter non perceperit Extremam Unctionem, p. 461. n. 7.
De Sacerdote confortato à B. V. in tentationibus circa Fidem de Euchariſtia, p. 470. n. 8.
De Milite cæco, qui poſt confeſſionẽ ſuorũ peccatorũ recepit viſũ p. 478. n. 7
De Muliere, quæ ſucceſſivè ſepelivit viginti duos Maritos; & de Viro, qui ſepelivit viginti Uxores; hi duo ad invicem Matrimonium contraxerunt, & Maritus ſupervixit, p. 483. n. 4.

De Agricola Conjugato, magis in prodigiis excellente, præ certo Sancto Abbate, p. 486. n. 7.
De modeſtia Sigiritæ filiæ Regis Daniæ, nomine Sivaldi, quæ tanta fuit, ut à Patre in Matrimonium illi promiſſa fuerit, qui ejusdem primus vidiſſet oculos, p. 493. n. 7.
De Virgine pauperrima, quam in Uxorem accepit ditiſſimus Adoleſcens, eò quòd eſſet virtuoſa, p. 494. n. 8.
De filia infelice, eò quòd ſponſalia contra voluntatem Patris cum alio contraxerit, p. 503. n. 7.
Ex centum & octo Perſonis improvisè ab igne in nuptiis conſumptis, Sponſi ſoli ſalvi evaſerunt, eò quòd priùs confeſſi fuerint, p. 510. n. 7. ad finem.
De Sponſo, miſere in nuptiis, inter feſtivos ſaltus, occiſo, ex invidia alterius corrivalis, p. ead. n. 8.
De Uxoribus fidelibus Maritis, p. 521. n. 6. Singulariter de Anſtraberta Uxore Bertulphi Nobilis Germani, p. 522. n. 7.
De Amore Mulierum in Bavaria erga proprios Maritos, & de modo, quo illos liberaverint, p. 528. n. 5. ad finem.
De Religioſo, qui vidit Matrem ſuam damnatam ob vanitates, & luxum veſtium, p. 549. n. 7.
De Matre, quæ expetit à Sancto Germano Patriarcha Hieroſolymitano benedictionem fructûs, quem in utero geſtabat, & Infans poſtmodum eſt effectus Martyr, p. 562. n. 2. ad finem.
De infantibus effectis Sanctis ex bona educatione Matrum, p. ead. n. 3.

F.

Ferdinandi II. Imperatoris reverentia qualis fuerit erga Confeſſarium, p. 255. n. 5.
Fides qualis debeat eſſe in vero Chriſtiano? p. 74. n. 6.
Fidelitas Conjugalis, & ejusdem laudes, p. 512. Inſtruc. V. per totum. Eſt primum bonum Matrimonii. Vide verb. Matrimonium in longum, & latum.
Fluvius in Britannia convertit fructus vicinarum arborum, qui ex illis decidunt, in aviculas; p. 38. n. 3. ad finem.
Fons Arethuſa immobilis aliàs in aquis, ad vocem hominis exæſtuat, & criſpatur, p. 43. n. 1.
S. Franciſcus Seraphicus, quæ verba proferebat ante Sacram Communionem, p. 24. n. 6.

S. Franciſci Saleſii conſilium pro accedentibus ad Confeſſionale, p. 253. n. 3. & p. 256. n. 7. ad finem.
Fulmen, & ejus mirabiles effectus, p. 390. n. 1.

G.

Georgius Caſtriotus diſſecabat uno in ictu Virum catafractum per medium, p. 108. n. 7.
S. Gertrudis audit à Chriſto, qualem honorem Crux adferat Animæ, p. 75. n. 8. Ejusdem viſio in perceptione Sacræ Comunionis, p. 411. n. 7. circa med.
Giottus Pictor famoſiſſimus demonſtrat ſuam artem in efformatione unius circuli, p. 375. n. 1.
Gorvinus Princeps Anglicus, imprecationem ſibi à ſemetipſo factam expertus eſt, p. 428. n. 7. circa med.
Gratia Sacramenti qualis ſit? p. 16. n. 7. Gratia ſanctificans, & ejusdem effectus, p. 13. n. 3. 4. Gratia DEI confert Regnum, & coronam, p. 317. n. 7.

H.

Habitus mali tolluntur efficaci velle, p. 245. n. 5.
Hegeſiſtratus Elæus captivus apud Spartanos abſcidit ſibi pedé, & in carcere eundé cū catena reliquit, & tali modo ex captivitate liberatur, p. 143. n. 5.
Heliogabalus ſemper volebat ſcire, quantùm quilibet conſtiterit cibus, ad menſam ei delatus, p. 419. n. 6.
B. Henricus Suſo: & ejusdem viſio, p. 128. n. 7.
Hercules omnia ſeptem capita hydræ ſimul amputavit, ſic omnia peccata ſunt reſecanda, p. 276. n. 2.
Honor eſt inimicus intereſſe, p. 10. n. 1.
Horologium, & ejusdem conſonantia deſcribitur, p. 251. n. 1.

I.

S. Ignatius, & ejusdem elogium, p. 78. n. 1. Eſt ſpecialis Patronus prò infantibus, ibid. Certus infantulus articulatè dicit, quòd velit vocari Ignatius, p. 79. Detegit intentionem apoſtatandi in duobus Religioſis, p. 287. n. 4. Ejusdem ſuſpiria, p. 85. n. 8. Convertit Confeſſarium, dum ſua peccata eidem confeſſus fuit, p. 304. n. 3. Ejusdem pœnitentiæ, & mortificationes in Manreſa, p. 347. n. 4. Ejusdem perſecutores, p. 349. n. 6. Admirabile ejusdem dictum, ibid.

Ignorantia, & ejusdem divisiones, p. 194. n. 7. Dividitur in culpabilem, & inculpabilem, ibidem.
Impii persequuntur bonos, p. 128. n. 6.
Indulgentiæ. De satisfactione per Indulgentias; & quid illæ sint? p. 351. Instruct. XXVI. per totum. Indulgentiæ sunt Alchimia cælestis, p. ead. n. 1. In iis est aurum infinitum, p. 352. n. 2. Quid sint Indulgentiæ? p. ead. n. 3. Sunt thesaurus infinitus, quia sunt ex meritis Christi, p. 353. n. 5. Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum, ibidem. Hujus thesauri claves habet Summus Pontifex, Vicarius Christi, p. 354. n. 6. Quanta de Indulgentiis sit habenda æstimatio? p. eadem. n. 7. Maximè de plenariis, p. 355. n. 8. quàm facilè possumus illas lucrari, ibidem. Indulgentia Portiunculæ magno miraculo authentica, p. 356. n. 10.
Infirmitates, & molestiæ amore DEI toleratæ, quàm nobis utiles, p. 348. n. 5. ---
Ingo Princeps Vandalorum, meliùs tractat suos Christianos plebeos, quàm Magnates gentiles, p. 17. n. 10.
Insulæ, quæ ad insultus maris semper tremunt, p. 313. n. 3.
Intentio bona in actionibus, p. 289. n. 8.
Interesse inimicus honoris, p. 10. n. 1.
Job dat nobis normá paucis verbis perfectæ contritionis eliciendæ, p. 223. n. 8
Joresamus filius primogenitus Linderici Comitis Flandriæ causa fuit, quòd cuidam pauperculæ Viduæ mortui fuerint duo filioli, à Parente ratione hujus quomodo puniatur? p. 288. n. 5.
Jubilæum est commercium, & nundinæ gratiarum, p. 352. n. 4.
Judicium DEI quare duplex, cum hominibus, particulare nimirum, & generale? p. 320. n. 1. & 2.
Julius Cæsar condonat Rufo suo inimico injurias, & authenticat hoc grandi dono; desuper ejusdem gratiosum dictum, p. 158. n. 8.

L.

Lacrymæ quàm sint pretiosæ, & quàm utiles, p. 217. n. 1. Aliæ sunt indicium sanitatis, aliæ mortis juxta Hypocratem, & quænam illæ? p. 218. n. 2. Scire flere est scientia utilis, p. ead. n. 3. Quales sint vanæ, & quando? p. 219. n. 5.
Leo se humiliat certo Mentori, ut illi ex pede extraheret spinam, p. 314. n. 4.
S. Leo Papa postulat suorum peccatorum remissionem; & quomodo eandem obtinet, p. 200. n. 4. circa finem.

S. Lidvina qualem pœnitentiam ſuaſerit certo cuidam magno peccatori, p. 333. n. 7.
Livia Uxor Auguſti, quomodo ſibi lucrata fuerit amorem Mariti, p. 528. n. 5.
Ludovicus Granatenſis ex Ordine Sancti Dominici qualiter per ſui corporis diſciplinationem duos Juvenes laſcivos converterit, p. 120. n. 6.
Luna, & ejusdem Apologus, p. 283. n. 1.
Lupus per collum arripit oviculas, ut non poſſint ballare, & ſic illas ſecurè aufert, p. 294. n. 2. Quare ſemper eſt macer? p. 418. n. 6.

M.

Mare eſt lac dulce pro piſcibus, p. 343. n. 1.
Margaretha de Cortona vocata fuit à Chriſto paupercula, non autem filia, eò quòd perfectè non examinaverit ſuam conſcientiam, p. 183. n. 4.
Margarita ſymbolum Animæ, p. 51. n. 1. concepta noctu, naſcitur miraculosè, ibid. Si à columba deglutiatur, purificatur, p. 52.
Beatiſſima Virgo Maria liberat peccatorem à pœnis inferni, eò quòd in honorem illius obtulerit ſemel in ſua vita facem, p. 102. n. 8. Detinet vitam in ſolo capite per duos annos cujusdam militis, uſquedum confeſſus fuiſſet, p. 142. n. 4. Defendit ſuam devotam in grandi anguſtia, p. 299. n. 9. Revelat Sanctæ Brigittæ, quem honorem DEO dent, verba Conſecrationis, p. 382. n. 1. Aſſiſtit in prima Miſſa P. Antonio Ruiz de Montoya Societ. JESU, p. 470. n. 7. Confortat Sacerdotem tentatum circa Myſterium Euchariſtiæ, p. ead. n. 8.
B. Maria de Quito, videt Indulgentias ut commercium, ſeu forum nundinarum, p. 352. n. 4.
S. Magdalena de Pazzis dicebat, unam Communionem bene factam ſufficere pro efficienda Anima ſancta, p. 410. n. 6. ad finem.
Donna Maria de Eſcobar, vidit feſtivitatem, quam in cælo faciunt Angeli in Feſto Corporis Domini, p. 405. n. 10.
Matrimonium. Ejus laudes: Eſſentia, & quòd illi qui illud contrahunt, non impediantur à ſequenda virtute, p. 479. Inſtruct. I. per totum. Ejus Author, p. 481. n. 2. Fuit primò Contractus Civilis, poſtmodum Sacramentum, ibid. Differentia in hoc, ibid. Abuſus à Chriſto correcti in Matrimonio, p. 482. n. 3. Quid Matrimonium repræſentet? ibid. DEUS eſt Fundator hujus Religionis Matrimonialis, p. 483. n. 4. In quo conſiſtat ejus eſſentia? ibid. Ligamen ejusdem indiſſolubile, ibid. Non excuſat à ſervitio DEI, p.

484.n.5. Virginitas eſt excelſior Matrimonio, ibid. Conjugati Sancti p. 485.n.6. Domus Conjugatorum à Sancto Paulo vocatur Eccleſia, ibid.
De intentione quæ habenda eſt in contrahendo Matrimonio, p. 487. Inſtr. II. Comparatur navi Matrimonium, quæ in aquam immittitur, p.ead.n.1. Quàm ſancta ſit actio Contractus Matrimonialis, p.488.n.2. Qualia ſint ordinariè motiva Uxorem ducendi in qualibet claſſe hominum, p.490.n. 3. Qualia debeant eſſe media pro conſequendo Matrimonio? p.493.n.7. Ad DEUM recurrendum eſt per preces pro divinatione, ibid.
De æqualitate inter contrahentes; & pro Matrimonio contrahendo debent filii petere conſilium à Parentibus, p. 496. Inſtruct. III, per totum. Unde provenit quòd jugum Matrimonii ſit multis intolerabile, p.497.n. 2. Si ſunt inæquales in ætate; magnus error: ſi in ſanguine, major: ſi in educatione? res peſſima eſt. Sed vigore gratiæ poſſunt omnia complanari, p. 500. n. 5. Eſt ergo Matrimonium contrahendum cum æquali, p. 502 n. 6. Et hinc contrahatur à Parentibus, ibid.
Modeſtè, & moderatè nuptiæ celebrentur. Optima ſponſæ dos eſt virtus, p. 505. Inſtruct. IV. per totum. Aqua, & ignis in porta primæ Cæremoniæ Matrimoniales apud Romanos; & quare? p. ead. n. 1. Matrimonium non eſt theatrum, ſed Sacramentum, p. 506. n. 2. Qualis verus ornatus debeat eſſe in ſponſa? p. ead. n. 3. Quomodo debeat celebrari Matrimonium? p. 510. n. 7. Ejus Sanctitas, ibidem.
De primo bono Matrimonii, quod eſt, Fidelitas conjugalis: & de malitia Adulterii, p. 512. Inſtr. V. per totum. Bona Matrimonii ſunt tria, & quænam illa ſint? p. ead. n. 1. Fides conjugalis bene obſervata quantùm proſit; rupta quantùm noceat? p. 513. n. 2. Adulterium quomodo apud diverſas gentes puniebatur, p. 515. n. 3. Sacri Canones etiam in ſepulchro habere volunt unitos Conjugatos, p. 519. n. 5. Divortia quomodo licita? ibidem. Ubi Fides conjugalis adeſt, magna requies invenitur, p. 520. n. 6. Patet ex exemplo, p. 521. n. 7.
De ſecundo bono Matrimonii, quod eſt Sacramentum: & de amore, & reverentia inter Conjuges, p. 524. Inſtruct. VI. per totum. Quare hoc vinculum indiſſolubile Matrimonii, eſt *bonum Sacramenti?* p. 525. n. 2. Quid hoc ſignificet? ibidem, & num. ſequent. Quomodo ſe invicem debeant amare, p. 528. n. 5. Amor illorum non debet deſcendere, & declinare ad turpia, p. 530. n. 6.
De concordia, & pace quam Conjugati debent inter ſe conſervare, p. 532. Inſtruct.

Inſtruct. VII. per totum. Amor fabricat unionem, ex unione reſultat concordia, quæ eſt vita univerſi, p. 533. n. 2. Damna ex rixis, p. 534. n. 3. Cedat unus alteri, & ſupportent ſe ad invicem Conjugati, p. 536. n. 5. Malum zelotypiæ: & quomodo vincendum? p. 541. n. 9. & ſequent. Quomodo debeant gubernare domum ad imitationẽ Solis, & Lunæ in Cælo, p. 543. Inſtruct. VIII. per totum. Maritus foris extra domum ſuam impendit induſtriam, Uxor intra domum, p. 546. n. 4. Ab Uxore pendet felicitas Mariti: ſed in quo conſiſtit bonitas Uxoris? p. 547. n. 5. ----

De tertio bono Matrimonii, quod eſt fœcunditas in prolibus, p. 551. Inſtruct. IX. per totum. Quale nam bonum majus ſit: habere proles, vel illis carere, p. ead. n. 1. Quatuor claves DEUS ſibi reſervavit, ut dicebant antiqui Hebræi, p. 553. n. 2. Quomodo ſint proles à DEO petendæ? p. 554. n. 3. Quando ſit bonum habere proles? p. 555. n. 4. Quando autem non? p. 557. n. 5. Ob quem finem DEUS neget, vel auferat proles? p. ead. n. 6.

De bona educatione prolium, quæ coronant bona Matrimonii, p. 559. Inſtr. X. per totum. Sunt depoſita Parentibus à DEO data, ibid. Matres habeant curam prolium ab ipſa conceptione, p. 561. n. 2. Proles propter probã educationẽ Matrum plurimæ evaſerunt ſanctæ, p. 562. n. 3. In añis diſcretionis eſt maximum onus Parentum quò ad educationem prolium, p. 565. n. 4.

Querelæ cæli, & terræ contra negligentes Parentes quò ad educationem prolium, p. 567. n. 5.

S. Maurilius Epiſcopus Andegavenſis ſeveram agit pœnitentiam, ob defectum involuntarium, p. 110. n. 10.

Medicamenta facta ſunt à DEO hominibus moleſta, & contra appetitum, ut tantò melior cura habeatur circa ſanitatem conſervandam, p. 329. n. 1.

Medici cujusdam fauſta curatio morborum apprehenſivorum in certa fœmina, p. 257. n. 9.

Milanus Nobilis Romanus ad mortem condemnatus, eò quòd ad judicium venerit in ſumptuoſis veſtibus, p. 254. n. 5.

Miles blaſphemiis aſſuetus lepido ſtratagemate emendatur à Patre Caſtrenſi, p. 245. n. 4.

Miſericordia DEI infinita explicatur, p. 147. n. 8.

Miſericordia JESU Chriſti cum peccatoribus, p. 301. n. 1. Debet eſſe incentivum noſtri doloris, p. 309. n. 8.

Modus faciendi examen conſcientiæ, p. 180. Inſtruct. VI. per totum. Ad tria potiſſimùm reducitur puncta, p. 185. n. 6.

Moleſtiæ, afflictiones, infirmitates, quàm dulces, & quàm nobis utiles, ſiamore DEI illas ſupportamus, nec contra DEUM conquerimur, p. 348. n. 5.
Mors horribilis erit peccatori, cum candela accenſa in articulo mortis, p. 100. n. 7. Eſt anxia etiam in juſtis, p. 179. n. 9. Etiam ob res minimas, p. 197. n. 9. Mors terrefacit hominem, & impedit elicere actus bonos, p. 232. n. 8.
Motiva, quæ dolor habere debet ut ſit proficuus, p. 217. Inſtruct. X. per totum. Qualia ſint motiva ſupernaturalia? p. 222. n. 6. Motiva Attritionis ſunt tria. Contritionis ad unicum reducuntur, 224. n. 9.
Mulieribus qualis concedatur ornatus à Sancto Paulo, p. 90. n. 5. Propter ornatum obliviſcuntur DEI, ſui, & pauperum, p. 91. n. eod. Dictum Thomæ Mori de tali ornata fœmina, p. 92. n. 6. circa medium. Aliæ ſe ornant ùt columbæ, aliæ ùt ſerpentes, ibid. Quomodo tales viſæ ſint à certa Anima devota, & à zeloſo Parocho? ibid. circa finem. Eſt ablata per Angelos Hoſtia Sacra, quâ Mulier vana in morte erat communicanda, p. 94. n. 9. Non reputabant pro filiis Mulieres Lacedæmonienſes, qui non ſequebantur malitiam, p. 107. n. 5. Quomodo filios ad bellum mittebant? p. 123. n. 1.
Mundus repræſentatur in aqua inverſus, & hac de cauſa repræſentatur rectus, p. 70. n. 1.

N.

Narciſſus (fabula) ſymbolum Chriſtianorum in fonte Baptiſmali, p. 27. n. 1. Symbolum Chriſtianorum deceptorũ ab umbris bonorũ temporaliũ, ibid.
Naufragium deſcriptum, p. 140. n. 1.
Neceſſitas & facilitas Sacramenti Pœnitentiæ, p. ead. Inſtruct. II. per totum. Qui poſt Baptiſmum non peccaret, non egeret Pœnitentia, p. 141. n. 3. Non velle confiteri, eò quòd quis ſæpiùs peccat, eſt deceptio diaboli, p. 146. n. 7.---
Nero expendit grandes ſummas pecuniarum in aromata, & unguenta pro balneis, p. 37. n. 2.
Nilus ubi maximè admirabilis, in ſcaturigine, vel origine ſua, vel in effuſione, p. 406. n. 1.
Novatus, eò quòd contẽmpſerit Sacramentum Confirmationis, fit hæreſiarcha, & obſidetur à diabolo, p. 109. n. 9.

O.

Obligatio; ad quid nos obſtringat, dum abrenuntiamus diabolo, & pompis

pompis ejus in Baptiſmo? p. 85. Inſtruct. VIII. per totum. Quid vult dicere, abrenuntiare pompis? p. 88. n. 3.

Occaſiones fugiantur, p. 97. n. 4. Occaſio qualis proxima; qualis remota? p. 246. n. 6. Proxima ſi non tollatur, facit quòd confeſſio fiat ſacrilega, p. 247. Talis fecit Matrem fieri gravidam à proprio filio, p. 299. n. 9.

Octavianus Auguſtus, ſolvit ſummam ſtatuti pretii ipſimet Latroni, ſupra cujus caput poſitum erat, eò quòd ipſemet latro ſe in perſona ſtiterit, p. 157. n. 7.

Oculi quàm ſubjecti ſint deceptioni? p. 392. n. 4. Beati in terra ideo ſolummodo, quòd videant Euchariſtiam, p. 394. n. 6. poſt medium.

Opera bona qualia debeant eſſe occulta? p. 120. n. 7. Facta cum malo fine, ſunt peſſima, p. 289. n. 8. Fiant cum reſpectu ad DEUM, ibid. Maximè ſunt admirabilia in rebus parvis & vilibus, p. 375. n. 1.

Oratio facta in peccato mortali non prodeſt Animæ defuncti Parentis, p. 168. n. 7.

Ordo; ejus eſſentia & dignitas quam confert quò ad celebrationem Miſſæ, p. 462. Inſtruct. I. per totum. DEUS in Ordine Sacro dat ſe optimè cognoſcendum in Eccleſia, p. ead. n. 2. Finis, ob quem DEUS Ordinem inſtituit, p. 463. n. 3. Ejusdem gradus, & in quem finem? ibid. Eſt fons & origo omnium aliorum Sacramentorum, p. 464. n. 4. Sunt Ordines ſeptem & unus; quomodo hoc? ibid. Eorum munia, p. 465. Efficacia, & effectus p. 466. n. 5. Character, ibid. Omnes diriguntur ad ſervitium Altaris, p. 467. n. 6. Quam dignitatem conferat Sacerdoti? p. 468. n. 7. Quam poteſtatem? p. 469. nimirum duplicem.

De ſumma potetate Abſolutionis, p. 471. Inſtruct. II. per totum. Poteſtas Ordinis & Jurisdictionis quid illæ ſint? p. 473. n. 2. Non poteſt rite intelligi Poteſtas Abſolutionis, niſi prius ſciatur quale onus, & qualis ligatura ſit unicum peccatum mortale, p. 474. n. 3. Cùm hanc Poteſtatem omnes Sacerdotes accipiant, quare non omnes ſunt Confeſſarii? p. 476. n. 5. Per abſolutionem recipit certus Miles viſum, p. 478. n. 7.

Ornatus qualis permiſſus Mulieribus, qualis prohibitus? p. 90. n. 5. Matthæus de Baſſo Capucinus comprimit pallium cujusdam Juriſconſulti, vanis veſtibus dediti, & fluit ex eo ſanguis, p. 91. num. 6.

P.

S. Pachomius Gentilis, & miles, fit Chriſtianus propter bona exempla fidelium, p. 119. n. 5. circa finem.

Pandoræ fabula, p. 135. n. 6.
Panthera ſe humiliat coram Viatore, ut extraheret catulos ejusdem ex foſſa, in quam deciderant, p. 65. n. 6.
Paradiſus non confertur otioſis & ſocordibus, p. 74. n. 7. Paradiſus & mundus non poſſunt ad invicem uniri, p. 85. n. 1. Acquiritur in Albis veſtibus, & ſinè macula, & quare hoc? p. 98. n. 5. Unica macula in veſte impedit ab ingreſſu Sanctum Annonem Archi-Epiſcopum Colonienſem, p. 99. Non obtinetur velleitate & deſideriis, p. 242. n. 1. Debent adeſſe opera, p. 243. n. 2. Amore Paradiſi debemus vincere omnes difficultates, p. 317. n. 7.
Patrini Baptiſmi, & eorum obligatio, p. 60. Inſtruct. V. per totum. DEUS, & Eccleſia dant nobis Patrinos, p. 61. n. 2. Nata eſt quaſi cum Eccleſia iſta Cæremonia circa Patrinos, p. 62. n. 3. Quomodo Patrinus à Sanctis Patribus vocetur, p. 63. n. 4. Patrini ſunt Fidejuſſores apud DEUM pro ſuis filiis ſpiritualibus, p. 64. n. 5. Peccant mortaliter non inſtruentes in Doctrina Chriſtiana filios parentum negligentum, p. 65. n. 6. Quinam ſint in rigore Patrini? p. 67. n. 7. Quid ſit cognatio ſpiritualis, & quis, & cum quo illam contrahant? ibidem.
Paulus IV. Summus Pontifex ſolvit largiſſimè Artificem, qui ei perfecerat opus certum ad guſtum, p. 369. n. 3.
Pavo & ejusdem deſcriptio, & vitia, p. 508. n. 4.
Pauperes malè tractati à divitibus, ob exorbitantiam pomparum, p. 91. n. 6.
Peccata quomodo pro confeſſione examinanda? p. 170. Inſtruct. V. per totum. Quàm tenebroſa ſint pro confeſſione; & hinc eſt bene diſcutienda per examen conſcientia, p. 180. Inſtruct. VI. per totum. Erunt honori Juſtis in extremo Judicio publicata, p. 297. n. 7. Mutant faciem ſecundum perſonas; & hoc explicatur; ubi de circumſtantiis etiam agitur, p. 285. n. 2. Peccata aliena fiunt quandoque noſtra propria. Ubi etiam de examine eorundem agitur, p. 198. Inſtruct. VIII. per totum. Quot modis poſſumus eſſe cauſa peccatorum alienorum? p. 202. n. 5.
Peccata omiſſionis qualia nam ſint, & quomodo examinanda? p. 189. Inſtr. VII. per totum. Peccatum & delictum diſtinguuntur, & quomodo? p. 190. n. 1. ad finem. Confitenda ſunt peccata commiſſionis, & omiſſionis, p. ead. n. 2. Quomodo exagerentur peccata omiſſionis in Divinis litteris? p. 192. n. 3. Quid ſit peccatum omiſſionis, definitur, p. 193. n. 6. Omiſſiones palliatæ quales nam ſint? p. 194. n. 7.
Peccata mortalia debemus omnia confiteri, aliàs confeſſio nulla eſt, p. 275. Inſtruct.

Inſtruct. XVII. per totum. Adumbrantur in Hydria Herculis, p. 276. n. 2. Confitenda ſunt illa, quæ in conſcientia ſentimus; non illa quæ in memoria habemus, p. 277. n. 3. & hoc ibidem explicatur. Peccatum poſt Baptiſmum primum commiſſum qualia & quanta damna cauſet? p. 141. n. 2. Omnia merita morificat, p. 157. n. 7. circa medium. Bene cognitum facilitat dolorem, p. 170. n. 1. Quomodo mortale & veniale poſſint diſtingui? p. 186. n. 7. Quomodo ſint confitenda peccata mortalia, quorum certus non ſcitur numerus? p. 187. n. 9. Quomodo illa quæ mutant ſpeciem? p. 188. n. 10. Peccati mortalis duæ malitiæ, p. 227. n. 6. Deteſtanda ſunt omnia, p. 238. n. 5. Peccatum in conſcientia, tormentum perpetuum, p. 314. n. 3. producit nova peccata, p. ead. n. 4. Quanta ſit gravitas peccati mortalis? p. 474. n. 3.

Peccator quidam, DEI maximus inimicus, convertitur à Confeſſario per motivum miſericordiæ DEI, p. 309. n. 8. Peccator aſſimilatus vermi bombici, p. 311. n. 1.

Pœna Confeſſarii, quæ illi inflicta fuit, eò quòd ſecretum confeſſionis violaverit? p. 306. n. 5.

Pœnitens verus aſſimilatur alembico, p. 217. n. 1.

Pœnitentia: ejus laudes. Diſtinctio quæ datur inter virtutem & Sacramentum Pœnitentiæ, p. 130. Inſtruct. I. per totum. Habet duas facies, p. 131. n. 1. Exhortantur Fideles ad Pœnitentiam, p. ead. n. 2. Vani timores illorum, qui eam fugiunt, p. 133. n. 3. Confirmatur hoc exemplo, p. ead. n. 4. Pœnitentia Virtus, & Pœnitentia Sacramentum; diverſitas eorundem, & unio, p. 134. n. 5. 6. Habet omnes virtutes, ibid. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, p. 136. n. 7. Quid ſit Sacramentum Pœnitentiæ? ibidem. Quare Chriſtus impoſuerit confeſſionem peccatorum, p. 137. n. 8. Potentia verborum Formæ, ibid.

Pœnitentiæ neceſſitas & facilitas, p. 140. Inſtruct. II. per totum. Eſt ſecunda tabula poſt naufragium, p. ead. n. 1. Eſt medicina ſpiritualis pro ſananda Anima poſt lapſum, p. 141. n. 3. Eſt neceſſarium illam facere illi, quiscunque eſt lapſus poſt Baptiſmum in peccatum mortale, ibid. & n. 4. Pœnitentia frequentetur etiam à maximis peccatoribus, p. 147. n. 8. 9. Efficacia ejusdem, quam expertus eſt in morte quidam adoleſcens, p. 149. n. 10. De admirabilibus effectibus, quos operatur Pœnitentia in Anima, p. 151. Inſtruct. III. per totum. Delet peccata ſicut nubes, & quare hoc? p. ead. n. 1. Quid eſt delere peccata? p. 152. n. 2. Condonat pœnam æternam,

nam, p. 153. n. 3. Confert gratiam, p. 154. n. 4. Reſtituit virtutes infuſas, & merita, p. 157. n. 6.
De partibus Sacramenti Pœnitentiæ, p. 161. Inſtr. IV. per totum. Partes ejusdem ſunt Contritio, Confeſſio, Satisfactio, p. 164. n. 4. Satisfactio non eſt pars eſſentialis, ſed neceſſaria, p. 165. n. 5. Quomodo examen conſcientiæ ſit inſtituendum? p. 170. Inſtr. V. per totum. Item p. 180. Inſtr. VI. per totū.
Pœnitentia eſt ſacrilega, ſi, dum poteſt fieri, non reſtituitur res aliena immediatè, p. 249. n. 8. Pœnitentia in vita, ad evitandas aſperrimas pœnas Purgatorii, p. 341. n. 7.
De operibus ſatisfactoriis, p. 343. Inſtruct. XXV. per totum. Pœnitentia eſt dulcis, ſicut eſt mare dulce piſcibus, p. ead. n. 1. Non conſiſtit in ſolis mortificationibus corporis, ſed etiam in aliis operibus bonis, & qualia illa ſint? p. 344. n. 2. & ſequent. Quam hæc facilia ſint, p. 347. n. 4.
Pericles Princeps Athenienſium privat ſe titulō Patris, quamdiu Meander vixit Informator filii, p. 63. n. 4.
S. Philemon Martyr percipit miraculosè Baptiſmū è cælo ex nube, p. 32. n. 5.
S. Philippus Nerius amandat mulierē, quam in ſpiritu prævidet in confeſſionali petiturā eleemoſynā, p. 282. n. 7. Detegit peccata pœnitentibus, quæ illi in confeſſione tacebant, p. 305. n. 4. Agnoſcit characterē Sacerdotalē in Juvene ſedecim annorum, veſtes ſæculares portante, p. 17. n. 9. & p. 466. n. 5.
Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ſcribit in ſeram noctem literas Pontifici; Ephebus ſomnolentus locō pulveris conſperſorii attramentum ſupra effudit, propter hoc tamen Rex non fuit indignatus, p. 325. n. 8.
Philonis ingenioſa fictio, p. 382. n. 1.
Philoſophus exſpuit in faciem alterius Philoſophi, eò quòd non invenerit alium locum turpiorem, p. 15. n. 6.
Pictor effigians Helenam divitem, eò quòd illam neſciverit depingere pulchrā, p. 259. n. 1. Alius Pictor evomit viperam ad odorem lactis, p. 11. n. 2.
Pictor celeberrimus Giotti authenticat ſuam ſcientiam in arte pictoria, efformatione perfecti circuli, p. 375. n. 1.
Pipinus Rex Galliæ, ſinè corona, & nudis pedibus accedebat ad confeſſionem, p. 254. n. 5.
Pompa diaboli eſt eadem quæ pompa mundi, p. 88. n. 3.
Proceſſiones quomodo ſint aſpiciendæ cum fructu à Chriſtianis, p. 25. n. 8.
Procraſtinantes confeſſiones, quantum ſibi noceant, quò ad ſtatum Animæ, p. 314. n. 4.

S. Pro-

S. Projectus unà cum tribus ſociis à malevolis hominibus irriſus, eò quòd à carnibus abſtinuerit, manſit illæſus, irriſoribus, à tecto corruente occiſis, p. 129. n. 8.

Propoſitum in confeſſione: Ejus neceſſitas, & qualitas, p. 234. Inſtruct. XII. per totum. Reſpicit præteritum, & futurum, ibid. Debet eſſe univerſale, & firmum, p. 238. n. 5. & ſequent. --- & alia vide de Propoſito dicta Inſtructione. Debet pariter eſſe efficax, p. 242. Inſtruct. XIII. per totum. Eſt operibus demonſtrandum, p. 243. n. 2. Quàm difficilè in malè habituatis, p. ead. n. 3. Ille non habet verum Propoſitum, qui non arripit media pro emendatione, p. 245. n. 4. Efficax debet eſſe, ſpecialiter autem in quibus perſonis? p. 246. n. 6.

Providentia DEI, & ejusdem benignitas, p. 496. n. 1.

Proximus eſt adjuvandus, p. 114. n. 1.

Pueri cujusdam gratioſum reſponſum, p. 85. n. 1.

Pulchritudo in quo conſiſtat? p. 259. n. 1.

Purgatorium, & ejusdem pœnæ atrociſſimæ, p. 341. n. 7.

Purpura etiamſi videatur optima, juxta aliam purpuram dijudicanda eſt, p. 225. n. 1. Conſervabatur una in delubro Capitolino pro idea aliarum purpurarum, p. 367. n. 1.

R.

S. Raymundus de Pennafort fugit miraculosè ex Inſula Majorica, ob laſcivum amorem Regis Aragoniæ Jacobi, cum ſua Concubina, p. 249. n. 7.

Reges Ægypti curabant lepram hæreditariam balneis ex ſanguine infantium occiſorum confectis, p. 36. n. 2.

S. Remigius accipit è cælo per columbam ampullam cum Sacro Chriſmate in Baptiſmo Clodovæi, p. 115. n. 2.

Reſtitutio fiat quàm citiſſimè, quando fieri poteſt, p. 249. n. 8. & ex hac liquet efficacia Propoſiti.

S.

Sabina Poppeia ducebat ſecum 500. aſinas, in quarum lacte balneabat pro conſervanda pulchritudine, & ſubtilitate cutis, p. 36. n. 2.

Sacerdotum Dignitas, & Poteſtas, p. 468. n. 7. Item: p. 471. Inſtruct. II. per totum. Sacerdotes habent duplicem Poteſtatem, p. 473. n. 2. Laudant DEUM in Conſecratione, p. 382. n. 1. Eorum prodigioſa potentia, p. 386. n. 5. Loquuntur in Perſona Chriſti, ibid. Qualiter tractatum vide-

rit Sancta Thereſia apud Altare, qui indignus erat, p. 387. n. 6. Quare non omnes ſunt Confeſſarii? p. 476. n. 5. Quanta illis debeatur reverentia, p. 478. n. 6. Etiam quando ſunt indigni, ibid. Exemplum præſtitæ eis reverentiæ & accommodationis à DEO remuneratæ, p. ead. n. 7.

Sacramenta ſunt ſcala ad Cælum, p. 1. Inſtruct. I. Acquirunt & adaugent gratiam, p. 3. n. 2. Numerus myſterioſus eorum, p. 4. Eorum ordo, p. ead. n. 3. Eorundem effectus, ibid. Harmonia, p. 6. n. 4. Eorum neceſſitas, ibid. Non ſunt inter ſe æqualia. Sacramentum Euchariſtiæ omnia præcedit, p. ead. n. 5. Eorum Author, p. 7. n. 6. Quantum Chriſto conſtiterint, p. 8. n. 7. Sunt ſigna: & quid ſignificent, p. 9. n. 8. De effectibus admirabilibus Sacramentorum, quos cauſant in Anima, p. 10. Inſtruct. II. Quid ſint Sacramenta? p. 11. n. 2. Sanant nos, & juſtificant, p. ead. & numero. Quomodo nos juſtificent? p. 13. n. 3. Eorum definitio, ibidem. Quomodo ſint ſigna gratiæ? p. 14. n. 4. Quomodo operentur verba? p. ead. n. 5. Eorum effectus, p. 15. n. 6.

De diſpoſitione pro percipiendis Sacramentis, p. 18. Inſtruct. III. Miniſter etiam ſceleratus non impedit eorum effectus, p. 20. n. 3. Qualis diſpoſitio requiratur in adultis pro dignè ſuſcipiendis? p. 21. n. 4. Qualia ſint Sacramenta mortuorum? p. 22. Qualis diſpoſitio requiratur pro perceptione Sacramentorum vivorum? p. 23. n. 5.

Sacramentum Pœnitentiæ. Ejus neceſſitas, & facilitas, p. 140. Inſtruct. II. per totum. Quid illud ſit? p. 141. n. 3.

Sal, & ejusdem laudes, p. 78. n. 1. Eſt primus cibus quem deguſtant infantes in Baptiſmo, ibidem. Eſt ſymbolum amicitiæ, p. 80. n. 2. Pacta perpetua celebrabantur cum ſale, p. 81. n. 3. Facit ut nobis ſit ſuave obſervare legem DEI, p. ead. n. 4. & ſequent.

Sancti, qui priùs erant magni peccatores, p. 309. n. 7.

Satisfactio quid ſit? p. 329. Inſtruct. XXIII. per totum. Non eſt pars eſſentialis, ſed integralis, p. 330. n. 2. Eſt peccatum mortale, quando pœnitentia impoſita eſt gravis, illam non adimplere, p. ead. Quid ſit ſatisfactio, p. ead. n. 3. Opera bona pro ſatisfactione injuncta, ſunt majoris meriti, p. 331. n. 4. Correſpondet peccato, p. 332. n. 5. Quare DEUS in Baptiſmo condonat totam pœnam, & non in Sacramento Pœnitentiæ? p. 334. n. 8. Cum jam Chriſtus ſatisfecerit, ad quid nos debemus ſatisfacere? p. 335. n. 9. Quanta debet eſſe ſatisfactio pro noſtris culpis, ut ſit totalis? p. 337. Inſtruct. XXIV. per totum. Qualisnam fuerit in primitiva Eccleſia? p. 338.

n.3. Qualem assignaverint Sancti? p.339.n.4. Quare pro nunc assignetur tam levis? p.340 n.5. Deberemus petere pœnitentias graviores, p.341.n.6. Qualiscunque pœnitentia in hoc mundo, non est comparanda cum igne Purgatorii, p. ead. n. 7. Satisfactio est amara, & est dulcissima, p.343. Instruct. XXV. n.1. Quantâ facilitate peragi possit, p. ead. n. eod. Non consistit in solis asperitatibus, & mortificationibus corporis, p.344.n.2. Quales illæ aliæ sint satisfactiones? ibid. & n.3. Quàm faciles, p.347. n.4. Etiam illæ tribulationes, quas nobis DEUS immittit, sunt satisfactoriæ, p. 348. n. 5. De satisfactione per Indulgentias; & quid sint Indulgentiæ. Vide Indulgentia. Instruct. XXVI. per totum.

Scandala Mulierum exornatarum, quomodo monstrata fuerint cuidam Animæ devotæ, p. 91. n. 6. & pariter certo Parocho, ibid.

Scandalum illustrium Personarum, quantùm damnum causet in communitatibus, p. 286. n. 3.

Sclavi apud Romanos ponebantur in libertatē per duos, vel tres ictus suaves virgarū, p.355.n.8

Sæculares æqualiter ac Religiosi obligati sunt servare legem Christi, p.75. n.8.

Sepulchrum cum Epitaphio à Sancto Hieronymo visum viâ Tiburtinâ, p. 534. n. 3.

Seti obligabant Uxores ad labores Virorū peragendos, & illi quiescebant, p.544.n.2. post med.

B. Sybillina Narnensis Dominicana Monialis cæca. sentiebat præsentiā Eucharistici DEI, p.395.n.7

Sigillum Confessionis quàm strictum sit? p. 306. n. 5. Quomodo Confessarius punitus fuerit, ob simile sigillum violatum, ibid.

Solimannus Turcarum Imperator habuit pro servis decem Ephebos mutos, nè ejusdem secreta divulgare possent, p. 307.

Spina radices in homine egit, & produxit rubum in visceribus ejusdem, p. 314. n. 4.

Staficrates sculptor insignis, incepit formare statuā Alexandri ex toto monte Atho, p.358.n.1

Stephanus Abbas vidit ad latus Christi Crucifixi etiam crucifixum suum fratrem sæcularem: & quid illi dixerit Dominus, p. 77. n. 8. ad finem.

Surculus infructuosus arboris describitur, p. 94. n. 1.

T.

Tempestas terrefacit fulgure, & tonitru; recreat autem pluvia, p. 337. n. 1.

Tenebræ conscientiæ quàm densæ sint, p. 181. n. 2.

Teridates Rex Armeniæ effectus fuit extrinsecus porcus, & per Baptismum in pristinam hominis redivit formam, p. 55. n. 5.

Themistocles Dux Athenienſium spernit Teuthidem Ducem Gretensium, eò quòd nullam audaciam haberet, p. 107. n 5. ad finem.

Theodegisilius Rex Portugalliæ antiquæ ob incredulitatem concidit mortuus, p. 47. n. 7.

Theodorus insignis sculptor effigiat seipsum in magno, & in parvo opere; ubi fuit magis mirandus? p. 396. n. 9.

S. Theresia à JESU exhortatur Concionatorem, ut contra sacrilegas confessiones suas formet dictiones, p.166. n. 6. Qualem visionem habuerit de Sacerdote indignè Divina Mysteria peragente, p. 387. n. 6.

Thomas Morus quomodo exprobraverit Mulieri vanæ ejusdem vanitatē, p.91.n.6. circa med.

Trajanus Imperator lacerat paludamentum & purpuram Regiam pro ligaminibus militum vulneratorum; & Alexander fasciam, p. 11. n. 2.

Tribulationes faciunt nos DEI recordari, p. 58. n. 7.

Tribulationes, moleſtiæ, infirmitates pro DEO, & amore DEI toleratæ, quàm dulces, & utiles, p. 348. n. 5. Serviunt pro ſatisfactione, p. 349. n. 6. Confirmatur id Exemplo, p. 350. n. 7.

V.

Venatores tendunt retia ad oras rivulorum, & aliarum aquarum, & quare hoc? p. 167. n. 6.
Verbum DEI facit ſuavem legem DEI, p. 81. n. 4. Si non libenter audiatur, ſi nauſeetur, præjudicat, p. 82. n. 5. Qualiter ob nauſeam ſimilem quidam ruricola defunctus poſt mortem à Chriſto punitus fuerit? p. 84. n. 7. Quàm efficax ſit Verbum DEI, p. 133. n. 4.
De virtute & efficacia Verborum Conſecrationis, p. 382. Inſtruct. IV. per totum. Per illa laudatur ſummè DEUS, ibid. Non ſunt verba Sacerdotis, ſed Chriſti Domini, p. 386. n. 5. Licèt à peſſimo Sacerdote proferantur, habent eandem vim ac ſi à pio proferrentur, p. 387. n. 6. Vis & efficacia in ipſis verbis manifeſtatur, p. 388. n. 7.
Verecundia quænam bona, & quænam mala? p. 293. Inſtruct. XIX. per totum. Convincitur ut irrationabilis in confeſſione ſex rationibus, p. 295. n. 4. & ſequent. Aliæ duæ rationes contra verecundiam in confeſſione, p. 301. Inſtruct. XX. per totum. Confeſſarius eſt homo peccabilis ſicut alius, p. 303. n. 2. Adhuc aliæ rationes contra verecundiam, p. 311. Inſtruct. XXI. per totum.
Vermis bombyx deſcribitur, p. 311. n. 1.
B. Veronica de Binaſco vidit ante ſuam Confeſſionem omnes ſuas imperfectiones, quæ illi à DEO omnes clariſſimè monſtratæ fuerunt. p. 183. n. 3. ad finem.
Vetula ſenex ſuffocabat omnes moribundos ex charitate, nè tam diu dolores paterentur, p. 279. n. 3.
Viperæ ſub arboribus balſami amittunt venenum, p. 121. n. 8.
Virgines Veſtales deprehenſæ in vitio luxuriæ, vivæ ſepeliebantur, & cum illis omnes illarum uniones, clenodia, & ornamenta, p. 157. n. 6.
Vita æterna qualis nam erit? p. 73. n. 5. Vita humana non eſt vita, ſi alios non juvat. p. 114. n. 1.
Uladislaus Rex Poloniæ recipit benignè Vincentium Samoſutum Principem Palatinum ſibi rebellem in gratiam, p. 330. n. 3.
Ulmus & vitis ſe ad invicem amplexantur, p. 60. n. 1.
Unctio Extrema. De Nomine, Compoſitione, & Inſtitutore hujus Sacramenti: & ejusdem admirabilibus effectibus, p. 454. Inſtruct. Unica per totum. In illa DEUS ſe nobis maximum demonſtrat amicum, ibidem. Quare vocetur Extrema? p. 456. n. 2. Materia ejusdem, & Inſtitutor, p. 457. n. 3. Timores vani quò ad illius perceptionem, p. 458. n. 4. Multi damnati fuerunt, eò quòd illam non perceperint; & multi ſalvati ob eius perceptionem, p. 459. n. 5. De Attrito facit contritum, ibid. Pœnas purgatorii debuerunt ſuſtinere, eò quòd illam infirmi non perceperint, p. ead. n. 5. 6. Confert etiam quandoque ſanitatem corporis, p. 460. n. 6.
Urſa poſt partum format ſuâ linguâ, & efficit prolem ex informi, aliis urſis ſimilem, p. 53. n. 2.
Uſurarius unà cum Confeſſario damnatur, p. 250. n. 9.

W.

S. Wenceslai pium reſponſum in carcere: p. 58. n. 7. ſeminat ſuis Regiis manibus triticum, quod ſervire debet pro Hoſtiis pinſendis, p. 377. n. 2.
Wenceslaus IV. dictus Piger, Bohemiæ Rex, ut ſe ex carceribus liberaret, modò remigat in navicula, modò ſe præcipitem dat ex certa turri, ubi incluſus fuit, p. 144. n. 5.

FINIS.

K.K. RECHTSAKAD. BIBLIOTHEK IN KASCHAU

